BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
12 L
3


Digitized by Google

VTH 10 55

Digitized by Google

IATROLOGISMORVM
SIVE
OBSERVATIONVM
MEDICINALIVM
PENTECOSTÆ QVINQVE
DOMINICI PANAROLI
ROMANI.

Digitized by Google


DOMINICVS·PANAROLVS·ROMANVS·


A
Teneris
Imprimitur
Virtus
OBSERVATIONES MEDICÆ PANAROLI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

IATROLOGISMORVM, SEV MEDICINALIVM OBSERVATIONVM PENTECOSTÆ QVINQVE

VTILIBVS PRÆCEPTIS, SINGVLARIBVS MEDELIS, reconditis ſpeculationibus, portentoſis caſibus refertæ,

QVIBVS DIVERSA, EAQVE CVRIOSA (prout aduerſa pagina indicabit) in calce adduntur opuſcula.

OPVS

CERTE, NON TANTVM PHYSICIS DOGMATIBVS redundans, ſed multiplici eruditione iucundum, Philoſophiæ, ac Medicinæ amantiſſimis, apprimè vtile, ac neceſſarium.

DOMINICI PANAROLI ROMANI

PHILOSOPHI, ET MEDICI

in alma Vrbis Archilyceo Medicinæ Profeſſoris.



ROMAE, Apud Franciſcum Monetam. MDCLII.

Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

OPVSCVLA ADDITA.

De Simplicium cognitione Medico neceſſaria.

Plantarum Amphitheatralium catalogus.

Chamæleo examinatus.

Arcanorum Faſciculus I.

Arcanorum Faſciculus II.

ILLV

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMIS
DOMINIS

Carolo Carthario Decan.
Ioanni Baptiſtæ Spada,
Petro Frãciſco de Rubeis,
Iulio Cincio,
Carolo Montecatino,
Marco Antonio Buratto,
Carolo Gualterio,
Bartholomæo Capræ,
Io. Mariæ Vermigliolo,
Nicolao Seuerolo,
Carolo Emmanueli Vizzanio,

SAC. CONSISTORIALIS AVLAE

ADVOCATIS,

ET

ALMAE VRBIS GYMNASII

RECTORIBVS.

DOMINICVS PANAROLVS in eodem Gymnaſio Medicinæ Profeſſor felicitatem.

NE vomentium flammas offenderent Argonautæ pericula ſaxorum, candidam eos præiuiſſe auſpice volatu Columbam decantatum fuit. Non mirum, ſi Vos, Illuſtriſsimi Viri, apud Sedem Apoſtolicam

licanę Eccleſiarum, ac pauperum ſelecti de-
fenſores, Romanæ Palladis Lyceum, veluti
Argonauem, eiuſdem Deæ iuſſu olim con-
textam, ſtrenuè tuemini, atque ad aureum Sa-
pientiæ vellus acquirendū per ignauiæ Sym-
plegades, recto, tutoq. ducitis tramite: habetis
enim è veſtro præſtantiſsimo euectum cœtu
Gubernatorē EMINENTISSIMVM PRIN-
CIPEM CAMILLVM CARDINALEM
PAMPHILIVM, qui puppi præſidet, duce
OLIVIFERA COLVMBA inter INNO-
CENTIÆ niues, ardenti Iuſtitiæ zelo fla-
grante, atque ab alto vniuerſi fluctuoſos ma-
ris æſtus deſpiciente. Veſtrarum vtinam glo-
riarum, niſi præconia, ſaltem eſſe argumenta
potuiſſent hæ meę, quales quales, lucubra-
tiones, vtpotè veſtra receptę eadem ſub tute-
la, qua me in iſtius Vniuerſitatis Argonaui hū-
maniter adſcitum, benignè fouetis. At quos
mancos prodidit Pater Natos, haud ſolidat
Tutorum cura: eas tamen non renuite; erunt
namque, veſtri in me collati teſtimonia be-
neficij, meęq. adſtrictę vobis obſeruantiæ au-
toramenta. Fortunamini.

PER-

PERILLVSTRIBVS
ATQVE EXCELLENTISSIMIS
ROMANI COLLEGII
Archiatris.

DD. MARCELLO
LVCIO ROMANO
Protomedico Generali.

Bernardino Meſſorio,
Ioſepho Ghiſlerio,
Ioanni Manelpho,
Tiberio à Fonte,
Nicolao Rentio,
Paulo Zacchiæ,
Ioanni Præſlio,
Dominico Guidarellio,
Bernardino Denſa,
Io: Benedicto Sinibaldo,
Benedicto Ritæ,

DOMINICVS PANAROLVS Romanus in almæ Vrbis Archigymnaſio Medicinæ Profeſſor. S.

VT veſtrum eſt, ad maiorem Romani Collegij vtilitatem, dignitatemque, ſeleđiſſimos quoſque in Encyclopædia Medica ſeligere, ita meum ſemper erit, propter Doctoratus inſignia mihi collata, illud reuerenti honore celebrare. Et ſicut vobis doctiores,

ſ ſ præ-

præſertim in Pharmacia, & Anatome, ſine periurio repellere non licet, ita ego ſine ingratitudinis nota obſequium hoc omittere non poſſum. Hoc impulſus calcari veſtro labores hoſce Senatui libenter offero, quibus in Immortalitatis Templo ſi veſtra dedicare poſſem nomina, optatam felicitatis attingerem metam Quidquid tamen eu enturum ſit, ſemper in me ſuum obibit munus Reuerentia, qua vobis à Cœlo feliciſſimos auguror annos. Valete

AD

AD LECTOREM

Tam Beneuolum, quam Liuidum.

DVO eſſe in arte ſcientiam, & opinionem Archiater ille omnium maximus in libro de lege, tanquam ex Apollineo Tripode, pronunciauit, quarum altera ſcire facit, altera vero ignorare: rectè equidem, nam cum ſint.

Mille hominum ſpecies, & rerum diſcolor vſus,
Velle ſuum cuique eſt, nec voto viuitur vno.

Alij opinioni, alij ſcientiæ adhærentes, præſertim Medici, cum ſiat nomine multi, re vera autem pauci, veritas ipſa quandoque, vt Virtus à Voluptate Deo, conculcatur, ſecundum illud. Ouid.

Pro vitio Virtus crimina ſæpe tulit.

Hinc illæ, vt ait Plinius, miſeræ circa ægros ſententiarum concertationes, nullo idem cenſente, nè videatur aſſertio alterius, hinc illa infelicis monumenti inſcriptio, turba ſe Medicorum periiſſe; nam, vt paulo poſt ſubdit, nulla præterea lex, quæ puniat inſcitiam capitalem, nullum exemplum vindictæ, diſcunt periculis noſtris, & experimenta per mortes agunt, Medicoque tantum, hominem occidiſſe ſumma impunitas eſt, cui concinit illud.

His, & ſi tenebras palpant, eſt data poteſtas.
Excruciandi ægros, hominesque impunè necandi.

Tametſi pœnam nullam patiantur, non idcirco impunes omnino vagantur, cum ignominia aliquando pœnarum, & tormentorum ſuppleat vices, vt Hippocrates in dicto libro aſſerit, dum ait, ſoli namque Medicinæ nulla pœna in Rebuſpublicis ſtatuta eſt, præterquam ignominiæ. Ob hanc

cauſam igitur maximoperè frequens eſt corporum ſectio, vt in illa, tanquam in ſpeculo, tum pulchri, quoad ſientiã, tũ turpes quoad ignauiã reſpiciantur: ſed caueant Medici, nè ab imperitis talis ſectio adminiſtretur, nam confuſionem pariet, eritque error peior priore, quoniam aut lacero, aut non obturato aliquo vaſe, aut diſrupto, aut aliquo alio defectu commiſſo, confunditur viſio, veritaſque ipſa difficillimè eluceſcit. Ideo experientiam rerum omnium magiſtram vnico conſenſu, tum veteres, tum ſaculi noſtri homines omnes acclamarunt; ea etenim primordia, & rerum omnium rudimenta, aut vt verius dicas, fundamenta ad ſuſtinendas omnium, aut artium, aut virtutum, aut ſcientiarum moles, & oſtendit, & ſubminiſtrat.

Tanta eſt, vt veritate imbuta corpus, proceſſu temporis, ſicut illa, Lauream de rebus omnibus triumphãs adipiſcatur. Animam ipſa humano in corpore tenebroſis velis oculos adũbratam, meliore quo poteſt modo, ad cacumen luminis, quantum fas eſt, ſubleuat, & extollit.

Si verum igitur eſt, vt veriſſimum probamus, quod finis coronet opus, ea non ſolum ſaxa ruſtico quodam ordine, ad fundandas domos præparat, ſed fundatis ipſa, tanquam tabulis effigiatis mirandus Apelles, vltimam imponit manum.

Sed audias Lector, præbere non debemus arma ignaris, qui ſolum aliquid experti, cætera alicuius profeſſionis theoremata negligunt; ac ſi ſola experientia, vt in illis falſa, excelſiora ſcientiarum cacumina aſcendere audentes, vſque ad aſtra volitare credant ſuum nomen, dum nimio plus, quam par eſt, auri cupiditate exæſtuantes, non more Hippocratico maiorem habent rationem virtutis quam auri, ſed maior eſt ratio in illis auri, quam virtutis. Stulti: neſciuut cum Saluſtio, quod auaritia pecuniæ ſtudium habet, quam nemo ſapiens concupiſcit. Ea quaſi venenis malis imbuta corpus animum virilem effœminat: ſemper infinita inſatiabilis eſt, neque copia, neque inopia minuitur, ſed ſitis immenſa ſicut in Hydropicis maximoperè illos cruciat, iuxta illud Horatianum.

Creſcit indulgens ſibi dirus Hydrops.

Nec

Nec ſitim pellit, niſi cauſa morbi
Fugerit venis, & aquoſus albo
Corpore languor.

Medicus tum in theoria, tum in praxi verſatus eſſe debet, quod ſi alterutrum claudicat tota corruit machina. Credas equidem Lector, quod optimum eſſet in Rebuſpublicis aliquãdo ferulam componere, ad verberandos multos Medicinæ Pædotribas, qui ſoli lucro innixi, Anatomes, Botanicæ, Aſtrologiæ, aliæque partis in medendis humani corporis morbis ignari, ſoli Practicæ, vt illa, quæ vulgarior, facilior, & ignobilior, circulatorum more eſt, adhærentes, cætera altiora, difficiliora, & nobiliora toto conatu, totis viribus aſpernantur, &, vt ſuam literaturam practicalem iactent, Medicos in vtroque verſatos, ita ſua lingua dilaniant, vt eos a melioribus medelis perpetuo arceant. Quærela vbi ſuas moliuntur lacerationes ea eſt, quod Medici Theoriæ adhærentes ad Praxim inualidi ſint, tanquam Hippocrates, Galenus; & alij, Semimedici fuerint, nec mormos curauerint, illud Platonicum dictum continuo dicentes. Nemo ærarius ſimul, & lignarius faber ſit; duas enim artes, aut ſtudia duo diligenter exercere humana natura non poteſt. Optima ſimilitudo. Plato dixit duas artes, non in eadem arte Theoricam, & practicam. Sed ex Terentio in Adelphis.

Homine imperito nunquam quicquam iniuſtius,
Qui niſi quod ipſe facit nihil rectum putat.

Tunc temporis audiendo haſce Pſeudoiatrorum quærelas, tanquam Leo rugiens ad iram pronus, antrumque oris terribile ad aperiens, in hoſtes peſſimos ſæuire vellem, vngueſque dilaniatrices corporibus ſuis perpetuo figere.

Ecquid, vt Petrus Caſtellus in abuſu circa dierum criticorum enumerationem ait, cenſent ſua ſomnia, ſua entia rationis, tanquam vera, & realia proponere? ecquid cenſent ſemper eum pueris loqui, quis hæc credat?

Praxis, qua ipſi vtuntur, trium dierum ſpatio ab homine,

ne, vel viliſſimo, acquiritur: Caeopraxis eſt; nihil valet. Eupraxis illa eſt, quæ Theorica, vt circinus centro infixus adhærens circulum, ſumma cum laude obſeruando, perficit.

Multa dicerem, ſed quia lethea obliuione ſopiti poſt mortem dormiunt, taceo, flagellum abſcondens, & conſeruans, alio forſan tempore ipſo, tanquam Iouis tricuſpide fulmine, ad anguipedes necandos, vſurus. Glorioſum eſt venari Leones: vile animalia immunda ſectari: ſtent ſuo ſicut Rana luto inuoluti.

Eupraxi igitur, ſicut vrgentiſſimo calcari impulſus Lector benigniſſime obſeruationes haſce, ſi non mirabiles (aut potius, fictitias, vt credo, ſicuti ipſe pluribus in locis Authorum obſeruaui) ſaltem veriſsimas nullo fuco, figmentoque ornatas tibi propono. Spero equidem in medendis humani corporis morbis beneficia allaturas eſſe, dum me tuæ benignitati, opuſculumque hoc, qualecumque ſit proponõ & commendo. At ſi liuide lector arguis me quod adſint errata, reſpondeo plurima Typographi incuria commiſſa fuiſſe; & ſi rurſus vrges noſtra eſſe, denuo replico, te non Philoſophum, ſed Pædagogum eſſe, qui non res, ſed verba examinas.

Si me Hortulanum credis, quia aliqua de ſimplicium cognitione tango, ſcias, te etiam maledica lingua Hortulanes facere plurimos Reges, qui ſimplicium cognitionem habuerũt vt fuerunt Clymenus, Lyſimachus Telephus, Arthemiſia &c. ſed de his legas Proludium de neceſſitate Botanices.

Si vero propter Anatomem, quia cadauera tractaui, carnificem appellas, audi ſtulte liuide, ignorantiæ Aſylum audi Petrũ Caſtellũ de optimo Medico ſect.6. ſic te interpellantem, Quis eſt carnifex; egonè, qui cadauera ſeco, an tu, qui ob tuam ignorantiam occidis, viuos. Dic ſi Galenus Veſallius, & ſimiles alienis libris contenti eſſent, quos legeremus perfectos Anatomicos libros. Aſylus eſt ignorantium vituperare, quod ignorent.

DO-

voluptate perlegi, ſpectabilium animi tui dotum noſtro æuo ſpeculi inſtar exiſtent, poſteris vero fidiſſimum earumdem teſtimonium permanebunt. Age igitur, dum tuis florentibus annis matura perlegimus, quid maturiori ætate ſperandum? Vale diu felix noſtri temporis ſplendor, meque tui amantiſſimum habeas. Romæ Kal. *Maij* 1651.

Per-

PERILLVSTRI, ATQ. EXCELLENTISSIMO
DOMINO

DOMINICO
PANAROLO

PHILOSOPHO, ET MEDICO,
ac in Archigymnaſio Romano Profeſſori

IVL. CÆSAR BENEDICTVS
à Guelfalione Aquilanus Theoricæ in
eodem Archigymnaſio Profeſſor.
S.P.D.

TVVM verſatile ingenium ſemper intuitus, mihi haudquaquam ſtuporem perennauit, ſi vel tuam ætatis acerbitatem, Sapientiæ maturitate compenſaueris; animum enim cum Iuuentute, & ſenio exiſtere poſſe nemo ibit inficias. Sicq; Te quamuis non diù fuiſſe prædicauerim, diutiſſimè tamen vixiſſe palàm facerem, cum albos te videam innumeros congeſſiſſe Lapillos, haud nigros. Nullam enim peragraſti diem ſine linea, nullam tranſegiſti noctem ſine Cleantis lucerna; propterea

rea

reàque quæcunque fæceris, vel eiuſdem oleum ſapere dixerim, teque neotericum Proteum omnigena ſcientia decoratum vocitarim: nec ab re, generoſioris enim arboris ſtatim planta cum fructu eſt: & quem non dicerem fructum tuum non produxiſſe ingenium? ſi vel adhuc genitos deguſtat Vrbs, Terrarum delibat Orbis? non nè multis elapſis iam annis obſeruationum libellum vidimus & ſumus admirati? tum quia ſolidam in ſe doctrinam præſefert, tum quia vtilia ptoponit? ſic certè: proindeq; nunc auemus, ſuſpiramuſquè reliquas, quas domi ſeruas obſeruationum reliquias: eaſq; præcamur, quam primum è tenebrarum latibulis eruas, ac Apollineo exponas iubari in lucem edendo, non enim ſum inſcius, iam Te iiſdem colophonem impoſuiſſe, ac vltimam, vt fertur, dediſſe limam, ſicq; poterunt, vel famæ tubam experiri, vel immortalitati pariter inhiare, vt puta digna cedro. Eia agè rumpè moras, quid times? an quia quæ ſemel irruperunt ad lucem, lumen refugiunt? abſit: bis enim, ac ter quod pulchrum inſpicitur; ea namque vis ineſt rebus egregijs, vt quo ſæpius, ac preſſius inſpectantur, eò magis, ac magis placeāt, vt aiebat Horatius. Eas ergò in lucem ede, quia adhuc multiplices peregiſti, quia vberiores pariter reddidiſti; adeo vt opus, vel vndequaque abſolutum reddideris; an ignoras adagium, occultæ ſcilicet muſicę nullũ eſſe reſpectum? an ignoras Ouidium aſſeuerantem.

Tu licet & Thamyram ſuperes, atque Orphea cantu
Non erit ignotæ gratia magna Lyræ.

An denique naſcis egregias animæ dotes, ſi habueris, eaſdem haud proferens, quaſi non habeas ab

om-

omnibus reputari:Teq; non tibi ſoli natum,ſed Patriæ, Parentibus, Amicis, Immortalitati. His igitur conſule tempus, nam hoc vel ad tua opera manifeſtanda, vtique conſulet, ſciens eum, qui citò dat, bis dare. Da nobis, quæ tua optamus opera, vt te admiremur, teque cum Chyronibus Aeſculapijs, ac Macaonibus inter Cælites numeremus. Vale. Datum Romæ 16. Kal. Febr. Anno 1652.

Digitized by Google

AD EXCELLENTISSIMVM

DOMINICVM PANAROLVM

AVCTOREM

PHILIPPI DE RVBEIS Florentini.

O D E.

F*Ama iam viuet tua ſemper æuo*
En PANAROLI, nec auara Lethes
Ingeni curas operoſiores
Obruet Orco.

Alea plenus labor eruditæ
Indoles rerum ſibi fœderatas,
Et reluctantes animi fugacis
Prodere ſenſus.

Te pharetrati iaculis Geloni,
Te leget Medus, tibi Siſtra Memphis.
Aera Curetes, Corybantes arma
Enthea plaudent.

Nomen arguto reſonabit auro
Hermus, aut gemma ſcopuloſus Indus,
Aut arenoſus rutilante limo
Finget Hydaſpes:

Audiet nomen, celebreſque laudes
Surda gens Nilum prope confragoſum,
Gloria plauſus, niſi ſurdiores
Obſtruat aures.

Digitized by Google

In laudem eximij Anatomici, & Botanici

DOMINICI PANAROLI ROMANI

CARMEN.

IACOBI LIPSII FLANDRI
ex Ciuitate Gandauenſi.

PHæbei ſoboles Genij, quæ corpora letho
Eripis, & Lacheſis protrahis vſque Colum,
Pace tua, quamuis nec certior arte medendi,
Nec fueris Coi ſuada pudenda Senis.
Semita Apollineæ non eſt tamen inuia metæ
Iuit, & hanc mentis repperit alter ope.
Nec minus eſt Campi, quo ſe ferat æmulus ardor
DOMINICI, Ingenio qui domat arma necis.
Occultaſque vias naturæ obſeruit cunctis
Per laceram viui corporis illuuiem.
Corpus morboſum hoſpitium, Carcerque doloris,
Mortis Lar, Cuſtos vulneris, olla luis.
Augiæ ſtabulum, fœtorum lurida ſedes,
Squalior, Fex, Cribrum pulueris, Vmbra, Nihil.
Ex tamen eſt Medicis doctrinæ ſchema, ſinumque.
Ex tetra ſanie mel ſibi quiſque legit.
Credibile eſt, & te ſuxiſſe è corpore mella,
Quæ ſucco impleruns vberiore librum.
Mella quibus gaudent Phyſici, quos tingit Eous,
Et quos occidui ſyderis Vmbra tegit.

Si te legiſſet Podalirius atque Melampus,
Quique Machaonia nomen ab arte tulit,
Ereptos ægros Libitinæ noſceret, & te
Palladis, è cerebro diceret eſſe ſatum.
Herba potens ad opem nulla eſt Telluris in aluo,
Aut Floræ in Venis Heſperidumque fibris,
Cuius te virtus lateat, ſpecieſque Colorum:
Nam magnæ matris Viſcera nota tibi.
Nonne Charon quæritur corrumpi in littore Cymbam
Nec vehere extinctos, vt ſoles ante Rogos.
Nam quid Pandoræ ſupereſt in Pixide morbi,
Quod non auxilio fertiliore leues?
Fallor? an accreſces decoris tibi maior imago?
Sic eſt. Ingenium mens generoſa fouet.

IO. BAPTISTAE PACINI
PISTORIENSIS
Medici, & Philoſophi.
IN LAVDEM
DOMINICI PANAROLI
Peritiſſimi Obſeruationum Medicinalium Auctoris.
EXASTICON.

Condita, quæ gremio Naturæ arcana fuere
Obſeruans, Medicæ prodidit Artis honos.
Phœbeas ægros docuit Podalirius Artes:
Aequalem, hæc præſtans Dogmata, præſtat opem:
Ille inuenta Patrum: ſudore hic parta reliquit:
Gloria, cui maior, Lector, habenda, doce.

§§§§ 2 Im-

Imprimatur,

Si placet Reuerendiſsimo P. Mag. Sac. Pal. Apoſt.

A. Riualdus Viceſg.

Reuerendiſſimi P. Mag. Sacri Palatij Apoſtolici iuſſu, & imperio, Obſeruationes medicinales Eruditiſſimi D. Dominici Panaroli Medici Romani excellentiſſimi perpendi, ac omni ſedulitate, & ſolertia perlegi, nilque in eis, quod Chriſtianæ fidei, optimiſq; moribus obnoxium eſſet, inueni. In quorum fidem lubēti animo ſubſcripſi. Hac die prima Auguſti 1652.

Ioannes Preſſius Med. Colleg.

Imprimatur,

Fr. Vincentius Fauus Mag. & Soc. Reuerendiſsimi P. Fr. Vinc. Candidi Sac. Apoſt. Pal. Mag. Ord. Prædicatorum.

CA-

CATALOGVS AVCTORVM.

AEtius
Agathias
Ageſilaus
Albertus
Alciatus
Alexander Benedictus
Alexander Maſſaria
Alexander Trallianus
Alexides
Amatus Luſitanus
Ambroſius Parȩus
Andreas Alciatus
Andreas Laurentius
Andreas Tiraquellus
Antonius Vitaglianus
Antiphanes Smirnæus
Apollodorus
Apuleius
Aquapendens
Ariſtoteles.
Argentarius
D. Auguſtinus
Augerius
Auicennas
Auſonius

Bacchanellus
Balthaſar Piſanellus
Bartholomæus Maranta
Bartholomæus à Chaſſe-neo.

Bathon.
Beniuenius
D. Bernardinus
Beroaldus
Boetius.

Capiuaccius
Cardanus
Caſſerius
Catullus
Ceſalpinus
D. Chryſoſtomus
Chriſtophorus Clauius
Cicero
Claudius Berigardus
Claudianus
Cœlius Rhodiginus
Columbus
Cornelius Celſus
Cornelius Gallus
Cyprianus

Daniel
Dauid
Demetrius Phalæreus
Democrates
Dioſcorides
Diphilus
Dodonæus
Dionyſius Iunior Sophiſta.

Epi-

Epicharmus
Eraſtus

Fabius Columna
Fallopius
Fernelius
Fontana
Fracaſtorius
Franciſcus Lallus
Franciſcus Petrarca
Franciſcus Valleriola
Fridericus Ferdinandus.

Galenus
Gaſpar Bauhinus
Gaſpar Velius Vrſinus
Gemma
Georgius Buchananus
D. Gregorius

Heſiodus
D. Hieronymus
Hieronymus Mercurialis
Hippocrates
Hollerius
Homerus
Horatius
Hugo
Hyldanus.

Iacobus Rueff
Iacotius
Ioachimus Camerarius
Ioannes Baptiſta Porta
Ioannes Benedictus Sini-baldus.
D. Ioannes Chryſoſtomus
Ioannes Fungerus
Ioannes Lauterbachius,
Ioannes Ouuenus
Ioannes Picus
Ioannes Ponranus
Ioannes Poſthius
Ioannes Præuotius
Ioannes Riolanus
Ioſeph Paſs,
Iordanus
Iſidorus
Iulius Cæſar Benedictus
Iuuenalis

Lactantius Firmianus
Lemnius
Leo Papa
Leonicenus
Lucas Fruterius
Lucianus
Lucilius
Lucretius

Macrobius
Manilius
Marcellus Donatus
Marcus Aurelius Seuerinus
Marſilius Ficinus
Martialis
Marullus
Matthiolus
Menander
Mercatus
Mercurius Triſmegiſtus
Metrodorus.

Nicarchus.

Ori-

Digitized by Google

ORibaſius
Othomarus Luſcinius
Ouidius

PAulus Aegineta
Paulus Manutius
Paulus Meliſſus
Paulus Stephanus
Paulus Zacchias.
Perſius
Petronius
Petrus Andreas Canonherius.
Petrus Caſtellus
Petrus Crinitus
Petrus Seruius
Philomon
Phocilides
Pinæus
Platina
Plato
Plautus
Plinius
Plotinus
Plutarchus
Poſidippus
Propertius
Ptolomæus
Pythagoras.

Quercetanus.

REmigius Siluanus
Rinaldus Olan.
Riolanus
Riuerius
Rouſſettus
Ruphinus

SAlomon
Saluſtius
Scaligerus
Schenchius
Scholiographus ad Holler.
Scotus
Seneca
Seneca Tragicus
Sennertus
Septallius
Serapio
Sextus Aurelius
Sidonius
Sillius
Socrates
Sophocles
Spigellius
Statius
Strato

TAcitus
Terentius
Tertullianus
Textor
D. Thomas
Thomas à Vega
Thomas Bartholinus
Thomas Venatorius
Tibullus

VAlleriola
Veſalius
Veſlingius
Vincent. Alſarius Crucius
Vincentius Obſopæus
Virgilius
Vlmus
ZAcutus Luſitanus.
Zeno.

IA-

Digitized by Google

IATROLOGISMORVM

ſeu Obſeruationum Medicinalium.

Pentecoſte Prima:

ALvi portentoſa exſiccatio Obſ. 1. pag. 1
Duo Lienes Obſ. 2 3
Ren vniens obſ. 3 3
Vreteres quatuor obſ. 4 4
Fœtus e x veſica aqua plena aſperæ arteriæ adhærente in vtero matris mortuus obſ. 5 5
Vetula ſeptuagenaria ab adoleſcentia eijciens menſes per os obſ. 6 6
Venter varicoſus obſ. 7 7
Vulneris cephalici mirabilis ſanatio obſ. 8. 8
Dyſentericorum ſectio obſ. 9 9
Mulier quinto menſe ſemper abortiuum faciens Phlebotomia præſeruata obſ. 10 10
Cholera ſanguinea cum maximis ſymptomatibus lapide hæmatite curata obſ. 11 11
Macula Mali punici miranda ex Matris malacia obſ. 12. 12
Turgidæ venæ ſuffocantes obſ. 13 14
Vomica in teſtibus mulieris ex antiqua gonorrhœa obſ 14. 16
Mulier prægnans quinta vice nunquã menſtruata obſ. 15. 17
Infortunia morborum obſ. 16 18
Veſicæ rotundæ aquoſæ ſupra corpus calloſum obſ. 17. 19
Tumba deleteria obſ 18 20
Carbonum fumo ſuffocatus, vitæ reſtitutus obſ 19. 21
Ventriculus corroſus ſiruti ab igne obſ. 20 23
Puer ſtrumoſus obſ. 21 24
Vomitus mirandus obſ 22 25
Ex imperitia obſtetricis procidentia vteri cum ſterilitate. obſ. 23. 27
Aura venenata in corporibus noſtris genita vitam de medio tollens obſ. 24 28
Scroti ſphacelati ex gallico morbo non ſine magno vitæ diſcri-

Digitized by Google

ſtrimini ſanatio obſ.25 30
Aqua acetoſa (vulgo) dicta incommoda obſ.26 31
Dilatatio veſicæ ter obſeruata ſemper in mortem deſinens obſ.27 32
Tertianarius quidam quartadecima die optimè iudicatus decimaquinta die cholera ſuperueniēte mortuus obſ.28 33
Arteriotomia temporum Phreniticis optima obſ.29 34
Mulier cachectica parenchymatibus multis obſtructis exercitio plus, quam alio ſanata obſ.30 35
Cor torrefactum in iuuene febre ardentiſſima mortuo repertum obſ.31 36
Pulſus diuerſiformes obſ.32 37
Epilepticorum optimum remedium obſ.33 38
Triplex Tertiana. obſ.34 39
Vulneratus lapide in pectore per triduum aphonus redditus Phlebotomia ſanatus obſ.35 41
Senex ſeptuagenarius pleuriticus Diarrhœa ſanatus obſ.36 42
Vomica in hepate obſ.37 43
Calculus ſub oculo natus, per os eiectus obſ.38 45
Melonum pernicies obſ.39 46
Phreniticus imprudenter olei potu ſanatus obſ.40 48
Vermium copia mirabilis obſer.41 49
Apoſtematis purulenta materia circa genu regionem per ſeceſſum excreta obſ.42 49
Herpes ventriculi vomitus quotidiani & mortis cauſa 43. 51
Pancreas lapidoſum obſ.44 51
Aranearum morſus lethalis obſ.45 52
Pulmo in ſiniſtra parte thoracis totus conſumptus repertus obſ.46 53
Eleuatio, & depreſſio hypocondrij in mortuo homine incautos fallens obſ.47 53
Cor tormentoſum obſ.48 54
Angina correptus ex Phlebotomia venarum linguæ ſuffocatus obſ.49 55
Volunulorum ſpecies diuerſæ obſ.50 56

La-

Iatrologiſmorum; ſiue Obſeruationum Medicinalium.

Pentecoſte Secunda.

Enterocele omphalodis in Matris vtero orta. obſ.1 61
Renum calculo Remedium optimum obſ.2 63
Vomitus ſubitaneus criticus ſegregatiuus obſ.3 64
Eruptio ſanguinis in crure periodica obſ.4 65
Gallus ſine Ano, & Pene quotidie citra ſalutis noxam ſtercus euomens obſ.5 66
Aquæ potus nimius, & coitus immoderatus ſuffuſionem pariunt obſ.6 67
Semen Anguriæ à puero deuoratum per trimeſtre tempus citra corruptionem in larynge detentum, & reiectum obſ.7 68
Colicis doloribus ortis à cauſa frigida remedia optima obſ.8 69
Coma vigili enecatorum ſectio obſ.9 70
Mediaſtini inflammatio lethalis obſ.10 71
Aneuriſma mirandum obſ.11 72
Saccari in febribus immodicè adhibiti nocumentũ. obſ.12. 75.
Fiſtula Thoracis Periodica obſ.13 76
In leipyria febre maculæ penetrantes nigræ per totam pulmonum ſubſtantiam inuentæ obſ.14 78
Opiſtotonus in pedum vulnere lethalis obſ.15 79
Aqua acetoſæ iuxta fontem lapides reperti obſ.16 80
Hydropicorum Paracenteſis difficultas obſ.17 82
Fœtus mortuus abortu expulſus cum infinitis paruis globulis, qui piſcium oua repræſentabant obſ.18 84
In obſtructione lienis ſitis fuga obſ.19 85
Intromiſſio Syringis per mentulam pluries tentata lethalis. obſ.20 86
In obſtructione lienis maxima, ſpiritus vitrioli cum iure propinatus ad extinguendam ſitim ventrem mirificè ſoluit, ægerque liberatur obſ.21 87
Lapis per excreatum expulſus obſ.22 88

Vtero gerentes primis menſibus ne copia ſanguinis fœtum obruat, dummodo ſint ſanguineæ, Phlebotomia ab abortu ſunt præſeruandæ obſ.23 89

Hydrops in puella nimio potu ſanatus obſ.24 90

Triplicis quartanæ creſcentis, & decreſcentis differentia obſ.25 91

Luxata vertebra ceruicis ſecunda pluribus diebus æger vixit obſ.26 92

Vini vſus pueris pernicioſus obſ.27 93

Imminutio viſus nimio coitu orta; Reparatioque eiuſdem viſus, coitu fugato, reſtituta obſ.28 94

Sanguis grumoſus in Corde obſ.29 95

In Capitis vulnere ſurdus, & mutus redditus æger, poſt quindecim dies recuperata voce, & auditu, conualuit. obſ.30 96

Ex diſtillatione à capite ad pulmones inſipida, Phtiſis, deinde mors oborta obſ.31 97

Hyſterica Veſtalis ad mortem vſque redacta Phlebotomia in ipſa Lipopſychia celebrata conualuit. obſ.32 98

Quĩtana lethalis cũ tertiana duplici cõtinua copulata.33. 99

Monſtroſa calculorum eiectio obſ.34 100

Vaſa ſpermatica ex vtraque parte ortũ ducentia obſ.35. 100

Atrophia correptus citrio malo conualuit obſ.36 101

Melancholici quomodo tractandi obſ.37 102

Auerſio odoris aquæ florum aurantiorũ in muliere, cum tamen cæteras odores auidius appetat obſ.38. 103

Epileſſia imprudenter igne ſanata obſ.39 104

In vrinæ ſuppreſſione Renes admodũ magni reperti. 40. 104

Mulier quolibet Menſe bis menſtruata ob.41 105

Mulieris morſus venenatus obſ.42 105

Myrmeciis remedium optimum obſ.43 106

Papauer damnoſum in cibis puerorum adminiſtratum obſ.44

Faucibus exſiccatis in febribus ob igneos vapores cum magno vitæ diſcrimine, vſus aquarum refrigerantium maximè opitulatur 45 108

Hemorrhoydalis ſanguinis citra ſanitatis periculum monſtroſa eiectio obſ.46 109

c

Ve-

Voluntaria Hemorrhoydalis ſanguinis eiectio obſ.47 110
Fluoris mulierum remedium optimum obſ.48 111
Phthiſici ſputum virulentum muſcas enecans obſ.49 111
Nimia mulierum intemperantia, & non malacia tantum fœtum eorurpat obſ.50 112

Iatrologiſmorum; ſiue Obſeruationum Medicinalium.

Pentecoſte Tertia.

MIrabilis Spongia ad arcendam luem Veneream obſ.1. 118
Tutior modus propinandi aquam acetoſam obſ.2 120
Menſtrua purgatio copioſiſſima cum conferentia in vetula 56. annorum tertia quaque hebdomada obſ.3 121
Angina contagioſa in pueris obſ.4 122
Podagræ generatio, & præſeruatio obſ.5 123
Carnoſitas in virili mentula, ex quo oriatur frequenter obſ.6 127
Repentinæ mortis aliquorum Romæ anno 1651. *cauſa inueſtigatur.* obſ.7. 128
Feminæ calculo renum ſæpe laborantes ſi grauidæ reddantur facillimè moriuntur obſ.8. 131
Furor vterinus pregnantia pluries curatus obſ.9 133
Omentum durum, ac fere lapidoſum ſterilitatem inducens in muliere obſ.10 134
Sectio lapidis veſicæ Luna exiſtente in Scorpione peſſima obſ.11 135
Priuatio muſculi palmaris, plantaris, & pyramidalium in eodem ſubiecto obſ.12 139
Dyſenteria in Xenodochijs ſæpe contagioſa obſ.13 140
Febris alba in Virginibus ſæpe amorem cauſam eſſe, quæ ſi cum amante nubant ſanantur obſ.14. 141
Aer Romanus pulmonibus valde obnoxius obſ.15 143
Pedum ſudores pro ſanitate nunquam cohercendi obſ.16 146

✝ Ind-

Mulier dum pudenda florum aurantiorum aqua ablnit, propter vterinos dolores ſummopere afflicta morti proxima redditur obſ.17 148
Prægnantibus conſilium optimum ad firmandos renes, & robuſtum reddendum fœtum obſ.18 150
Vena Azygos ab vtraq; parte reperta obſ.19 151
In prægnantia vnum tantum ſignum certitudinis datur. cum reliqua ſint vana, & fallacia obſ.20 152
Optimum remedium ad partum ſiue fœtus ſit viuus, ſiue mortuus obſ. 21 154
Ad combuſtos remedium paratu facile, & optimum obſ.22 155
Dolores artetici à calida humectantibus curati obſ.23 157
Vena tumens in fronte nobiliſſimæ mulieris nuntia ſemper imminentis morbi obſ.24 159
In morbis quibuſdam fere diſperatis inueteratis remedium optimum obſ.25 160
Vrina concocta ab Hepate cruda à liene proficiſcitur obſ.26 162
Triplex reperiri venenum nempè in ſpiritibus inquinandis humoribus, & partibus ſolidis Ad noſtris temporis Medicos admonitio obſ.27 164
Pila ſtercoracea monſtroſæ magnitudinis in inteſtino recto diù manens cum maximo vitæ diſcrimine, tandem expulſa obſ.28 167
Inteſtinum Duodenum ſtercore duriſſimo repertum mortẽ inferens obſ.29 169
Morbus Gallicus ante ſex menſes facillimè curatur, tranſacto verò eo tempore difficulter obſ.30 171
Propter lapſum, non tamen magnum Illuſtriſſimo D. Equiti Caſſiano à Puteo abrumpitur inſignis tendo quatuor muſculorum, videlicet vaſti interni, vaſti externi, Recti, & Crurei ob 31 173
Noctu frigidam ſæpius bibens, ſuffuſione correptus, cæcus totaliter redditus eſt obſ.32 175
Alcis Vngula mirificè lapidis Bezaar virtutes emulatur obſ.33 176
Menſtrua in Virginibus maxima prudentia reuocanda obſ.34 178

RR. PP. Cappuccini ſcabie nunquam laborantes obſ.35. 180
Colicis cruciatibus remedium optimum obſ.36 182
Vulnera capitis etiam leuia non contemnenda obſ.37. 183
Pica in Virgine duodecim annorum artificioſè curata obſ. 38 185
Criſis optima ſexta, & octaua die obſeruata propter lumen, & motum lunæ, aut maiorem, aut minorem. obſ.39 187
Animi deliquio in febribus malignis remedium vtiliſſimum obſ.40 190
Spiritus Vitrioli in Renum, & Veſicæ arenulis, & calculis tutò exhibetur in principio abſque vlla euacuatione præcedenti. obſ.41 192
Frigidam quotidie paulo ante prandium bibens, aliquis calido, & ſicco temperamento, Hydropicus factus occubuit Obſ.42 193
Hora Romanis optima ad egrediendum præſertim Aeſtatis tempore obſ.43 195
Oleum dulce Vitrioli, ipſiuſque virtutes admirabiles. obſ. 44 196
Ad fungos auxilium mirabile obſ.45 199
Diminutio viſus à Venere, neque purgantibus curanda, neque exſiccantibus decoctis, ſed abſtinentia Venerea, cibiſque optimi ſucci, qui ſemen generant. 46. 201
Remedium tutiſſimum hepati calido, ſtomacho frigido cõferens obſ.47 203
Sextus digitus, ſeu duo pollices in dextera fabri ferrarij obſeruatio obſ. 48 206
Anguillæ Iecur Nyctalopes ſanans obſ.49 207
Abuſus aquarum Thermalium in cibis. obſ.50 208

Iatrologiſmorum, ſiue Obſeruationum Medicinalium.

Pentecoſte Quarta.

V*Etula ſæuiſſimis hyſtericis cruciatibus correpta per menſem, poſtmodum perfectè conualuit obſ 1* 214

Pro-

Propter Medici imprudentiam Veſicatorio perperam appoſito, ſanguinis profluuio mortuus æger obſ.2 216

Nympha monſtroſa Torpedinem repræſentans obſ.3 218

Clytoridis mira productio in meretrice Picena obſ.4 220

Abuſus circa dierum criticorum enumerationem obſ.5. 221

Vas vitreum innocuè comedens obſ.6. 223

Signa bina ex ſanguine vt plurimum lethalia. obſ.7. 224

Anno 1649. infiniti ægroti propter quorundam Medicorum crudelitatem ſiti exuſti, & enecati. obſ 8 226

Catapotia in oculorum morbis ex medicamentis acribus potius obeſſe, quam prodeſſe, obſ 9 228

Plumbago qua ratione dentium doloribus aliquando conferat. obſ.10. 230

Lien in medio tam arctè ſtrictus, vt intuenti duos lienes repræſentaret. obſ.11. 232

Vermes loco menſtruorum apparentes. obſ.12 233

Sanguis fontis modo per mammas ſcaturiens menſtruorum loco obſ.13. 234

Pleuritidi remedium optimum, inter ſecreta Magnatum celebratum obſ.14 236

Vrinæ fallaces, quando grauitas circa ſpiritus vitales vagatur obſ.15. 237

Fœtidiſſimum corpus in Voluulo. obſ. 16 240

Mutus duodecim annorum à Natiuitate non autem Surdus obſ.17 241

Pinguibus, & obæſis Remedium optimum, & infallibile obſ 18 242

Dens inciſor ſuperior in Nobiliſſima Muliere poſt vigeſimū annum regeneratus obſ. 19. 244

Hydropicorum ſectio, in quibus pituita craſſa albumen oui coctum repræſentans Lienem, & Iecur circumcirca obuelabat obſ.20 245

Ex fonticulo in Tibia corrupto Mors ſubſequitur. obſ.21 246

Ad ſtrumas remedium rarum, & facile. obſ.22 247

Furunculus ferus, & prauus circa lumborum vertebras breui hominem interficiens. obſ.23. 248

Hepar monſtroſa magnitudinis obſ.24 249

Du-

Durities arenularum albarum, & rubrarum in vitro corrodendo experta obſ. 25 250
Colon monſtroſè à flatibus dilatatus 26 251
Vermes per aures in immenſo dolore egreſſi 27 252
Solo medicamentorum purgãtium odore quidam pluries purgatus. 28 253
Vermis niger, ſquamoſus, cornutus, cauda bifida, viuus per excreatum expulſus, & quomodo interfectus 29 254
Puer ſeptennis, Aphonus, Stolidus, Epilepſia ſæpe correptus, Veſicatorio in ſutura coronali appoſito perfectè ſanatus 30 256
Portentoſa Vreterum dilatatio ad lapidis exitum 31 257
Pinguedo in Nobili quadam Romana ita aucta, & collapſa, vt ad genua laberetur triginta circiter Libras, vt ex coniectura apparebat, & amplius excedens 32 258
Cancer horrendus in principio multos fallens, Verrucæ ſimilis ſub Axilla 33 260
Capilli Hominum perforati cum Microſcopio obſeruati 34 261
Arenulæ albæ, & rubræ in Calculoſis cum Microſcopio examinatæ. 35 263
Vermium in aceto copia mirabilis Microſcopio viſa 36. 263
Abuſus cauterij in nucha puerorum per conſenſum, epilepſia 37 265
Hydrops potus abſtinentia per ſex menſes curatus 38 266
Muſculus pentagonus ſiue pectoralis duplex repertus 39 268
Medici quidam adulando in pharmacis adminiſtrandis ægros occidunt 40 268
Pulmo ſiniſter diaphragmati adhærens 41 270
Epilepſiæ Romanæ in magnatibus frequentia 42 271
Pſoas paruus, ſeu pſoas alter in anatome inuentus 43 272
Natus ictericus 44 273
Gallicus morbus fortuitò nimio ſanguinis fluxu ſanatus. 45 273
Mola exigua in muliere hebrea paruum bulbum repræſentans 46 274
Epilepſiæ curioſa hiſtoria 47 275
Pulſus peſſimi in mulieribus febricitantibus medicos quandoque

doque

doque fallunt 48 276
Phrenitici cuiuſdam robur admirabile 49 277
Colicus dolor primo leuis, deinde maior decem horarum ſpatio interficiens 50 278

Iatrologiſmorum, ſiue Obſeruationum Medicinalium.

Pentecoſte quinta.

Arteriæ cæliacæ monſtroſa diaſtoles 1 281
Senes, & præcipuè ſeptuagenarij febricitantes, vt plurimum ſine febre exiſtimantur, & citò moriuntur, 2 283
Contra vermes, putredinemque in febribus malignis inſignem 3 284
Puer ſecundum agens annum, inſomnis omnino per ſex mẽſes remanſit, nunc vero 13 annorum cum ſit fatuus eſt 4 186
Mulier formoſa, ſummopere in vultu lanuginoſa 5 287
Lapides carbones repræſentantes per lotium expulſi 6 287
Hepar in ſiniſtris, & Lien in dextris 7 288
Pleuriticus quadraginta puris vncijs per vrinam excretis iudicatus eſt 8 289
Mulier in cute ſquamas vndique repræſentans citra morbũ 9 291
De morbo ſtrangulatorio D. Antonij Vitagliani Ceperanenſis ad Excellentiſſimum Dominicum Panarolum Condiſcipulum cariſſimum 10 292
De Mola ſtomachi Antonij Vitagliani Ceperanenſis ad D. Dominicum Panarolum virum excellentiſſimum 11 294
De calculo inteſtinorum Clariſſimi viri Antonij Vitagliani Ceperanenſis ad D. Dominicum Panarolum in Almæ Vrbis Archigymnaſio Anatomes, & Pharmaciæ Profeſſorem 12 296
De Lumbricis roſtratis Antonii Vitagliani ad Dominicum Panarolum condiſcipulum 13 297
Spina triceps lapidea inter duram, & piam meningem reperta 14 299

Vermes prægnantes per os, & ſeceſſum expulſi 15 302
Tumor veſicalis 16 303
Monſtroſa Vrina, & quandoque fæcum in mulieribus ſuppreſſio 17 304
Tabes Erotica in Virgine obſ. 18 311
Meſenterium lapidoſum 19 313
Virgo per 22. *dies abſque vllo cibo, & potu permanſit, & cõualuit* 20 314
Clauda Mulier ex Vteri ligamentis Rotundis 21 316
Icteritia frequens à calculis in fellea Cyſti contentis 22 317
Idioſyncraſia verſus Saſſafras 23 317
Vena emulgens in principio vnica, deinde bifida, & denuo, vnica in ſiniſtra parte 24 319
In contumaci, & rebelli capitis dolore terebratione in Sincipite facta æger optimè conualuit 25 320
Auricula cordis ſiniſtra ex anatomia viuorum vltimum mẽbrum eſt moriens 26 321
Hemorrhagia timore cohibita cum frigida aſperſione 27 322
Vrina per perinæum monſtroſè reddita 28 323
Calculi in Vrethra abſque vlla noxa per tres, & quatuor menſes retenti 29 324
Saltatores in ſenectute Artetici fiunt 30 325
Ad Tineam Puerorum *optimum remedium* 31 326
De Chalybe, & ipſius tuta præparatione 32 328
Vermis cineritio colore marinum repræſentans ſerpentem. 33 332
In infuſione roſarum, vt etiam in ſyrupo, & melle roſaceo aliqua vtilia adnotantur 34 333
Ceratum capitale maximæ virtutis ad corroborandam comiſſuram coronalem in epilepſijs tum puerorum, tum aliorum, aliiſque capitis morbis 35 335
Setarum veluti capillamenta cum renum calculo eiecta. 36 337
Pe*ctus piloſum in Meretrice formoſa virile mentiens.* 37 338
Funiculus in tertio cerebri Ventriculo repertus 38 339
Ex Hydrargiri vnctione in axillis, & pectine, ad pediculos feros enecandos, febris periculoſiſſima oborta, cum dictarum partium inflammatione 39 340

Vermium fœniculi nocumentum examinatur 40 341
Vermis viginti circiter palmorum in puero viuus per ſedem expulſus 41 343
De Renum lithotomia 42 344
Vulnus portentoſum inter frontem, & naſum 43 346
Aranearum vulgo(Tarantolæ) dictarum 44 347
Solutio continui in corde 45 348
Prægnantiæ ſignum infallibile in nobili quadam, muliere. 46 349
Puella Hydrocephala, Aphona, ſeptimo perijt anno 47. 350
In febre maligna, quandoque integros artus corrumpi; in quo caſu ſectio parum prodeſt 48 351
De voluulo ex Enterocele 49 352
De Hymene 50 353

Opuſcula Varia.

De Neceſſitate Botanices, ſeu de ſimplicium cognitione Medico neceſſaria 363
Plantarum Amphitheatralium catalogus 377
Chamaleo examinatus. 387
Arcanorum faſciculus primus 408
Arcanorum faſciculus ſecundus. 427

Le-

Lector benignus hæc maioris momenti corriget, reliqua condonabit, vbi vna mutata literula, v.g.c. pro e. n. pro u. ſ. pro f. r. pro t. facillimè corrigitur; Ideo illas omnes non propoſuimus. Lectori enim beneuolo, non autem Momo, aut Zoilo corrigenda hæc tradimus.

Adfuiſſent pag.7.lin.20.conueniens 9.31.ab aliis,9.32.florét. 14. 2. hepate.15. 12. addo, 39 4. efficacior. 39.19.perſentiatur· 44. 14. habet, 47, 11. ptiſanaque. 47 26. negauit 47. 27. quæ. 55. 12. madefacto. 56, 32. orificium. 62. 26. præſtare 76. 5. æger. 77. 7 decreſcentis.91.19.maximeque 106.1.luem.118.1.vaſe.118.32. ciuitates. 131.31. ſuas.134.1.quantum.134.18.offendit.144 14.abluiſſe.147 15.capitis.184.18.radicale 202.15.in lapidem.412.33.Probaui.418.4.ſequutumque.421.26. Gumma.423. 3. diſtat. 198.5.externa 204.26.anguſtiis.209.6.criticorum.221.34. quoniam.222.9.imminentis.239.26.theriacalem.253:31. conſeruare.255.27.illæ.262.31.mirari.263.11.cũ ſuis. 309. 2 tanquam.316.10.ſincipite.320.2.vltimum. 221. 19. impediunt.229.16.dulcorationes.330.1.contemplati fuimus 337.28.nos.344.ſumptuoſam.349.11.

Vermium fœniculi nocumentum examinatur 40 341
Vermis viginti circiter palmorum in puero viuus per ſedem expulſus 41 343
De *Renum lithotomia* 42 344
Vulnus portentoſum inter frontem, & naſum 43 346
Aranearum vulgo(Tarantolæ) dictarum 44 347
Solutio continui in corde 45 348
Prægnantiæ ſignum infallibile in nobili quadam muliere. 46 349
Puella Hydrocephala, Aphona, ſeptimo perijt anno 47. 350
In febre maligna, quandoque integros artus corrumpi; in quo caſu ſectio parum prodeſt 48 351
De voluulo ex Enterocele 49 352
De Hymene 50 353

Opuſcula Varia.

De Neceſſitate Botanices, ſeu de ſimplicium cognitione Medico neceſſaria 363
Plantarum Amphitheatralium catalogus 377
Chamaleo examinatus. 387
Arcanorum faſciculus primus 408
Arcanorum faſciculus ſecundus. 427

Le-

Lector benignus hæc maioris momenti corriget, reliqua condonabit, vbi vna mutata literula v.g.c. pro e. n. pro u. ſ. pro f. r. pro t. facillimè corrigitur; Ideo illas omnes non propoſuimus. Lectori enim beneuolo, non autem Momo, aut Zoilo corrigenda hæc tradimus.

Adfuiſſent pag.7.lin.20.conueniens 9.31.ab aliis,9.32.florēt. 14. 2. hepate.15. 12. addo, 39 4. efficacior. 39.19.perſentiatur 44. 14. habet, 47, 11. ptiſanaque. 47 26. negauit 47. 27. quæ. 55. 12. madefacto. 56. 32. orificium. 62. 26. præſtare 76. 5. æger. 77. 7 decreſcentis.91.19.maximeque 106.1.luem.118.1.vaſe.118.32. ciuitates. 131.31. ſuas.134.1.quantum.134.18.offendit.144 14.abluiſſe.147 15.capitis.184.18.radicale 202.15.in lapidem.412.33.Probaui.418.4.ſequutumque.421.26. Gumma. 423. 3. diſtat. 198.5.externa 204.26.anguſtiis.209.6.criticorum.221.34. quoniam.222.9.imminentis.239.26.theriacalem.253:31. conſeruare.255.27.illæ.262.31.mirari.263.11.cū ſuis. 309. 2 tanquam.316.10.ſincipite.320.2.vltimum. 221. 19. impediunt.229.16.dulcorationes.330.1. contemplati ſuimus 337.28.nos.344.ſumptuoſam.349.11.

Digitized by Google

Digitized by Google

IATROLOGISMORVM, SEV OBSERVATIONVM MEDICINALIVM.

PENTECOSTE PRIMA.

Alui portentoſa exſiccatio.

OBSERVATIO PRIMA.

NATVRAM ſemper gaudere conſuetis aſſeruit Galen. in med. meth. ſed veram non ſemper hanc ſententiam probamus, cum in actionibus ipſius naturæ, quę ſunt teſte ipſo de nat. facul. generatio, auctio, & nutritio, aliquando monſtroſi, aut potius miraculoſi aliquid innoteſcat ferme directè contra illud Plutarchi in ſymp. vbi ait. Quę ſunt ſecundum Naturam, eadem ordinata ſunt, ac definita, cum Natura, aut ordo ſit, aut ordinis opus; tamen multoties ipſa ſine ordine generationem, auctionem, & nutritionem complet, ſine ordine inquam, nam in medicina præſtantes tot, tantaque monſtroſa quotidie videntes non ordinatè, ſed confusè potius eſſe facta exiſtimabunt, cum totaliter regulis natura-

turalibus repugnent. etſi Ariſt. 3. Phyſ. dicat nihil ordine carere, ex his, quæ ſunt à Natura, & ſecundum Naturam.

Aluus ita ordinata eſt in animanti, vt, quotidie cibo, & potui ſumpto reſpondens, per ſeceſſum fęces, perque fiſtulam vrinariam lotium eijciat: quo vitiato confunditur ordo, & ſanitas periculo proxima eſt; attamen ridiculam, ſed in riſu ipſo mirabilem rem narro amici mei, cuius nomen, nè in lucem prodeat defectus, taceo, qui non ſolum decem, quindecim, aut viginti dierum ſpatio incolumis ſine fæcis deiectione ſeruatus eſt, ſed contigit aliquando, aluum ita exſiccatam fuiſſe, vt vſque ad tres menſes ſanus perfectè extiterit. Rideas, & mireris Lector. Roma diſcedens Neapolim petijt, tandem reuerſus eſt Romam, in quo itinere, cum elapſi tres menſes fuiſſent, paruam fęculentiæ quantitatem excreuit, abſque eo, quod dignus eſſet ager Neapolitanus, quod ſuo ſtercore pingueſceret; nec dicas copioſè vrinam fluere, cum ſit potius minoris, quam maioris quantitatis, quam decet.

Ordo hic nullus eſt, ſicut Medici anatomici ſentiunt, cum in cibis ſemper terreſtreitatis magna portio exiſtat, quæ, ſi à robuſta Naturæ vi conuertatur in ſanguinem, proceſſu temporis Natura agendo repatitur magna cum ſanitatis noxa.

Attamen ſenex iſte bene ſemper ſe habuit, & optima nunc fruitur valetudine.

Duo

Duo Lienes.

OBSERVATIO II.

NAtura, ex Plotini ſententia, nihil agit, temere immo finem curat reijciens temeritatem, vt poſſit dici, Naturæ opera ad augendum ſemper, conſeruandumque indiuiduum directa eſſe, eum propter aliquid, & melioris gratia ſemper fiant. Duos Lienes in iuuene mortuo contemplaui, alterum maiorem, minorem alterum. Maiòr conſtitutus in ſuperiori Hipocondrij ſiniſtri regione totaliter à minori ſeiũctus erat, vt vnuſquiſque ſuos ſplenicos haberet ramos. Qua ratione id factum neſcio, ni forte dicas, minorem Lienem maiori ſupplementum fuiſſe, vt humor melancholicus ab Hepate in Lienem pulſus obanguſtiam ipſius alteri Lieni minori deferretur, nè fædans in retroceſſione melancholia fæculentia ſua ſanguinem maximam viuenti noxam eſſet allatura.

Ariſtoteles geminum Lienem viſum fuiſſe aſſerit lib.4. cap.4. de generatione animalium.

Ren Vnicus.

OBSERVATIO III.

QVanquam obſeruationum mearum aliqua à Maioribus noſtris contemplata fuerit, tamen eas, quas hiſce oculis aſpexi ad confirmationem ipſorum hic recenſebo, dubitans quandoque, an omnes illorum obſeruationes veræ ſint, cum ali-

quæ nimis portentoſæ exiſtant, quas ſi non videbo, nunquam credam; potius aliquas circulatorum more dictas eſſe exiſtimabo, vt quidam Chirurgaſter aſſerebat, ſe in Græcia iuueni, abſque vitæ diſpendio Iecur abſtuliſſe, quod quam, vanum, quam fallax, quam ridiculum ſit, Anatomicis contemplandum relinquo.

Ariſtoteles ſupracitatus, lib.4 cap 4. de gen. anim. ait renem alterum quandoque deficere, quod etiam confirmant, Car. Steph. lib. 2. cap. 15. de diſſectat. corp. hum. Fernelius lib. 1. cap. 7. ſuæ Phyſiologiæ, Veſallius, Columbus, & alij, quibus meam obſeruationem adiungo.

Renem vnum in iuuene ſatis carnoſo reperi non in medio ſpinæ, vt ab aliquibus viſus fuit, ſed in parte ſiniſtra; iuſtam quantitatem non excedentem, verum duo infundibula, duoque vreteres ab ipſo origine trahebant alter in ſuperiori, alter in inferiori eius parte, quorum inferior in ſiniſtram, & ſuperior in dexteram veſicæ partem ſupra ſpinam tranſeundo ſeſe inſinuabat.

Vreteres quatuor.

OBSERVATIO IV.

Felix, *quem faciunt aliena pericula cautum.* Adagium commune eſt, cum homines ſæpe ſuo exemplo, ſuaque impenſa diſcere quandoque cogantur id Naturæ euenire ſi quis diceret aliquando magnum non eſſet abſurdum; Natura equidem videns, quod reperiantur ſæpe in corporibus noſtris fodinæ, (vt And. Laurentius lib. 1. cap. 3 hiſtor. anatom. ait) èqui-

è quibus metalla, & lapides eruuntur; non ad ædificandam, ſed ad diruendam domum, hæſitans, nè calculi, lapideſque retenti mortis cauſa ſint, faciliorem quandoque viam inuenit, vt vrina obſtructo vno vretere ex altero defluat: ſed quid dicas in pluribus; certè (Poetarum more loquendo) quod timens Natura lapidum percuſſiones plurima itinera ad ruinam illorum fugiendam ſibi parauerit.

Quatuor vreteres in anatomica ſectione à me obſeruati fuerunt duo in dextero, & duo in ſiniſtro rene, quatuorque vrinæ infundibula, duo in ſuperiori, & duo in inferiori renum parte, vreteres verò duo in ſupremam, & duo circa mediam veſicæ regionem terminabant, ex quibus omnibus copiosè vrina ad infernas partes fluebat.

Fœtus ex veſica aquæ plena aſperæ arteriæ adhęrente in vtero matris mortuus.

OBSERVATIO V.

QVotidie morimur, quotidie enim aliqua pars vitæ demitur, ac tum quoque cum creſcimus vita decreſcit, infantiam amiſimus, deinde pueritiam, deinde adoleſcentiam vſque ad heſternum quidquid tranſijt temporis perijt, nunc ipſum, quem agimus, diem cum morte diuidimus, ait Seneca epiſtola 24. nam cum homo ex Diuo Auguſtino in Matth. euang fragilior ſit vitreo vaſe, mali quædam fatalis portio omnibus noſtris in rebus iam tum admiſcetur cum naſcimur, cum ipſa ſemina ſint mortalia partem huius cauſæ ſuſtinent, vnde prauitas ingenij, morbi, curæ, aliaque fatalia incommoda mortales inſequuntur.

tur. Sed quid dicam in homine nondum nato? Tanta mortis debacchans, effrenataque vis eſt, vt ipſum, vel in matris aluo, nondum ad auras euocatum irreuocabili telo occidere valeat.

Mulierē ſatis laudatæ ſanitatis quinto menſe abortientem vidi, cumque fœtus fere nullam in morte mutationem perſenſiſſet, ipſum ſecui deſiderio impulſus, an aliqua necis cauſa in tam robuſto fœtu innoteſceret, cum ipſius mater valida huiuſmodi abortus nullam afferret cauſam: Secto corpore in cauitate thoracis ſub iugulo dextero lucidam veſicā aqua plenam arterię aſperę adhęrentem inueni, quę copioſa humoris inundatione, quam recipiebat à capite, in pueris valde humido, euentilationem cordis prohibuerat ipſum ſuffocando

Vetula ſeptuagenaria ab adoleſcentia eijciens menſes per os.

OBSERVATIO VI.

NOui cum Pontano hominum labores, noui miſerias, quibus, quid eſſe poteſt ærumnoſius? iure igitur nedum recuſem ſubire velle hominis affectus, perturbationes, ægritudines nec animi minus, quam corporis, humanam vitam miſeror, vt quam omni ex parte infeliciſſimam iudicem.

Miſerrimus homo ſæpe à morbo opprimitur, nec niſi alio morbo ſuperueniente ſoluitur, quod mulieri accidit, quæ cum ab adoleſcentia nunquam, menſtruata fuiſſet incidit in febrem, cum maximi ventris infimi doloribus, donec largè effluxo ſanguine per vomitum ſanata fuerit, verum ſingulis menſibus, vſ-

que

que ad hanc ætatem (nam ſeptuagenaria eſt) ſemper hoc modo menſes excreuit magna cum intuentium, audientiumque admiratione.

Venter varicoſus.

OBSERVATIO VII.

QVanquam mulieres ex magnanimitate, virginitate, deuotione, pulchritudine, clementia, alijſque rebus laudentur, tamen propter generis humani conſeruationem maximopere cõmendantur, mulieres enim Rebuſpublicis immortalem conſtituunt vitam, quod optima ratione intelligens Romanæ Vrbis conditor (vt Albertus in ſua margarita poetica ait) quando fœminis careret, cum Sabinis, bellum graue inire non dubitauit, cognoſcebat enim huiuſmodi imperium, ſi mulieres non affuiſſent, pauciſſimis eſſe duraturum diebus: Verum quanto pulchrior generis humani propagatio exiſtit, tanto difficilior redditur, iuxta illud, difficilia, quæ pulchra, cum mater, non ſolum ante partum oneroſa, in partu doloroſa, & poſt partum laborioſa ſit, ſed quandoque etiam labores, & dolores geminatos ad mortem vſque patiatur. Mulier quædã viginti quinque circiter annorum ob vteri anguſtiam maximè in partu periclitata eſt, ita vt nunquam priſtinæ ſanitati reſtitueretur; ſed tribus poſt partum elapſis annis mortua eſt.

Miſeria, quæ ipſam parientem, & poſt partum excruciauit, hęc fuit. Venæ duæ ſerpentum more volubiles, tortuoſæ, & varicoſæ ab iliacis venis externè ad vmbilicum, vſque aſcendebant, maiori craſ-

ſitu

ſitudine, quàm digiti pollicis, quæ inſpicienti ſimilitudinem literæ Lambdæ Græcorum referebant; maximus deinde, ſecundum mulieris motum fluxus, & r. fluxus fiebat, non ſine magna ipſius patientis læſione; cum enim ſupina decumberet, ſtatim ſyncope corripiebatur: quare neceſſe erat, aut in latus iacere, aut orthopnæicorum modo cubare. Accidit aliquando, vt fortiſſimo deliquio corriperetur, & mortua eſt: ſecto cadauere venas illas alteram ab ilia-ca dextera, alteram à ſiniſtra in vnum coeuntes globum in vmbilici regione obſeruaui, ita vt quaſi in magnam ciſternam terminarent: vmbilicus denique ipſe aperto emerito vaſe (nempe vena vmbilicali) iecur continuo impulſu ſanguinis percutiebat, cum ipſa ſemper menſtruata fuiſſet. Monſtroſum aſpectu, tum ipſa viuente, tum mortua.

Vulneris cephalici mirabilis ſanatio.

OBSERVATIO VIII.

Latiſſimus eſt fortunæ campus, vt Io. Pontan. lib. 2. de fort. ſcripſit, & in his omnibus vires extendere, ſuumque imperium exercere valet, in quibus præter ſpem, opinionem, propoſitum, & conſtitutum aliquid accidere valeat, omninòue improuiſum, & no modo in his patet vis illius, ſed in quocunque hominum gradu, atque conditione, ſumma, humili, ingenua, ſeruili, ruſtica, vrbana, plebeia, ac patricia. Ita latus eſt, vt etiam ſanitas, & mors ſuo imperio regantur, quandoque enim ægri citra ſp. m omnium, aut moriuntur, aut ſanantur.

Iuuenis quidam è Sancto Vito vulneratus fuit inſtru-

ſtrumento (quod vulgo voca tur ſchioppo) à tergo: vulnus autem huiuſce conditionis erat. Pila plumbea, ingreſſa per medium temporis ſiniſtri ſuper aurem, egreſſa eſt per ſiniſtrum oculum, cum laceratione magna, & totali ipſius ablatione, & ſpatio quatuordecim dierum citra ſpem omnium iudicatus eſt. Mirum quanta ſit Naturæ vis, ad indiuiduum conſeruandum, vt vulnus hoc periculoſiſſimum, ac ſi leue, & nullius momenti fuiſſet, ad ſanitatem perduxerit. Audiui etiam à Chirurgo quodam inexperto, ſed ſatis fortunato in vulneribus temporum quandoque dilataſſe, aliaſque operationes Chirurgicas mira felicitate exercuiſſe; quod, quantum ſit à ratione alienum optimis, exercitatiſſimiſque Chirurgis contemplandum deſero, ſubſcribens hic meum diſtichon, quod Medicum oporteat eſſe fortunatum.

Si miſer eſt Medicus, medicamina bina venenant,
Si fortunatus, bina venena iuuant.

Dyſentericorum ſectio.

OBSERVATIO IX.

VEluti apes (vt Plutarchus de tranq.) ex thymo aridiſſima, herbaque aſperrimi ſucci, mel ſuauiſſimum conficiunt, ſic prudentes è rebus ipſis incommodis ſæpe aliquid vtile, & ſibi accomodatum eliciunt. Nuſquam melior ſententia Medicis anatomicis conueniens, quam iſta: dum ex turpitudine, fœditate, & fœtore in ſectionibus adminiſtratis meis ad aliis ægris miſerrimè cruciatis ſubueniendum quandoque colligitur.

 In

In ſectione quampluriмorum dyſentericorum ſanguis in inteſtinis tantum craſſis obſeruatus fuit, cur autem in craſſis ſolum, & non in tenuibus, nulla alia ratione crederem, quam quod humor corrodens in ſuperioribus inteſtinis facillimè fluit, vnde non poteſt fieri excoriatio, & corroſio, vt accidit in craſſis, præcipueque in Colon, vbi propter anfractus, & concamerationes maximopere ſtagnans morbificus humor ſupra modum corrodit tunicas, vnde mucus, & ſanguis effluit. Ideo clyſteres abſtergentes, aquaſque thermales optimas exiſtimarem, ſicut optimas inueni, habita tamen, & non neglecta cauſæ morbificæ (vt Medici omnes prudentiſſimi ſentiunt) ratione.

Mulier quinto menſe ſemper abortiuum faciens Phlebotomia præſeruata.

OBSERVATIO X.

Conſultare circa ea, quæ acciderunt in primis oportet, & tanquam in Talorum iactu, prout accidit, quomodocumque rationem melius habere dicat, negocia diſponere iubet Plato io de Repub. nam cùm remedium aliquando non proficiat ad alterum tranſeundi optimum erit conſilium. Cum prægnantem mulierem quinto menſe vidiſſem abortui proximam, quæ quinquies prægnans abortum ſemper paſſa fuerat, conſiderando primò, quod nihil iuuarent remedia aſtringentia, tum interna; tum topica alias ab alijs Medicis adminiſtrata: ſecundò, quod maximè ſanguis redundaret, ſecta fuit vena cubiti, non ſaphena, ne fieret abortus, & tute nono menſe peperit filium viuum, & vitalem.

Cholera ſanguinea cum maximis ſymptomatibus Lapide hematite curata.

OBSERVATIO XI.

Dixit Ioannes Ouuenus huius ſæculi Martialis Epigrammaton, lib. vnico, loquendo de ſomno, & venere.

Vos conſanguineas lethi dicam ne ſorores,
Somne quies hominum deliciæque Venus?
Indulgere iuuat Veneri, ſomnoq; iacentes:
Sternitur, & dulci lectus vtriq; malo.
Odit ſomnus iners, odit Venus improba lucem:
Eſt animi ſomnus Mors, animæque Venus.

Verum, & animæ, & corporis intempeſtiua, illicitaque venus quandoque mors eſt, ſed relicto de nece animæ diſcurſu Theologis, de corporea loquamur. Cornelius Gallus, vt ait Plin lib. 7 cap 53. & Q. Heterius Eques in coitu mortis fulmina paſſi ſunt. Pindarus ille ſecundum Horatij elogium Lyricorũ Princeps, vt aliqui ſentiunt, in actu venereo animam expirauit; quod Tertullianus in Apol. Speuſippo platonico contigiſſe narrat; multi etiam in aphrodiſio amplexu mortui ſunt, aut ſi non mortui in magna pericula, in graues morbos in lethalia ſimptomata inciderunt, inter quos laterarius quidam Vicouarij enumerandus eſt.

Is, cum ad vxorem ſuam ſatis formoſam nouiter nuptam quotidie circa meridiem diſcedendo à fornace, quæ duobus ferè milliarijs erat longe, proficiſceretur, accidit aliquando media æſtate, dum ipſam

nimio libidinis ardore accenſus cognoſceret, vt ingenti cum mortis periculo periclitaretur. Nam copioſiſſimè per vomitum, & per ſeceſſum ſanguis excernebatur, cum calor, & motus ora venarum aperuiſſent; nec alio nomine iſtum morbum, quam choleram ſanguineam appellarem. Cum ſanguine enim ad duodecim circiter libras eiecto maxima aderant ſymptomata nempè pulſus deperditio, cum deiectione virium, facies hippocratica, ſudor frigidus, & iam deſperatus erat; tamen propinatis cum vino granatorum lapidis hematitis Scrup. quatuor ſtatim ſanatus eſt magna omnium admiratione, quod hic, cui iam feretrum parabatur, è mortis laqueo ereptus cerneretur.

Macula Mali Punici miranda ex Matris malacia.

OBSERVATIO XII.

ET ſi non pauci fuerint, qui mulierum dotes, & excellentias vſque ad aſtra decantauerint, tamē è contra non defuerunt, qui ipſarum turpes libidines, rixas, clamores, vlulatus, veneficia, deſidiam iram, ſuperbiam, inuidiam, gulam, aliaque vitia, ſatyras componendo palam demonſtrauerint, vt Biblia aurea de fallacijs mulierum, Platina contra mores, Remigius Siluanus de mulierum malitia. Rinald. Olan de arte meretricum., Ioſeph Paſſ In defectibus mulierum, Frideric. Fernandius de illecebris mulierum, alijque tum Hiſtorici, tum Oratores, tum Poetæ, quos hic recenſendi locus non eſt, & præcipuè noſtra Etato ira accenſa, & libidine conuicia in ipſas dicendi

tota

tota pruriens, aliqua hetruſco ſermone compoſuit carmina, quæ forſan placente Deo cum alijs Permeſſidos laboribus typis mandata remedium incautæ, creduliquе iuuentuti amoris erunt,& quaſi ſpeculum Rinaldo oppoſitum, vt artibus Armidæ fallacis deceptus Heros ille magnus ſeſe intuendo reſipiſceret. Sed præcipuè ob gulæ intemperantiam maximoperè deturpantur, vt inter cæteros Plautus in Curculione loquentem inducit Lenam anum vini odorem perſentientem.

Flos veteris vini meis naribus obiectus eſt.
Eius amor cupidam me huc prolicit per tenebras.
Vbi vbi eſt, propè me eſt. Euax habeo. Salue anima mi.
Liberi lepos. Vt veteris vetuſti cupida ſum?
Nam omnium vnguentum odor præ tuo nautea eſt.
Tu mihi ſtacte, tu cinnamomum, tu roſa.
Tu crocinum, & caſia es, tu bdellium: nam vbi.
Tu profuſus, ibi ego me peruelim ſepultam.

Hæc plautus. Maximè intemperantes ſunt, & eò magis, cum vtero gerunt: ita auiditatis incendio flagrant, vt perſæpè, ſi citò cupiditas illarum non expleatur, fœdati, maculatique naſcantur infantes. Tam ardens, tam inexplebilis vorago, vt iure poſſit dici.

Dirus amor matrum, & rabies inſignis edendi.

Ad confirmationem hiſtoriarum, quas doctiſſimus vir nūquam ſatis laudatus Petrus Seruius in ſuo Vnguento Armario cap.72.73.& 74.exponit ſimilem fere caſum recenſebo.

Mulier

Mulier ſatis formoſa maculam Mali Punici in clune dextero ob matris malaciam habet, quæ, dum florent balauſtia, rubeſcit: dum fructus ad maturitatem peruenerint, flaueſcit, cum quibuſdam granis miræ rubedinis, ita vt imaginem aperti mali Punici præſeferat: hyberno tempore euaneſcit, ita vt nullum ipſius veſtigium appareat, ac nunquam fuiſſe exiſtimabis, donec redeunte vere florentibus balauſtijs denuò quoquo anno rubeſcat.

Turgidæ venæ ſuffocantes.

OBSERVATIO XIII.

Licet aliquando infelix æger miſerrimè quandoque pereat, vt iure cum Ouid. lib. 2. de Ponto eleg. 6. dici poſſit.

Cum poteram recto tranſire Ceraunia velo,
Vt fera vitarem ſaxa monendus eram.
Nunc mihi naufragio quid prodeſt dicere facto,
Qua mea debuerat currere Cymba via?

Tamen ex inſpectione cadaueris in ſectione ſalutare conſilium cęteris viuentibus ſæpè carpitur: cum medicina, vt coniecturalis ſæpè anceps ſit, medicique etiam, vel probatæ doctrinæ quandoque decipiantur. Aegrum morti proximum, ſemiſopitum, ſine ſenſu, & motu, triginta circiter annorum vidi, cumque aliqua ſpes in phlebotomia illuceſceret, quoniam corpore eſſet quadrato, tamen tenuente ſeniori medico, cum eſſem admodum iuuenis, timenſque illos cum Crinito, quibus iuratum eſt, vt videri velint in

alieno

alieno opere ingenioſi, & qui libidine magis accuſandi, quam rectè iudicandi oculos, linguam, & naſum ſæpè alienis in laboribus introducunt, phlebotomiã conſenſu ipſius reliqui, ipſi adminiſtrando, vt calor natiuus (vt ille aiebat) excitaretur, primo clyſt.med. ligaturas dolorificas, cauterium in nucha, veſicantia brachijs, & tibijs, columbum per dorſum diſſectum, capiti applicatum, abraſis prius capillis, & epithemata cordialia teſtibus, extremis partibus, & vltimò cordi cum vnctione cordiali; quibus omnibus optimè paratis æger mortuus eſt.

Secto corpore nulla in epate, in cerebro, aut in corde lethali noxa percipiebatur; ſed venæ omnes internæ turgidæ ſupra modum ad immenſam magnitudinem excreuerant; ita vt aliquæ venæ in alijs corporibus exiles, ac paruulæ, in iſto cadauere craſſitudinem pollicis æmularentur: quod optimè oſtendit Galenus in commen. aph. 3. ſect. primæ loquendo de habitu athletarum, dum aſſerit: athletarum autem bonus habitus non paruam culpam habet, ſtudere magnam corpori molem adijcere, & (vt liquere poteſt) humorum multitudinem: hi enim apparatus ſunt toti corpori nutriendo, qui, ſi ipſi præſto non adſint, fieri non poteſt, vt corpora ad molem immodicam perducantur. Quare neceſſarium eſt huiuſmodi diſpoſitionem eſſe periculoſam, cum enim vaſa cibis, ac potibus fuerint ſupra modum repleta periculum eſt nè, aut ipſa diſrumpantur, aut calor natiuus ſuffocetur, extinguaturque ſicuti olim, & athletæ quidam, qui cum ad ſummam repletionem veniſſent ſubita morte interierunt: vnde audactior factus in poſterum duo ęgri eodem morbo oppreſſi euacuatione per ſanguinis miſſionem facta, vt ipſemet Gal. paulo poſt indicat priſtinæ ſanitati reſtituti fuerunt.

vomica

Digitized by Google

Vomica in teſtibus mulieris ex antiqua gonorrhœa.

OBSERVATIO XIV.

QVanquam vulgi ſententia ſit gallicum morbum non occidere, tamen meretricius amor rectè cum Martiali temporis noſtri poterit dici.

Spes incerta, timor conſtans, fugitiua voluptas,
Gaudia mæſta, dolor dulcis, amarus amor.

Mos erat antiquis, ſicut etiam hodie, hinc inde ad amoris conſtantiam flores pro muneribus præbere; nuſquam, & vſpiam meliori modo amaſia, vel amans in obiecti amati gratiam ſeſe inſinuabit, quam tribuẽdo illi flores, quibus gallica lues in ſignum deuictæ Veneris, aut Cupidinis ſertum componens, & imponens capiti ſuo glorioſè triumphat Flores equidem, ſed non à Flora potius aquis phlegetontæis à Megera irrigatos dixerim, nam ſiquis, & Titij, & Syſiphi, & Ixionis, aliorumque damnatorum (vt Pſeudotheologiæ antiquæ vates fingebant) pœnæ in vnũ coaceruarentur globum neſcio, an magis, vel minus gallicorum doloribus reſponderent; nouum morbũ eſſe ſemper exiſtimabo, dicat quidquid velit Leonicenus in lib. de morb. gall. alio tempore fuiſſe, nunquam credam; argumenta enim ipſius ferè inualida ſunt, ac nullius probationis. Propter diuinam vltionem mortalibus hanc peſtem irruiſſe neſcio, nam antea fœda libidinis turpitudine maculati homines ad irrumationem, clinopalen, alioſque modos, & obſcænitates inueniendas, nullo parcebant labori: potius

tius quaſi ferulam ad refrænandum, coercendumque illicitæ Veneris concubitum, à Deo, ſicuti à patre in filijs malè morigeratis verberandis inuētam credam. Sed variæ huius morbi ſunt quærelæ, cum aliquando, prætermiſſis alijs, infectis paulatim principalibus membris, præcipuèque cerebro, pectori, vel extremis partibus decidit pluuia: vnde aut leucophlegmatia, aut tabes, deinde mors, abſque eo quod, nec iuncturarum dolores, nec gonorrhœam, nec capillorum defluuium, nec inguinum bubones, nec alia huius morbi lacrymoſa ſymptomata perſentiat meretricijs fraudibus inuolutus miſerrimus amans. Aliquando cum maximis doloribus æger moritur, vt fœminę contigit, quę ex aſſidua gonorrhœa circa vteri regionem atrociſſimos cruciatus patiebatur. Mortua ſecta, vomica in vno quoque teſte inuenta fuit.

Mulier prægnans quinta vice nunquam menſtruata.

OBSERVATIO XV.

ITa vita eſt hominum, quaſi cum ludas teſſeris:
Si illud, quod eſt maximè opus iactu non cadit
Illud, quod cecidit fortè, id arte vt corrigas.

Dixit Terent. in Adelphis Id quandoque etiam naturam facere veriſimile eſt; nam, cum neceſſaria ſit tum fœtui nutriēdo, tum matris ſanitati debito tempore menſtruorum per commoda vaſa excretio, aliquando ſine vlla menſtruorum deiectione, & fœtum vitalem, & matrem bene valentem conſeruat, vt pręgnantem quinta vice mulierem obſeruaui, non ſolum nunquā menſtruatā, ſed etiā probata ſanitate fruētem.

Infortunia morborum.

OBSERVATIO XVI.

QVanquam Socrates dixiſſet. Quæ ſupra nos nihil ad nos, tanquam annuiſſet non eſſe ſpectandos, contemplandos, aut conſiderandos, vt fallaces, & vanos aſtrorum, Cœlique motus; tamen ſecundùm ſententiam D. Thomæ in ſumma contra Gentiles cap. 82. Corpora cœleſtia cauſa ſunt omnis alterationis, & omnis motus in hoc infimo mundo, ſicut Scotus, qui affirmat Stellas habere actiones in Elementis, in rebus animatis; inanimatis, & ſenſitiuis in ſecundo ſentent. def. 14. quæſt. 3 quos mirè ſequitur noſtrorum temporum ingenioſus vir Ioannes Baptiſta Porta lib. 2. Mag nat cap. 17. dum inquit. Non dubium reor infima hæc ſuperioribus ancillari, & ab ætherea natura illa vim quamdam illabi, vt quę mutationi obnoxia ſint rata ſerie, & continua lege corrumpantur. Infortunium alicui membro ſæpius notatum vidimus, cum ferè ſemper homines ex cephalico vulnere mortui omnes cum vna aut pluri cicatrice antiqua inuenti fuerint. Mulieri bis fractam patellam, quę à Gręcis Epigonatis dicitur vidimus, & relictis quamplurimis, Monachum Ciſtercienſem cognoui, qui cum lapidi cubitum fregiſſet, narrabat ſe à puero ſimile infortunium pluſquam decies vſque ad firmam ætatem paſſum fuiſſe ſemper in eadem parte fractionis; nam intuenti cicatrices mirè oſtendebat cubitus infortunatus.

Veſſi-

Veſicæ rotundæ aquoſę ſupra corpus calloſum.

OBSERVATIO XVII.

Non ſic fulminis impetus triſulci,
Non pulſa Scythico ſagitta neruo,
Non ſulcus rapidè cadentis aſtri,
Non fundis Balearibus rotata
Vnquam ſic liquidos Poli meatus
Rumpit plumbea glandium procella;

Vt ait Sidonius quomodo hominum vita leuiſſimè currit, immo in medio curſu fatalis Parcarum Atropos vitale ſtamen inopinatè quandoque reſcindit, vt poſſit cum Horatio Carm. libro 2. od. 13. dici.

Quid quiſque vitet nunquam homini ſatis
Cautum eſt in horas. Nauita Boſphorum
Pœnus perhorreſcit, neque vltra
Miles ſagittam, & celerem fugam
Parthi: catenas Parthus, & Italum
Robur. ſed improuiſa Lethi
Vis rapuit, rapietque gentes.

Sacerdos quidam in fine conſecrationis ſtolidus, cum magna admiratione factus; & paulò poſt tempus apoplecticus breui mortuus eſt. Secto cadaueris capite veſicę aliquot rotundę albidæ humore pituitoſo replętę ſupra corpus calloſum inuentę fuerunt, quas huius lethalis morbi immediatam cauſam fuiſſe, exiſtimatum fuit.

OBSERVATIO XVIII.

Licet in meæ Aerologiæ cap. 10. hunc enumerauerim caſum: tamen vt Alexander Trallianus lib. 2. cap. 1. aſſerit, nè qui in hunc librum inciderint aliunde colligere cogantur, denuò hic ſubſcribam. Cum in Eccleſia D. Franciſci de Paula in Exquilino monte propè Sanctum Petrum ad Vincula magnus puerorum variolis mortuorũ numerus ſepultus fuiſſet; aër ibi concluſus breuiſſimo temporis ſpatio ita peſtilens euaſit, vt; dum pueri ſepeliendi cauſa in tumbam deſcenderet Veſpillo repentè mortuus ceciderit, quem non redeuntem Pater illorum quidam videns, curioſitate impulſus ſcalæ aliquot gradus deſcendit; ſed cum circa medium ipſius ſcalæ fuiſſet, ita venenoſo ab aere oppreſſus fuit, vt quaſi mortuus caderet. Sed meliori, quo potuit modo, aliorum auxilium implorans, ad os ipſius tumbæ, non ſine magna difficultate aſcendit, maximo cum vitæ ſuæ diſcrimine. Quod dũ vidiſſet Veſpillonis amicus quidam temerariè deſcendens in ſepulcrum, ibi diem ſuum clauſit extremum.

Car-

Carbonum fumo ſuffocatus, vitæ reſtitutus.

OBSERVATIO XIX.

QVæ acciderunt, accidere poſſunt; aurea ſententia Fabius ille Romana in Rep. maximus mirè pronunciauit. Cum enim ſecundum Ariſtotelem Rethor. primo è ſimilibus rebus ſimilia euenire conſueuerint, mirandum non eſt, ſi antiqui ſæculi exempla noſtris diebus aliquando redeant. Legeram in Ambroſio Pareo tract. de renunt. Iouinianum Imperatorem media hyeme Romam properantē feſſum de via in Pago Dadaſtanis, qui Bythinos à Galatis diuidit, decubuiſſe in cubiculo recens conſtructo, in quo ob id calcis reſiccandæ gratia magna vis carbonum accenſa fuerat; eam verò noctem illi in vita poſtremam fuiſſe; ſuffocato nempè ipſo de media nocte tetro illo ignis carbonarij vapore. Legeram inquam, & ecce, cum aliquando alia mens cogitabat, accidit ad vnguem idem caſus, ſed contrario exitu, cum iſte ad vitam, ille ad mortem terminauerit.

Ruſticus quidam in ædibus DD. de Mutis propè Eccleſiam Sanctorum duodecim Apoſtolorum, cum ſub fornice cubiculi recenter conſtructi, vt ille, & calce incruſtati carbonem admiſiſſet, atque vna nocte decubuiſſet, mane ferè mortuus inuentus eſt, ſine pulſu, motu, atque ſenſu, totus frigidus cum ſpuma circa os apparente, cumque accerſitus fuiſſem illum è tetro carbonum fumo in corde efferueſcente ſuffocatum exiſtimans, quamuis non videretur adeſſe remedio locus, nam Sacerdotes pro anima diuinum axilium iam iam expiratura implorabāt; tamen audax

factus

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Tumba deleteria.

OBSERVATIO XVIII.

Licet in meæ Aerologiæ cap. 10. hunc enumerauerim caſum: tamen vt Alexander Trallianus lib 2. cap. 1. aſſerit, nè qui in hunc librum inciderint aliunde colligere cogantur, denuò hic ſubſcribam. Cum in Eccleſia D. Franciſci de Paula in Exquilino monte propè Sanctum Petrum ad Vincula magnus puerorum variolis mortuorũ numerus ſepultus fuiſſet; aër ibi concluſus breuiſſimo temporis ſpatio ita peſtilens euaſit, vt; dum pueri ſepelliendi cauſa in tumbam deſcenderet Veſpillo repentè mortuus ceciderit, quem non redeuntem Pater illorum quidam videns, curioſitate impulſus ſcalæ aliquot gradus deſcendit; ſed cum circa medium ipſius ſcalæ fuiſſet, ita venenoſo ab aere oppreſſus fuit, vt quaſi mortuus caderet. Sed meliori, quo potuit modo, aliorum auxilium implorans, ad os ipſius tumbæ, non ſine magna difficultate aſcendit, maximo cum vitæ ſuæ diſcrimine. Quod dũ vidiſſet Veſpillonis amicus quidam temerariè deſcendens in ſepulcrum, ibi diem ſuum clauſit extremum.

Car-

Carbonum fumo ſuffocatus, vitæ reſtitutus.

OBSERVATIO XIX.

QVæ acciderunt, accidere poſſunt; aurea ſententia Fabius ille Romana in Rep. maximus mirè pronunciauit. Cum enim ſecundum Ariſtotelem Rethor. primo è ſimilibus rebus ſimilia euenire conſueuerint, mirandum non eſt, ſi antiqui ſæculi exempla noſtris diebus aliquando redeant. Legeram in Ambroſio Pareo tract. de renunt. Iouinianum Imperatorem media hyeme Romam properantē feſſum de via in Pago Dadaſtanis, qui Bythinos à Galatis diuidit, decubuiſſe in cubiculo recens conſtructo, in quo ob id calcis reſiccandæ gratia magna vis carbonum accenſa fuerat; eam verò noctem illi in vita poſtremam fuiſſe; ſuffocato nempè ipſo de media nocte tetro illo ignis carbonarij vapore. Legeram inquam, & ecce, cum aliquando alia mens cogitabat, accidit ad vnguem idem caſus, ſed contrario exitu, cum iſte ad vitam, ille ad mortem terminauerit.

Ruſticus quidam in ædibus DD. de Mutis propè Eccleſiam Sanctorum duodecim Apoſtolorum, cum ſub fornice cubiculi recenter conſtructi, vt ille, & calce incruſtati carbonem admiſiſſet, atque vna nocte decubuiſſet, mane ferè mortuus inuentus eſt, ſine pulſu, motu, atque ſenſu, totus frigidus cum ſpuma circa os apparente, cumque accerſitus fuiſſem illum è tetro carbonum fumo in corde efferueſcente ſuffocatum exiſtimans, quamuis non videretur adeſſe remedio locus, nam Sacerdotes pro anima diuinum axilium iam iam expiratura implorabāt; tamen audax

factus

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

factus aſſerendo melius eſſe tentare præſidium aliquod, quam ipſum deploratum relinquere (directè contra illud axioma, quod deplorati ſunt prognoſtico relinquendi, nè infamentur præſidia, quæ multis fuere cauſa ſalutis) & vt aliqua fieret vno, & eodem tempore virtutis excitatio, exhalatio, tranſpiratio, & reſpiratio, his remedijs vſus ſum, quibus diuino fauente Numine à mortis falce præoccupatus ab Inferis reuocatus eſt.

Primum ſecta fuit vtriuſque cubiti vena applicatis interim coxis, & cruribus primo cucurbitulis poſtea ligaturis dolorificis, atque eodem tempore in anum ſuppoſitoria glande immiſſa, cumque ſanguis primo non flueret lintea linea aqua calida madida ſuper inciſionem apponi iuſſi, quo facto paulatim ſanguis fluere cœpit, atque in ipſa phlebotomia pulſus aliquo modo rediens indicauit mihi, vt largè effluere ſanguinem permitterem, quod fieri ad duas circiter libras iuſſi: dum hæc agerentur flabello refrigerari aerem iuxta os ſuum mandaui, dum alius ſæpè frigidæ aquę aſperſione à longe vultum percutiebat; Poſtmodum cùm pulſus iam melior eſſet, cauterium in nuca fieri iuſſi; quibus remedijs breuiſſimo tempore conualuit. Sed hìc duo notanda; primùm quantum ex frigidæ aſperſione motum, & leuamen haberet, quod ex igne extremè dolorifico non accidebat. Credo equidem hac ratione, quoniam cor calido vapore oppreſſum efferueſcebat, ideoque ab igne nullus fiebat motus, ſed in frigida irrigatione contrarium erat, quoniam, cùm aqua ſit frigida, & humida, ratione contrariorum calidos, ac ſiccos halitus contemperat, reuocatq. ſpiritus diſſipatus ad cor, vt ait Ceſalpinus de venenis cap. 46. Secundum, quod, etſi Hipp. aph. 43. ſect. 2. affirmet ſuffocatos non referri ad vitam, quibus

ſpuma

ſpuma circa os apparet; tamen Hipp. ſententia erronea non eſt, cum, vt ait Galenus in Comment. eiuſdem aph. non tanquam ſemper intereant, ſed quod contra rariſſimè eueniat, Hipp. ita pronunciet: hoc ſciat Lector, ſententias ipſius neque nimis pertimeſcendas, neque temerè ſumendas, ſed contemplari, an rationi reſpondeant; multoties enim, propter noſtram imperitiam non intelliguntur. Hipp. enim ex numero eorum eſt, qui loquendo, tanquam Oraculum, aut Rex cum maieſtate intelligi vult.

Ventriculus corroſus ſicuti ab igne.

OBSERVATIO XX.

EX *aliis ſumere exemplum ſibi* Iubet Terentius in Adelphis, idcirco optimum eſſe in cardiaca paſſione affirmandum eſt, aſſumere cibum, aut potum aquarum refrigerantium, cum ſpiritu calcanti, etiam in principio acceſſionis, cum cibus, & potus tunc temporis, non vt nutrimentum, ſed vt medicamentum ad bilioſi humoris acrimoniā contundendam propinetur; multoties enim tanquam ab igne corroditur ventriculus, cardiacam patientibus miſerrimis ægris: quod in ſectione anatomica perſpicuum fuit, præcipuèque in iuuene quodam viginti circiter annorum, cui ſpatio viginti quatuor horarum mortuo, ſecto, inuenta fuit interna ventriculi tunica abſque muco, ſicuti ab igne corroſa.

Puer

Puer ſtrumoſus.

OBSERVATIO XXI.

FAbulentur Græciæ ingenjoſi Atlantem Cœlum humeris ſuſtinuiſſe, vt Virg.lib.6. Aeneid.

Vbi Cœlifer Atlas
Axem humero torquet Stellis ardentibus aptum,
Quem ſequitur Statius lib.8. Theb.
Aſtriferumque domos Atlanta ſupernas
ferre laborantem, &c.

Vel Herculem viribus fortiſſimum poſt multas Iunonis nouercæ inſidias, multoſque paſſum labores, Cœlum etiam, vt Lybicum Gygantem, ne laberetur firmiter ſuſtuliſſe, ſecundum illud Claudiani.

Firmior Herculea Mundus ceruice pependit.

Nos etiam noſtro ſeculo (ſi fas eſſet Aonia Lyra canere) Atlantes, & Hercules, non ad ſuſtinendam Mundi machinam, ſed potius, vt Enceladum, aut Tiphœum à mole carnea, inſtar mundani globi, tanquam ab ingenti ſaxo, dirutos, & oppreſſos, miramur; inter quos puer ſtrumoſus duodecim annorum enumerandus eſt, cui ab ineunte ætate ſtruma ſupra humerum ſiniſtrum hinc inde ad pectus, & ad dorſum vergens in tantam molem excreuerat, vt quadraginta ferè libris ponderaret. Mortuo ſecto cadauere, ita firmiter ſtruma coſtis adherebat, vt tranſacta prius atrophia dilatationem ipſarum ad reſpirandum prohibuiſſet. Struma porro ſubſtantiæ cartilaginoſæ erat, vt gladio maximè reſiſteret; ſed mirum audias Lector, quàm rectè, & quàm doctè puer iſte ante mortem loqueretur: credo equidem hoc eueniſſe, quoniam purgato capite, materia ex illo ad ſtrumam

ſtrumam quotidie fluente, optima fieret ratiocinatio.

Vomitus mirandus.

OBSERVATIO XXII.

NIhil propè homini contingere poteſt, quod in ſe non habeat aliquid difficultatis, vt etiam in maxima lætitia ſit quædam, vel parua quærimonia, quædam mellis, & fellis coniunctio. Ita decreuit Apul. 4. Florid. cum enim ex Ariſt. 7. pol. tria bonorum genera eſſe oporteat, externa ſcilicet, corporis, & animi, ſæpè vnum ex ijs deficit, vt in hoc caſu videbimus.

Amiciſſimus quidam meus fortunæ mediocris, nō in diuitijs maximis, neque in ſumma ægeſtate conſtitutus, magna (ſi in terris reperitur) fruitur fœlicitate, cum multa ſint ex ſententia Phocilidis mediocribus optima; quoniam, vt ait Saluſtius, quibus opes nullæ ſunt bonis inuident, malos extollunt, vetera odere, noua exoptant, odio ſuarum rerum mutari omnia ſtudent; turba, atquè ſeditionibus ſine cura aluntur, quaſi diceret infeliciſſimos eſſe, & loquendo de diuitibus. Pro ijs, ait, nos habemus luxuriam, atque auaritiam publice ægeſtatem, priuatim opulentiam, laudamus diuitias, ſequimur inertiam, inter bonos, & malos nullum diſcrimen eſt, omnia virtutis præmia ambitio poſſidet. Amiciſſimus itaque meus, cum mediocris ſit ſtatus totum ad felicitatem cap. ſſendam incumbit animum, quæ ab Horatio deſcribitur epod. 2.

Beatus ille, qui procul negocijs
(Vt priſca gens mortalium)
Paterna rura bobus exercet ſuis

 So-

Solutus omni fœnore :
Neque excitatur claſſico miles truci ;
Neque horret iratum mare .
Forumque vitat, & ſuperba ciuium
Potentiorum limina .

Relictis cæteris (ne tædio Lectori ſimus) quæ ſequũtur: ille enim ad vnguem huiuſmodi vitam gerit; nó illum auaritia, aut ambitio torquet, ſed genio indulgens optimam, fœlicitati proximam tranſigit vitam. Sed roſæ ſpinis, & mella aculeos habent . Sanitas illi probata non eſt, cum quotidie viginti ab hinc annis vomitum moleſtiſſimè patiatur; nã ſurgens è lecto ita turbatus eſt , ac propè ſtolidus, vt interroganti aliquando contraria reſpondeat ; ſed digitis vomitu prouocato , & materia excreta, vſque in diem ſequẽtem benè ſe habet : caput , quod prius doluerat non amplius dolet , nauſea in appetitum conuertitur , & bene concoquendo requieſcit; donec redeunte matutino tempore , ad priſtinum vomitum redire oporteat . Natura enim hanc viam ipſi olim ægro didicit; cum enim chronico morbo laboraret , nec vnquam ſanitati reſtitueretur , immo maximos capitis dolores, nauſeam, & atrophiam , non ſine febre , pateretur , accidit aliquando , vt vomeret , meliuſque ſe haberet; quo facto , vſque ad præſentem diem eodẽ modo proſecutus eſt . Materia quotidie per vomitũ expulſa, alba , nullius ſaporis , ponderoſaque eſt , vt intuenti albumen ouorum præſeferat , ſed in terram prolapſa proceſſu temporis in tartarum conuertitur, & lateres corrodit . Septennem vomitum in puella Sanctorum quatuor Coronatorum abſque vlla noxa obſeruaui non vt iſtum matutino tempore ieiuno corpore ſed ſtatim poſt cibi exhibitionem; cum enim tempore erumpentium menſtruorum nulla fieret eo-

rum

rum euacuatio, Natura portionem cibi, & chyli, qui debuerat in ſanguinem conuerti quotidie per vomitum eijciebat, donec ſeptem elapſis annis tandem erumpentibus menſtruorum fæcibus, vomitum amiſerit, priſtinam acquirens valetudinis benignitatem. Mirum quantum Natura viuentibus opituletur, vt materia primitiua menſtruorum, quæ quantitate obruere, & fœdare natiuum calorem poterat, quotidie ſimili vomitu ſtatim à cibo ſumpto ſine vllo virginis damno ab ipſa eijceretur.

Ex imperitia obſtetricis procidentia vteri cum ſterilitate.

OBSERVATIO XXIII.

IN qualibet arte, & facultate loquendo cum Pontano lib. 1. de fort. ei fides maximè eſt habenda, qui in illa diutiſſimè, ac diligentiſſimè verſatus fuerit, plurimaque etiam expertus, neque enim alia ratione artes inuentæ ſunt; ab experimentis enim ortæ ſunt inſtitutiones, ac præcepta; eaque ab obſeruatione longiſſima ſumpta; longiſſima inquam, cũ hominis vnius vita ad obſeruandum quidquid perfici in arte poteſt, inualida ſit, & impotens. Ideo ſi quid in dies obſeruatur cæteris (ad hoc, vt ars ad ſublimiora faſtigia extollatur) relinquitur; cum ex Platone epiſt. 9. conſiderare oporteat, nullum noſtrum ſibi ſoli natum eſſe; & quod cum Pontano ſupracitato lib. 2. libero nihil eſt homine dignius, quam hominum calamitatibus moueri, ac ſuccurrere, neque aliud, in quo vberiorem ſibi gratiam comparet quã beneficandi ratio, atque voluntas, nam hominum

neceſſitates ridere, ipſiſque, cum poſſis, minimè ſuccurrere quid eſt aliud, quam hominem exuere; & ferarum induere immanitatem.

Sæpius à me animaduerſum fuit ob imperitiam obſtetricis parturientes mulieres maximos paſſas labores, præcipue prolapſum vteri ad infernas partes, cum non molliter, & paulatim, ſed aſpere, ruſticoque modo illas tractent; quod contigit præcipue mulieri cuidam, quæ ob violentam obſtetricis manum vteri procidentia laborauit, adeò vt ſterileſcens nũquam priſtinæ ſanitati reſtituta fuerit; ſicuti etiam ſæpè ob acrimoniam Clyſteris, aut glandis ſuppoſitoriæ propter copiam ſalis gemmæ, vel trochiſcorum Alhand. præcipuè pueri, ani procidentiam paſſi sũt Rectiùs, & tutiùs eſſe exiſtimabo, ſi menſtrua, aut ſecundæ in mulieribus non eijciantur, vel ſi aluus nimium exſiccata fuerit, vti medicamentis laxantibus potius, quam mordicantibus, nè ægrum in grauiſſima pericula ducamus, cum Natura emollientia & laxantia medicamenta facile admittat cum effectu aliquo abſque vlla patientis noxa.

Aura venenata in corporibus noſtris genita vitam de medio tollens.

OBSERVATIO XXIV.

HAec vita cum D. Auguſtino ad Fra. in Erm. eſt humilis, laborioſa, fragilis, & moleſta, caduca, ac miſera, deceptrix, atque doloſa, & ærumnarum plena, in luctu naſcimur, in labore viuimus, & in dolore morimur; cum ſine lite, atque offenſione nihil gignat Natura parens, ſecundum Franciſci Petrar. ſen-

ſententiam. Sic eſt enim, & ſic propemodum vniuerſa teſtantur: rapido ſtellæ obuiant firmamento, contraria inuicem elementa confligunt, terræ tremũt maria fluctuant, aer quatitur, crepant flammæ, bellum immortale venti gerunt, tempora temporibus concertant ſecum ſingula, nobiſcum omnia, ſed nō ſolum aer, elementa, & animantia cum nobis claſſicum canendo bellum gerunt, ſed corpus noſtrum nihil aliud eſt, quam hoſtium inter ſe decertantium miſerrima domus. Sat morti forſan non fuit tot venena ad hominum perniciem fabricaſſe, nam miſeri homines vbi vertuntur vndique ipſa armata ad ſuum interitum reſpiciunt; veluti cultelli parte infecta veneno, parte altera verò non, vt Mercurialis lib. 1. de venenis cap. 77. affert, vel nummo argenteo ad innocentis pueri mortem veneno aſperſo, vel contactu, concubitu, alijſque ſimilibus, niſi ipſa etiam in corporibus noſtris pullularent. Modicæ ſunt hominũ vires, curæ inanes, labor ſupra laborem, & mors crudelis, & ineuitabilis ineſt.

Aura venenata in viſceribus noſtris genita aliquãdo repentè hominem interimit, vt poſſit dici, cum Pontano lib. 2. de fort. vt florum ſic hominum caduca, & fragilis eſt Natura.

Hæc ex aliqua materia putreſcente paulatim ad gradum veneni aſcendente eleuatur quo facto mors ſtatim ſubſequitur, & licet fiat corporum ſectio, tamen noxam lethalem in membris principalibus percipere aliquando non poteris, cum ſit flatus quidam à toto genere præter naturam, abſque eo, quod latitans materia præcipuè in meſenterio nunquam inditium aliquod futuræ mortis ante ipſam oſtẽdat: quod confirmat Gal. in 1. prorrhet. Hipp. comment. 2. dicendo: nam cauſæ aliquæ eorum, quæ in corpore

pro-

procreantur potentia, virtuteque tum virus rabidorum canum, tum læthalia ea medicamenta repræſētant, quæ, etſi in affecto loco nullum protinus, quod notabile ſit, pariant ſymptoma; poſt quatuor tamē, vel ſex menſes, vel longinquiorem temporis vſuram hominem perimunt. Corpulenti verò plus quam alij hanc miſeriam patiuntur. Tutum eſſet, ſi aliquod ſignum, aut ſigni vmbra, aut ſuſpectus perciperetur, alexiterijs vti medicamentis, ad hoc, vt Natura veneno reſiſteret, quod accidiſſe Mithridato Regi ſcimus; qui, cum à Romanis ſuperatus veneno mori decreuiſſet, nunquam ob frequentem ſui antidoti exhibitionem potuit.

Scroti ſphacelati ex gallico morbo non ſine magno vitæ diſcrimine ſanatio.

OBSERVATIO XXV.

MVlier, vt ait Chryſoſtomus, eſt amicitiæ inimica, ineffugabilis pœna, neceſſarium malū naturalis tentatio, deſiderabilis calamitas, domeſticum periculum, delectabile detrimentum, mali natura boni colore depicta, malum omni malo peius, ſic loquitur Agamenon lib. 2. Odiſſeæ apud Homerum.

Nihil fæmina grauius; nihil peius.

Quod confirmat Seneca in Hyppol. dicens,

Dux malorum fæmina, & ſcelerum artifex.

Quid ſi antiqui gallicam luem cognouiſſent? Certè homines ſicut aues ab ipſis illaqueatos dixiſsēt, quod mirè profert Plautus in Aſinaria Lenam hoc modo iuuenem alloquentem inducens.

Non tu ſcis? hic noſter quæſtus aucupij ſimillimus eſt.

Au-

Anceps quando concinnauit aream effundit cibum.
Aues aſſueſcunt. Neceſſe eſt facere, ſumptum, qui quærit lucrum.
Sæpe edunt, ſemel ſi ſunt captæ rem ſoluunt aucupi.
Itidem apud nos. Aedis nobis area eſt, anceps ſum ego.
Eſca eſt meretrix, lectus illic eſt, amatores aues.
Bene ſalutando conſueſcunt, compellando blanditer,
Oſculando, oratione vinnula, venuſtula.

Donec miſeri quaſi turdi edaces amoris meretricij cauſa acerbiſſimas dent pœnas, quorum vnum hic enumerabo.

Iuuenis quidam, cum mulierem gallica lue affectã quotidie cognoſceret, poſt leuem quamdam gonorrhæam ſcroti inflammationem paſſus eſt, quam paulo poſt corruptio, & putrefactio conſecuta eſt febre maligna ſuperueniẽte, donec iam lethalibus ſymptomatibus correptus, triduo abſque cibo, & potu ſteterit, ab omnibus iam, præterquam à Sacerdote derelictus Tranſacto tertio die ſcrotus vndique corruptus paulatim cecidit, remanentibus interim teſtibus nudatis, qui carnea quadam tunica pellis inſtar poſtmodum à Natura cooperti fuerunt, & pauca cæpit comedere, tandem triginta circiter dierum ſpatio iudicatus, & gallico morbo liberatus, in poſterum optimam ſanitatem conſecutus eſt.

Aquæ acetoſæ (vulgo) dictæ incommoda.

OBSERVATIO XXVI.

QVamuis multorum ſententia ſit aquam acetoſam, quæ extra portam Flaminiam iuxta Tyberis vndas fluit, morbis omnibus optimam eſſe aſpiciendo carmina, quæ ibi ſcripta ſunt, nempe.

Re-

Digitized by Google

procreantur potentia, virtuteque tum virus rabidorum canum, tum læthalia ea medicamenta repræſẽtant, quæ, etſi in affecto loco nullum protinus, quod notabile ſit, pariant ſymptoma; poſt quatuor tamẽ, vel ſex menſes, vel longinquiorem temporis vſuram hominem perimunt. Corpulenti verò plus quam alij hanc miſeriam patiuntur. Tutum eſſet, ſi aliquod ſignum, aut ſigni vmbra, aut ſuſpectus perciperetur, alexiterijs vti medicamentis, ad hoc, vt Natura veneno reſiſteret, quod accidiſſe Mithridato Regi ſcimus; qui, cum à Romanis ſuperatus veneno mori decreuiſſet, nunquam ob frequentem ſui antidoti exhibitionem potuit.

Scroti ſphacelati ex gallico morbo non ſine magno vitæ diſcrimine ſanatio.

OBSERVATIO XXV.

MVlier, vt ait Chryſoſtomus, eſt amicitiæ inimica, ineffugabilis pœna, neceſſarium malũ naturalis tentatio, deſiderabilis calamitas, domeſticum periculum, delectabile detrimentum, mali natura boni colore depicta, malum omni malo peius, ſic loquitur Agamenon lib. 2. Odiſſeæ apud Homerum.

Nihil fæmina grauius; nihil peius.

Quod confirmat Seneca in Hyppol. dicens,

Dux malorum fæmina, & ſcelerum artifex.

Quid ſi antiqui gallicam luem cognouiſſent? Certè homines ſicut aues ab ipſis illaqueatos dixiſsẽt, quod mirè profert Plautus in Aſinaria Lenam hoc modo iuuenem alloquentem inducens.

Non tu ſcis? hic noſter quæſtus aucupij ſimillimus eſt.

Au-

Anceps quando concinnauit aream effundit cibum.
Aues aſſueſcunt. Neceſſe eſt facere; ſumptum, qui quærit lucrum.
Sæpe edunt, ſemel ſi ſunt captæ rem ſoluunt aucupi.
Itidem apud nos. Aedis nobis area eſt, anceps ſum ego.
Eſca eſt meretrix, lectus illic eſt, amatores aues.
Bene ſalutando conſueſcunt, compellando blanditer,
Oſculando, oratione vinnula, venuſtula.

Donec miſeri quaſi turdi edaces amoris meretricij cauſa acerbiſſimas dent pœnas, quorum vnum hic enumerabo.

Iuuenis quidam, cum mulierem gallica lue affectã quotidie cognoſceret, poſt leuem quamdam gonorrhæam ſcroti inflammationem paſſus eſt, quam paulo poſt corruptio, & putrefactio conſecuta eſt febre maligna ſuperueniẽte, donec iam lethalibus ſymptomatibus correptus, triduo abſque cibo, & potu ſteterit, ab omnibus iam, præterquam à Sacerdote derelictus Tranſacto tertio die ſcrotus vndique corruptus paulatim cecidit, remanentibus interim teſtibus nudatis, qui carnea quadam tunica pellis inſtar poſtmodum à Natura cooperti fuerunt, & pauca cæpit comedere, tandem triginta circiter dierum ſpatio iudicatus, & gallico morbo liberatus, in poſterum optimam ſanitatem conſecutus eſt.

Aquæ acetoſæ (vulgo) dictæ incommoda.

OBSERVATIO XXVI.

QVamuis multorum ſententia ſit aquam acetoſam, quæ extra portam Flaminiam iuxta Tyberis vndas fluit, morbis omnibus optimam eſſe aſpiciendo carmina, quæ ibi ſcripta ſunt, nempe.

Re-

Renibus, & ſtomacho ſpleni, iecorique medetur.
Mille malis prodeſt iſta ſalubris aqua.

Tamen non illam, quæ ex huius aquæ potu vtilitatem ſibi pollicentur homines conſequuntur, cum ſæpius obſeruatum ſit huiuſmodi aquæ potatores in hydropen incidiſſe, cum enim Natura ad largè bibēdum aſſueſcat, poſtea homines vexante ſiti à potu immoderato abſtinere nequeunt, vnde hydropici, & cachectici facti miſerrimè pereunt. Auriga quidam iuuenis, qui adhuc, ſed infeliciter viuit, ex huius aquæ frequenti hauſtu, cum prius bene ſe haberet, nunc calculo veſicæ laborat. Cum tamen omnium hominum opinio contraria ſit, quod calculis, tam renum, quàm veſicæ maximè opituletur. Vulgi ſententia quandoque erronea eſt, ſicuti aquæ tyberinæ potus ab aliquibus optimus exiſtimatur; cum tamē aqua peſſima ſit. nam multarum aquarum etherogenearum coaceruatio eſt, et ſi intus ſumatur, non ſine magna ſanitatis noxa propinatur.

Dilatatio veſicæ ter obſeruata ſemper in mortem deſinens.

OBSERVATIO XXVII.

Sicut Mercator tranquillum mare, Miles victoriā, Auarus opes, ita æger ſanitatem optat, ſed aliquando non ex voto ſanitas aliquando diu expectata ſuccedit, & ſicut ait Horat. in Canidiæ reſponſione, dum ait.

Ingrata miſero vita ducenda eſt, in hoc.
Nouis vt vſque ſuppetat doloribus.
Optat quietem Pelopis inſidus pater,

Egens

Egent benigne Tantalus ſemper dapis.
Optat Prometheus obligatus aliti.
Optat ſupremo collocare Siſyphus.
In monte ſaxum, ſed vetant leges Iouis.

Ita poſſet dici ægrotantibus, & præcipue ijs, qui dilatationem veſicæ patiuntur, quibus paulatim minuitur vrina, & ſupprimitur, vt nequeant, niſi immiſſa fiſtula mingère, & pedetentim poſt dilatationèm inflammatur veſica, corrumpitur, & ſphacelatur, donec moriantur. Tres hoc morbo interemptos vidi, quibus veſica ad vmbilicum vſque extenſa erat vt maximam vrinæ quantitatem viginti circiter libras quandoque retineret.

Morbus initio leuis videtur eſſe momenti, cum paruo tumore intra pecten, & vmbilicum eleuato, qui, dum æger per fiſtulam mingit euaneſcit, & liberati cenſentur, cum melius ſe habeant, & ſint ſine febre, ſed omnes poſtea moriuntur.

Tertianarius quidam quartadecima die optimè iudicatus xv. die cholera ſuperueniente mortuus.

OBSERVATIO XXVIII.

Hoc præcipuè gloriari poteſt humana conditio, vt inquit Ioannes Picus in Hept vt illi ſeruire nulla creata ſubſtantia dedignetur, huic terra, & elementa, huic bruta præſto ſunt, & famulantur. huic militat Cælum, huic Angelicæ mentes ſalutem, bonumque procreant. Sed ex D. Auguſt. in pſal. 29. omnis hominum abundãtia eſt calamitas, ac miſeria.

Digitized by Google

Omnes vna manet nox,
Et calcanda ſemel via lethi.
Dant alios Furiæ toruo ſpectacula Marti.
Exitio eſt auidis mare Nautis.
Mixta ſenum, ac iuuenum denſantur funera; nullum
Sæua caput Proſerpina fugit.

Immo, dum è mortis falce ſe ereptos credunt ab ipſa ènecantur.

Iuuenis quidam febre tertiana ſimplici laborans ſeptimo circuitu iudicatus eſt, vt ſanum ipſum firmiter cenſeremus, cum decimaquarta die perfectè iudicatus fuiſſet, tamen decimaquinta die noctu repētè cholera correptus cum deiectione virium, pulſu myuro, facieque Hippocratica, infra decem horas periit. Deliteſcunt in corpore noſtro putredines, quæ differentes à febrium putredine virus rabidorum canum repræſentant, & longo temporis ſpatio interimunt, vt dixit Gal. à me ſupracitatus in obſeruatione 2. adeo, vt in quantum attinebat ad tertianam perfectè iudicatus eſſet, ſed in quantum latitabat venenum differens à tertianaria putredine mortuus eſt.

Arteriotomia temporum Phreniticis optima.

OBSERVATIO XXIX.

Demens eſt artifex ille, qui non à ſuis operibus, ſed aliunde honorem expectat. Sic comprobat Marſilius Ficinus lib. 4. epiſt. quoniam, vt ipſe in Plat. ait, Nemo vnquam aliquam artem, aut inueni-

re,

re, aut diſcere poteſt, niſi inueſtigationis oblectatione, & inueniendi deſiderio excitetur: cum itaque in dolore oculorum præcipuè ex cauſa calida arteriotomiam temporum a ſcholaſticis autoribus comprobatam optimam inuenirem, eandem etiam in phreniticis magna cum felicitate expertus ſum. Tanta eſt arteriȩ temporum ſectio, vt ab ipſa vexati ſtatim aliquando reſipiſcant, & breui tempore conualeſcãt. Ratio in promptu eſt, quoniam ignei, & vaporoſi humores illi, qui vrinas albas linquendo ex hypochõdrijs caput petentes meninges inflammant, arteriotomia refrigerantur magis, quam venæ ſectione.

Mulier cachectica parenchymatibus multis obſtructis exercitio plus, quam alio ſanata.

OBSERVATIO XXX.

CORporis habitus ocio, ac torpore corrumpitur, exercitatione vero, ac motu plurimum conſeruatur, ita docet Plato in Theet. ignauia enim ex ſententia Corn. Celſi lib. 2. corpus hebetat, labor firmat.

Cum mulier quædam duodecim ab hinc annis male ſemper ſe haberet, & quotidie, quantò plus medicamina adhiberet in deterius laberetur cum Iecur, Lien, Meſenterium, totumque denique Hypochõdrium ita obſtructum, & durum eſſet, vt tangenti non ſecus, quam ſaxum aliquod præſeferret (Si eam vidiſſes Lector intra menſem ad ſummum moriturã affirmaſſes) Ipſi ne deplorata cenſeretur, & vt ali-

Digitized by Google

quo leuaretur ſolamine iuſſi, vt quotidie (nam plus quam opus erat ocio indulgebat) ſeſe ambulando excitaret, quo facto in poſterum venter emollitus eſt; & quamuis nunc viuens vetula admodum ſit, tamen hac regula ſatis commoda fruitur valetudine.

Cor torrefactum in iuuene febre ardentiſsima mortuo repertum.

OBSERVATIO XXXI.

Heu quam breuis occidit ætas! Martialis lib. 6. epig. in Rufi morte non ſine lachrymis cecinit, cum ipſa ex Seneca in Thebaide

Sagitta qualis parthica velox manu
Excuſſa fertur, qualis inſano ratis
Premente vento rapitur, aut qualis cadit
Delapſa Cælo ſtella cum ſtringens Polum
Rectam citatis ignibus rumpit viam.

Iuuenis quidam intra triduum febre ardentiſſima, maximiſque ſymptomatibus correptus mortuus eſt. Secto corpore cor torrefactum Pyri toſti imaginem repræſentans abſque vlla Pericardij aqua inuentum fuit. Quod ad vnguem aliquando notauit Iordanus lib. 1, cap. 16. de peſte Phenom.

Pulſus

Pulſus diuerſiformes.

OBSERVATIO XXXIII.

*Istuc eſt ſapere, non quod ante pedes modo eſt
Videre, ſed etiam illa, quæ futura ſunt,
Proſpicere, &c.*

Rectè aſſerit Terentius in Adelphis. Ideo in tactu pulſus optimum eſſe, ſicuti Medici omnes ſentiunt, vtroſque pulſus tangere, cum ſæpè, aut ob decubitum, aut ob aliquam cauſam pulſus ſint diuerſiformes.

In iuuene quodam capitis leui dolore correpto pulſus dexteræ manus rectè ſe habebat; ſiniſter autem peſſimus, omnique parte inordinatus erat, quem cũ tetigi miratus ſum, ſed ſtatim obſtructionem alicuius materiæ circa arteriam axillarem eſſe, & ab ipſa confuſionem ſpirituum vitalium fieri cogitaui; non intrã cauitatem thoracis, nam facilè febris accenſa fuiſſet; quod pulſus dexter rectus non indicabat; non in brachio, nam facilè viſu, aut tactu cognoſci poterat; & ecce vocatus Medicus quidam, tangendo tantum ſiniſtræ manus pulſum deploratum me præſente iudicauit. Quo facto illum vocaui, & me rogante dexterum pulſum tangendo obſtupuit. Sequenti die apoſtema ſub axillæ glandulis in cordis (vt aiunt) emunctorijs conſpicuum fuit, ſubitoque pulſus ſiniſter ad naturalem ſtatum pulſui dextero conformis redijt.

Epilepticorum optimum remedium.

OBSERVATIO XXXIII.

QVis neſcit Medicum (vt Beroaldus inquit) ad omnes totius ciuitatis ordines, ad omnem ſexum, ad omnem ætatem pertinere, cum ſummatibus, infimatibus, viris, fæminis, ſenibus, pueris, ægrotare contingat, cum omnes ex hoc vtilitatem indiſcriminatim petant, meritoque dici poteſt, Medicum rerum communem terrarum eſſe; & profectò, ſi vera reſpicimus, ſi cunctà curioſè perpendimus, ſola Medicina, ſolaque Medico opus eſt omnibus. Verum quanto vtilior Medicina Reipublicæ eſt, tantò difficilior, cum, vt alias dixi: vnus homo eam perfectè aggredi nequeat, poſſitque dici cum Virgilio in Pharmaceutria

Non omnia poſſumus omnes.

Cum quotie experientia faciliorem artē reddat. Ideo vt probat Bartholomæus à Chaſſeneo 28. conſideratione decimæ partis inter plures Doctores præferuntur, qui libros compoſuerunt, cum ſint maximo honore digni, cum ſint velut Stellæ in fiemamento Cæli, Daniel 13. Non enim (vt paulo poſt ſubdit) ſolum ſibi laborant, ſed omnibus exquirentibus veritatem, & ſemen eorum in chartis perpetuo manet, & quilibet Lector inde metens poteſt ſumere incrementa, vt mihi contingit.

Cum epilepticus quidam piſcator bis, ter, & ſæpius quotidie quandoque tali morbo corriperetur, nec radix Peoniæ, Cranium humanum, Alcis vngula, alia-

aliaque remedia à multis Auctoribus enumerata tentarent, accidit forte, vt legere in historia plantarum Fabij Columnæ, in cap de Phu. Dioſcoridis hęc verba. Præter has vires plantæ huic tributas addo, & hanc proprietatem iamdiu in multis, atque memetipſo expertam, vt pulueris radicis plantæ huius ſpōtè ortæ extirpatæ, antequam caulem edat cochlearij dimidium cum vino, aqua lacte, aut alio quouis decenti ſucco, & ægroti commoditate, & ætate ſemel ſumptum, aut bis Epilepſia correptos liberet, hāc exhibendam pueris, & præſertim infantibus hoc morbo facilè laborantibus, quibus lacte propinandū puluerem iuſſi, amicis dono dedi, qui deinde diuino prius Numine fautore glorificato, puluere huius plantæ illis reſtitutam ſanitatem affirmarunt. Hoc, & alijs adultis nonnullis. Hęc ſunt ipſius verba, & & ſicut ipſe iubet, ita dedi, & ſanatus ęger eſt, & in poſterum feliciter hoc remedio vſus ſum; ſed aduertas lector, vt planta ſit ſpontè orta, efficacior enim eſt, quam ſata, & extirpata, antequam caulem edat: virtus enim tota in radice eſt; ſi alia alio modo vtaris, inualidum remedium erit, non ſuperſtitione aliqua vt fœminæ facillime crederent, ſed Phyſicis rationibus ſupracitatis.

Triplex Tertiana.

OBSERVATIO XXXIV.

P*Allida mors æquo pulſat pede pauperum tabernas, Regumque turres.*

Ideo genio indulgendum, & ad gaudia carpenda Horat. lib. 1. carm. od. 4. Sextium hortabatur, quem ſaqui-

quitur Martialis Epigram. lib. 10. dum mortem, nec appetendam, nec timendam his verbis concludit.

Vitam quæ faciunt beatiorem
Iucundiſſime Martialis hæc ſunt:
Res non parta labore, ſed relicta,
Non ingratus ager, focus perennis
Lis nunquam, toga rara, mens quieta,
Vires ingenuæ, ſalubre corpus,
Prudens ſimplicitas, pares amici,
Conuictus facilis, ſine arte menſa,
Nox non ebria, ſed ſoluta curis,
Non triſtis torus, attamen pudicus,
Somnus qui faciat breues tenebras,
Quod ſis eſſe velis, nihil que malis,
Summum nec metuas, diem nec optes.

Hanc vitam, quantum potui, ſequi conatus ſum, ſed non ex voto omnia ſuccedunt; cum enim eſſem alienis iuribus addictus, neceſſe mihi fuit quandoque, diuerſas Europæ partes peragrare, uon ſine magna ſanitatis (vt peregrinantes plusquam alii experiuntur, & ſciunt) læſione, neque illam, quam Martialis hic deſcribit felicitatem vitæ conſecutus ſum: immo potius fortunæ ludibrium in graues, maximis cum moleſtiis, morbos incidi, inter quos vnus fuit à Gal. enumeratus lib. 2. de criſibus cap. 7. ideſt triplex tertiana, quæ ad vnguem, vt ab ipſo enumeratur, in memetipſo ſolum, non in aliis expertus ſum: excepto hoc, quod v. g. prima tertiana, nondum terminata, ſecunda aderat, ſed ſecunda conſumata quietem habebam, donec adueniente tertia, non magni momenti, vt prima; & ſecunda, in maiorem quietem deſi-

deſinebat, ita vt intra primam, & ſecundam nulla daretur quies, intra ſecundam verò, & tertiam, & intra tertiam,& regreſſum primæ optimè intermiſſione quieta fruerer. Quæ febres in duas tertianas intermittentes conuerſæ poſtmodum chronicæ factæ exetcitio pluſquam alio medicamine fugatæ euanerunt.

Vulneratus lapide in pectore pet triduum aphonus redditus Phlebotomia ſanatus.

OBSERVATIO XXXV.

Quam benè Saturno viuebant Rege, priuſquam
Tellus in longas eſt patefacta vias.
Nondum cæruleas pinus contempſerat vndas,
Effuſum ventis, præbueratque ſinum.

Et paulo poſt Tibullus lib. 1. in eadem Elegia 3.

Nunc Ioue ſub domino cædes, & vulnera ſemper;
Nunc mare, nunc lethi, mille repente via.

Vt poſſit meritò cum Iuuenale dici,

Sed iam ſerpentum maior concordia: parcit,
Cognatis maculis ſimilis fera. Quando Leoni,
Fortior eripuit vitam Leo? quo nemore vnquam
Expirauit Aper maioris dentibus Apri?
Indica Tigris agit rabida cum Tigride pacem
Perpetuam: ſæuis inter ſe conuenit Vrſis.

Ita homo crudelis, & bellorum amator eſt, vt atrocior, quam feræ omnes pacem fugando alieno ſanguine gaudeat. Non enim amplius homines hominũ cauſa generati ſunt, vt ipſi inter ſe alij alijs prodeſſe

poſſint, ſed continua bella gerendo alij alijs damnũ, & interitum pariunt.

Miles quidam ab alio milite lapide vulneratus fuit in pectore, ita fortiter, vt iam exhalantem animam ipſum viderem; tamen ne æger nullo tentato remedio miſerrimè periret, atque ne ſanguis maxima ſui copia vitalem facultatem obrueret, phlebotomiam brachij illico iuſſi, qua facta melius ſe habuit, ſed per triduum aphonus, ideſt ſine voce, remanſit. Tertio die elapſo vox redijt, & magno cum omnium ſtupore ſurgens è lecto optimè conualuit.

Senex ſeptuagenarius pleuriticus Diarrhœa ſanatus.

OBSERVATIO XXXVI.

SIcut Horatius Carm. lib. 1. od. 5. ex amore Pirrhæ, tanquam ex naufragio ſe ereptum his verbis prædicat,

Me tabula ſacer
Votiua paries indicat vuida
Suſpendiſſe potenti
Veſtimenta maris Deo.

Ita ſeptuagenarius Senex Pleuriticus dicere poterat: diarrhœa enim ſuperueniente magno cum omnium ſtupore iudicatus eſt; nam in tam ſene, pèrque loca inconuenientia criſis, & liberatio facta erat.

Valleriola eodem morbo laborantem copioſo alui fluxu ſanatum exponit lib. 1. obſer.

Vo-

Vomica in Hepate.

OBSERVATIO XXXVII.

GEneroſum eſt aliquando alterius dictis parere vt iubet B. Ignatius.

Nulli, vel minimo quauis ratione repugnes,
Cedere te potius, quam ſuperare iuuet.

Vel, vt ait Ouid. lib. 2. de arte amand.

Cede repugnanti, cedendo victor abibis.

Quoniam, vt ait Tullius, eſt non modo liberale paululum nonnunquam de ſuo iure cedere, ſed interdum etiam fructuoſum. Verum regula iſta potius ad fundandas amicitias, quam ad alia vera eſt; Vrbanitas enim, & affabilitas maximopere in obſequio conſiſtunt. Sed cum de rebus arduis (ſicut in medicina de vita hominum) diſputatur, obſtinatis quandoque aduerſari maximè neceſſarium, & glorioſum erit; eoque magis reſurget ſplendor, quando exitus acta probat, & magna conſolatio eſt, ſicuti ſcribit Cicero ad Toranium, cum recordamur, etiam ſi ſecus acciderit, nos tamen verè, recteque ſenſiſſe.

Cum æger temperamēto librioſo triginta quinque circiter annorum corpore ſqualido inflammatione hepatis laboraret, Medicus ex numero eorum, qui magnæ admirationis ſunt, quoad pondus ſcilicet, pleuritide excruciari eum aſſeruit, & temerè vſque ad patientis mortem ſuæ opinioni abſque vlla ratione adhærebat, deceptus forſan, quia aderat febris, pulſus durus, difficultas reſpirandi, & dolor in ſuperiori parte thoracis; quibus ſignis, quaſi vere pathognomonicis, calidis remediis vſus eſt; me ſemper

F 2 re-

renuente;dicebam enim in maximum diſcrimen ægrũ nos eſſe allaturos, ſi talia ipſi exhiberemus: dminiſtranda potius eſſe refrigerantia, quæ igneitatem hepatis aliquo modo extinguerent. Anatomica enim ſectio, qua polleo, alias mihi annuebat indicationes: ex qualibet enim inflammatione, etiam minimi digiti fieri poteſt febris: inflammato ſuſpenſorio hepatis per conſenſum, cum ſit membrana, poteſt fieri pulſus durus; difficultas porrò reſpirandi, & dolor pectoris circa clauiculam dexteram non magnæ erant conſiderationis; cum enim hepar communicetur peritoneo, indeque cum pleura, quæ nil aliud eſt, quã vitalium partium peritoneum, mirum non eſt, ſi ipſo accenſo dolor circa clauiculam perſentiatur, & difficultas adſit reſpirandi.

Aderant præterea alia ſigna, quæ ſi accuratè ab illo ignauiæ, & ambitionis craſſo farcimine enucleata fuiſſent, æger ille forſan viueret, ſicuti dolor acerbus ſupra regionem hepatis, calor immodicus, vomitus bilioſus cum cardialgia, diarrhœa bilioſa, poſtmodum dyſenteria cum ſiti, vigiliaque intolerabili, atque totius corporis emaciatione, tandem poſt quindecim dierum ſpatiũ magna puris graueolentis quãtitas per aluum excreta fuit, quam paulo poſt mors ſubſequuta eſt.

Secto meis manibus cadauere D Nicolaus Larcheus eximiæ famæ Chirurgus ſe hunc caſum alias vidiſſe aſſeruit, vomica enim in hepate cum maxima puris coaceruatione inuenta fuit, obmuteſcente illo Silenophoro. Similem fluorem, ſed cum diuerſo exitu accidiſſe Illuſtriſſimo Domino Annibali Bentiuolo à Tiberio à Fonte exercitatiſſimo Medicinæ Doctore audiui. Ille enim cum dolore ſupra vmbilicum circa ventriculi fundum vexaretur copioſa puris deiectione

ne per ſeceſſum liberatus eſt.

Cum tamen quidam inurbanè pus eſſe negaret, aſſerens in meſenterio nullam conſpicuam cauitatem eſſe, & nullum abſceſſum ibi fieri poſſe. Quod quã vanum ſit legentibus ſequentem obſeruationem relinquo abſque aliis argumentis, ne Lectorem longitudine diſcurſus ſuffocemus; nàm ſi ſub oculo nulla cauitas conſpicua eſt, & calculus ibi oritur, referat mihi rationem, quare materia apoſtematum fluidior, quam calculi materia, in meſenterio, vbi multæ venæ, & multę tunicę ſunt (cum cauitatibus, ſi optimè inſpicimus) coaceruari non poſſit.

Rationem nullam reddidit, ſed quia ſuæ leui opinioni innitebatur, in terram corruit.

Calculus ſub oculo natus, per os eiectus.

OBSERVATIO XXXVIII.

Non tot attica mella, littus algas,
Montes robora, Ver habet colores,
Non triſtis Hyems riget pruinis,
Autumnus grauidis tumet racemis,
Non tot ſpicula Medicis pharetris,
Non tot ſigna micat iacente noctu,
Non tot æquora piſcibus natantur,
Non Aer tot aues habet ſerenus,
Non tot Oceano mouentur vndæ,
Non tantus numerus Libiſſæ arenæ.

Vt inquit Marullus, quot infortunia & morbi homines excruciant. Forte parum erat lapides ad miſeriã humanam augendam in renibus, veſica inueniri niſi ipſa

ipſa in cæteris corporis partibus pullularent. Calculum ſub oculo natum in muliere vidi, qui non ſine dolorè paulatim ſupra maxillam ſuperiorem deſcendens, tandem per os excretus fuit: lapis vero cineritii coloris maximam duritiem habebat.

Melonum pernicies.

OBSERVATIO XXXIX.

Nunquam ita quiſquam bene ſubducta ratione ad vitam fuit,
Quin res, ætas, vſus ſemper aliquid adportet noui,
Aliquid moneat, vt illa, quæ te ſcire credas neſcias,
Et quæ tibi putaris prima in experiundo repudies.

Ait Terent. in Adelphis.

Cum ego, vt vulgus ſentit, Melones omnibus fructibus anteponendos crederem, experientia comprobaui omnibus poſtponendos eſſe, cum ingeſti ſæpe magnorum morborum, & mortis quandoque cauſa ſint.

Iuuenis quidam, cum in cibis, plus quam conuenit, melonibus vteretur, aliquando in choleram incidit, & breui horarum ſpatio mortuus eſt. Secto corpore infinita porraceæ bilis copia in cyſti fellea, ſtomacho, atque inteſtinis inuenta fuit: caueant igitur quantũ poſſunt homines, ne poſtmodum in maxima pericula incurrant, optime enim hoc iubet Cardanus de malo medendi vſu cap. 7. his verbis. Cum vèro conſideras paruitatem radicis, & ſtipitis eximiæ magnitudinis eius habita ratione, & quam proximus terræ ſit, & quod ſuper eam perpetuò iacet, & quod ab omni

aeris qualitate permutatur, & quod augmētū eius eſt velociſſimum, confiteri cogeris melonem nil aliud eſſe, quam putridum terræ humorem aliena qualitate coloratum, vitia omnia habentem, noxium ventriculo, iecori, ſpleni, inteſtinis, pulmoni, renibus veſicæ, humores non ſolum putridos, ſed venenoſos, fluxuſque facientem; ad febres acutas peſtilentiales, ad apoſtemata, ad dolores, ad difficultates inteſtinorum paratiſſimum, à nullo Authore, quanquam egregiè tamen, ſatis vituperatum; noxas omnes horarii fructus tanto habes ampliores, quāto eius magnitudo, ſucci multitudo, paruitaſque cauſæ concoquētis omnibus aliis fructibus maior eſt. Adde quod nulli potui rectè ſociatur, nam cum vino humores peſſimos producit, veſicæ maxime obeſt, & iecori, & renibus, & phlegmones gignit: cum aqua leuitates inteſtinorum Cœliacum morbum, difficultates inteſtinorum appetitus deiectionem ſubitò operatur. Quod autem Hippocrates conſulit rectum eſt, vt parum deterior, non multo deterior cibus ſit præeligendus: bonitas autem ſaporis; & odoris manſuetudo in eodem genere, vbi ad iudicandam ſalutarem vim multum proficiunt. at in diuerſis generibus nequaquam, ſiliqua enim exitialis eſt cibus, ſi Galeno credimus, & fungi, & tubera, boletique; & melongena: nemo tamen ſalubri cichorio, priſanaque hordeacea negaait eſſe gratiora.

Conſilium Igitur meum eſt, vt non ſolum dimittatur, ſed ab vſo humano explodatur, etiam Principum decretis. Nam, quæ lues eſt perniciosior, qua quotannis multa millia hominum pereunt? Mirumque, quod à Medicis hæc pernicies conſulatur, omiſſis vuis, & ficubus eiuſdem temporis fructibus longe minus noxiis.

Phre-

Phreniticus imprudenter olei potu ſanatus.

OBSERVATIO XL.

QVos ratio non ſanat interdum temeritas adiuuat, ait Cornel. Celſ. Fortuna enim ex Auſonio

Nunquam ſiſtit in eodem gradu,
Semper mouetur, variat, & mutat vices,
Et ſumma in imum vertit, ac verſa erigit.

Quod confirmat Boetius lib. 2. de conſ. mat. 1.

Sic illa ludit, ſic ſuas probat vires,
Magnumque ſuis monſtrat oſtentum: ſi quis,
Viſatur vna ſtratus, & felix die:

Ita ad vnguem accidit aliquando phrenitico cuidam, qui cum peſſimè ſe haberet imprudenti olei p otu alui fluore oborto ſanatus eſt.

Ver-

Vermium copia mirabilis.

OBSERVATIO XLI.

PArtium humani corporis, vt inquit And. Laur. lib. 1. cap. 2. Symmetria, & proportio eſt mirabilis: hanc vnam pro exemplari ſibi ob oculos proponunt artifices; ad hanc, tanquam Polycleti regulam omnia referunt architecti. Templa, ædes, machinas, nauigia conſtruunt; verùm aliquando ita confunditur, & diſcraſia introducitur, vt lethales, deplorandoſque morbos pariat.

Febre duplici tertiana continua correptum mortuum ſecui, in quo quanta eſſet vermium copia dictu incredibile eſt; ipſi enim in ventriculo, & inteſtinis conglomerati, atque coacervati per Oeſophagum ad os vſque aſcenderant, abſque eo quod alexiterijs remedijs copioſe ægro adminiſtratis enecati fuiſſent. Vermes porrò ex materia etherogenea genitos aliquos albos, aliquos rubros, & alios nigricantes aſpeximus.

Apoſtematis purulenta materia circa genu regionem per ſeceſſum excreta.

OBSERVATIO XLII.

PLuris eſt oculatus teſtis vnus, quam auriti decem, Qui audiunt, audita dicunt, qui vident planè ſciunt Stratophanes miles in Truculento apud Plautum ſic loquitur. Verum aliquando fides etiam illis, qui nõ

vident, ſed audiunt adhibenda eſt, eoque magis, ſi ab homine fidedigno aliquid accepimus; eſt enim, vt ait Ariſtoteles 1. reth. natura comparatum, vt probis, & honeſtis viris credamus non ſolum in his rebus, quæ certæ, exploratæque ſunt, ſed etiam in iis, quæ in vtramque partem aſſeruntur opinionis arbitrio; Pythagoras enim fidem amoris fundamentum eſſe dicit, eaque ſublata tota amicitia, Lex, Ius, Vis, ac ratio perit.

A D. Ferrante Serronio probatiſſimo, fideque digniſſimo Chirurgo, ſequentem Obſeruationem accepi. Cum vir quidam apoſtemate circa genu regionem torqueretur, iamque ſuppuratum eſſet, vt ferro aperire Medicis annuentibus Chirurgus cenſeret, ſed iam labente in mare Sole, & in Occaſum die tumoris ſectio procraſtinata fuit. Mane redeuntibus Medicis, & Chirurgo (mirandum dictu) tumorem euanuiſſe, & pus per ſeceſſum euacuatum reperierunt. Legas, & conſideres Lector quomodo, & per quas vias materia purulenta in cauitatem hypogaſtrij, inde per inteſtina remeans per anum excreta fuerit; de quo, qua ratione poſſit fieri, & an, & quomodo materia in thorace contenta, vel per anacatharſim, vel per vrinam, per ſiniſtrum cordis ventriculum, & arteriam magnam, per arterias, & venas phrenicas, per ramum azygos venæ renali coeuntem, inde per venas emulgentes ſcilicet; vel per ſeceſſum, per abſceſſum, aut paracentheſim aliquando, & de pleuritide ipſa altius differemus.

Her-

Herpes Ventriculi vomitus quotidiani, & mortis cauſa.

OBSERVATIO XLIII.

HOmo nunquam eſt in vita, ex quo eſt in corpore iſto potius moriente, quam viuente D. Aug. 13. de Ciu. Dei ſic fatetur. Vita enim, vt ipſe in meditationibus ait, eſt miſera, caduca, incerta, laborioſa, immunda, malorum domina, ſuperborum regina, plena erroribus, quæ non eſt dicenda vita, ſed mors, in qua ſingulis momentis morimur, quam humores tumefaciunt, dolores extenuant, ardores exſiccant, cibi inflant.

Vir quidam quotidie mane, & veſpere poſt prandium, & cænam vomitum patiebatur, in atrophiam tandem tranſiens poſt ſex menſes occubuit. Secto corpore in ſtomacho internè circa Pylorum, (ianitorem vt aliqui dicunt) herpetem inueni, vnde quotidianus vomitus poſtmodum atrophiæ, & mortis cauſa oriebatur.

Pancreas Lapidoſum.

OBSERVATIO XLIV.

DVm iuga montis aper, fluuios dum piſcis amabit;
Dumque thymo paſcentur apes, dum rore cicadæ.

Vt canebat Virgil. in Daphni, ſemper erit, quomodo ſentit Sillius lib. 3.

Luctus edax, maciesque malis comes addita morbis

Vetula quędam vomitum quotidianum, vt in ſuperiori Obſeruatione diximus poſt prandium, & cænã patiens in atrophiam, (ideſt priuationem nutritionis) & maciem incidens tandem mortua eſt; ſecto cadadauere pancreas ita durum inuentum fuit, vt lapidẽ æmularetur: ob hanc igitur cauſam vomitus oriebatur; cum enim pancreas ſit ſtomachi puluinar, ventriculus concoctionem ob ipſius duritiem celebrare non poterat, ſed indignatum omne, quod accipiebat, vomebat.

Aranearum morſus lethalis.

OBSERVATIO XLV.

SIc Statius lib. 10. Thebaid. ait,

Quinam illę ſiniſtra
Repugnet morti iuuenis.

Cum illa ſæpe ad hominum perniciem animalcula etiam fabricauerit, vt ſcorpionem, à quo Poetæ Orionem occiſum fabulantur: etſi vilia, & paruula admodum ſint, tamen aliquando mortem inferunt, vt præcipue aranea, ab ipſa enim demorſos duos obſeruaui, quorum primus, cum per ſeptem dies totus frigidus eſſet, nihil interim iuuantibus alexiphamarcis remedijs octauo die mortuus eſt; ſecundus verò; cum internè vreretur, externè frigeſceret, motumque quẽdam conuulſiuũ pateretur, ſeptimo die iudicatus eſt.

Pulmo

Pulmo in ſiniſtra parte thoracis totus conſumptus repertus.

OBSERVATIO XLVI.

LIcet vndique miſeriæ, vel, vt canit Virg. lib. 6. Aeneid.

Pallenteſque habitent morbi.

Natura tamen ijs quandoque maximopere reſiſtit,ſed tandem cadit.

Suppuratum mortuum ſecuimus, in quo nulla pulmonis ſiniſtri pars aderat, ſed tota cauitas aqua, & pure repleta erat, cum tamen per duorum menſium ſpatium, quo tempore ab hoc morbo vexatus fuit, nullam reſpirandi difficultatem, & paucam tuſſim ſine vlla materiæ morbificæ eiectione habuiſſet; attamen ſecto corpore tota thoracis ſiniſtri cauitas aqua purulenta repleta erat.

Eleuatio, & depreſsio Hypochondrij in mortuo homine incautos fallens.

OBSERVATIO XLVII.

PRoduxiſſe parum morti erat ad hominum interitum Theſſala, Colchica, Scythica, aliaque venena; ipſa enim noſtris in corporibus genita hominum vitam de medio tollunt; & quod peius eſt in mortuos adhuc ſeua cum immanitate ſæuiunt. Vir quidam ex illorum numero, qui tormentarium puluerem conficiunt febri peſtilenti; & venenoſa correptus

reptus ante diem tertium perijt; cum autem cadauer ſectionis gratia vſque ad ſequentem diem inhumatũ relinquerem, noctu (portentoſum aſpectu) in tantã molem membra omnia excreuerant, vt tanquam mõſtrum aliquod cerneremus, eoque magis, quoniam in hypochõdrio cum eleuatione, & depreſſione ipſius murmur, & rugitus ſentiebatur, tanquam viuus eſſet homo. Quod eueniſſe Illuſtriſs. D. Duci Ceſariuo à D. Petro Seruio amiciſſimo meo audiui, qui cum mortuus eſſet, ſimilem rugitum, & motum habebat, quo audito, & viſo aliqui ipſum ab inferis reuocatum appellabant, cum tamen re vera mortuus eſſet.

Cor tomentoſum.

OBSERVATIO XLVIII.

Iungentur ante ſaua ſyderibus freta,
Et ignis vndæ, Tartaro triſti Polus,
Lux alma tenebris, roſcida nocti dies.

Vt inquit Seneca in Oetheo, prius quam homines vndique morbis agitati infortunia, & moleſtias miſerrimè non patiantur. Tam altè hominibus infixa calamitas eſt, vt ſæpe Natura, ſicut ab ingenti machina oppreſſa fruſtra tentatis viribus corruat. Pleuritide interemptum ſecui, qui maximam ſaniei copiam tum in pleura, tum in pulmonibus firmiter coſtis adhærentibus habebat; ſed cordis inſpectio maximũ ſtuporem pariebat. Illud enim totum albidum, & tomentoſum inſtar pellis, quę vulgo (ceruiotto) dicitur, aſpeximus.

Pus enim, vt credo, cum propter craſſitiem & copiam

pſam totum per anacatharſim expui non poſſet, tunicæ cordis ob immenſum ipſius calorem, dum aliquo modo exſiccaretur, adhærebat: vnde totum tomentoſum nobis conſpicuum fuit.

Angina correptus ex Phlebotomia venarum linguæ ſuffocatus.

OBSERVATIO XLIX.

EST artificis, iubente Pontano 4. de obed. omnia metiri, quæ facit, atque ad menſuram redigere ac numeros, vt ſingulæ ſibi inter ſe partes conueniãt, quibus ipſe dimetiendis, & æquandis intentus, vt qui à ſuis numeris, rectaque menſura nulla ex parte recedat, opus ſuum tale efficit, cui, quod de opere maxime conſumato dici ſolet, nihil addi queat, nihil eximi. Quod præſtare, atque efficere proprium eſt menſuræ: Medicina pluſquam aliud quicquam hoc requirit, cùm vt coniecturalis difficillime recto modo metiri poſſit, innoteſcentibus quotidie nouis obſeruationibus, nouiſque dogmatibus.

Venarum linguæ ſectio cuilibet anginæ poſt debitam reuulſionem, & deriuationem optima ab vniuerſo Medicorum cœtu exiſtimatur; attamen iuuenis quidam angina laborans ſimili phlebotomia ſuffocatus, & mortuus eſt, non Medici imperitia; ſed quia, dum iuuenis largè per ſectionem effluente ſanguine, imprudenter, ſicuti licet, non excrearet, ab ipſo sãguine extrauaſato repente enecatus fuit. Caueant igitur Medici, Chirurgi, & Barbitonſores, ne dum talis ſectio celebratur rectus æger decumbat: in anteriorem potius partem vergat: multoties enim, aut impru-

prudenter facultate expultrice iam debili,ſanguis,etiã ſi ſit in pauca quantitate, remeans in aſperam arteriam ſuffocare, & occidere valet.

Voluulorum ſpecies diuerſæ.

OBSERVATIO L.

Optima quæque dies miſeris mortalibus æui
Prima fugit, ſubeunt morbi, triſtiſque ſenectus,
Et labor, & dura rapit inclementia Mortis.

Ita exponit Virgilius lib. 3. Georg. nam, vt Horat. carm. lib. 1. od. 3. credebat, quod

Poſt ignem æthereα domo
Subductum macies, & noua febrium
Terris incubuit cohors.

Infinitæ cum priſcis vatibus poteſt dici, quod ſint Pandoræ moleſtiæ; ſemper enim morbus aliquis non antea viſus ex ipſius lachrymoſo, & fatali vaſe emergit.

Duæ voluulorum ſpecies obſeruatæ fuerunt, prima ab enterocele, cum Ileon inteſtinum in ſcrotum deſcendens ſtrangulatur, fęceſque nullo mobo excernuntur, vnde remeantibus ipſis, vomitus fæculentus fit, à Medicis miſerere mei vocatus. Secunda, cum inteſtina aliquo modo connectuntur, vt obſeruaui, tãquam in fune madeſacto, qui poſtmodum conuoluitur, & in hoc caſu mirum in modum pila tum plũbea, tum argenti viui potio prodeſt. Sed in duabus aliis,

alijs, vt vidi, & modo enarrabo, nihil iuuat, ægrique deſperati moriuntur. Tertia eſt, quando ileon, vt aſpexi, ita arctatur, quaſi farcimen, quod vulgo lucanica dicitur; nempè cum inter vnam, & alteram lucanicam circumducitur filus: hoc ad vnguem inueni: inteſtinum enim tam ſtrictum erat, vt non ſecus quam filo vinctum cerneretur; humor enim bilioſus ob acrimoniam morbum hunc pepererat. Quarta, cum in cauitatem inteſtini inteſtinum deſcendit, vnde obſtructio fæcis, & corruptio illius cum morte oritur, ſicut in ſectione anatomica obſeruaui; iuuenis enim quidam hoc morbo affectus ſine vllo hydrargiri iuuamine mortuus eſt: quod cum permeare non potuiſſet, prope obſtructionem à me inuentum fuit.

Lector ades. Iam obſeruationum mearum Pentecoſte prima completa eſt: ſi tuo genio non placet Authorem excuſes, qui aliquod tibi vtile cum iucunditate allaturum credebat; legebam enim in Vg. lib. 1. Didaſc. quod lectio duobus modis animo faſtidium ingerere ſolet, & affligere ſpiritum qualitate, videlicet ſi fuerit obſcurior, & quantitate, ſi prolixior. In vtroque enim, vt ait ille, magno vti moderamine oportet, ne quod ad refectionem quæſitum eſt, ſumatur ad ſuffocationem. Meis viribus quantum potui hanc ſcribendi normam ſequutus ſum, præcipueque vt aliquibus opus floribus ornaretur; Mulier enim nouiter nupta, etiamſi pulcherrima, auxilijs tamen externis, ſicuti gemmis, & floribus perſæpe vtitur. Sed cōdonabit mihi humanitas tua, ſi hoc ſtylo ſcripſerim, cum delectatio vtilis ad Lectorem alliciendum acutiſſimus mihi fuerit ſtimulus, eoque magis, quoniam Coryphęi, & Anteambulones in hoc genere di-

Digitized by Google

cendi Hieronymus Mercurialis, & Ioannes Benedictus Sinibaldus amiciſſimus meus doctiſſimi viri fuerunt. Quantitas te non ſuffocabit, breuitate enim gaudeo, de qua optime ſcribit Martial. lib.2. epig dum librum ſuum ſic alloquitur.

Tercenta quidem poteras epigrammata ferre:
Sed quis te ferret, perlegeretque liber?
At nunc ſuccincti, quæ ſunt, bona diſce libelli
Hoc primum eſt breuior, quod mihi charta perit:
Deinde quod hæc vna peragit librarius hora:
Nec tantum nugis ſeruiet ille meis.
Tertia res hæc eſt, quod ſi cui forte legeris
Sis licet vſque malus, non odioſus eris.

Poſtmodum concludit.
Eſſe tibi tanta cautus breuitate videris,
Hei mihi quam multis, ſic quoque longus eris.
Si labores noſtri non erunt iniucundi, ſecundam obſeruationum medicinalium Pentecoſtem breui Typis mandabo. Sed Zoilus mihi perſonat aurem: quapropter libro huic id, quod Ouuenus ſuo vnico epigrammaton ſignificabat, dicam,

Innumero dicenda tibi ſub iudice cauſa eſt:
Arbitrium de te non duo, treſue dabunt:
Forſan, & illectus temere damnabitur Autor;
Rarior, & Lector quam reprehenſor erit.

Digitized by Google

IATROLOGISMORVM
SIVE
OBSERVATIONVM
MEDICINALIVM.

Pentecoſte Secunda.

DOMINICI PANAROLI
ROMANI
Philoſophi, & Medici,

AD LECTOREM.

ECce ſicuti pollicitus ſum Lector beniguiſſime ſecundam Iatrologiſmorum, ſeu Medicinalium Obſeruationum Pẽtecoſten tibi offero, in qua multa noua, multa miranda, multa rara, multa vtilia, ſicuti in Prima, tibi obuia fient. In Medicina, ſi quæ facilior, & tutior eſt via ad medendum, hęc Obſeruationum Medicinalium vna eſt, ex qua quamplurima ſalutaria conſilia emergunt. Finis meus in hiſce laboribus, ſicuti in reliquis, nihil aliud fuit quam ſaluti publicæ cõſulere, vtilitatique communi prodeſſe. Si vero ex abrupto ſcriptura Zoili cuiuſpiam animo nocendi, famamq; lacerandi tentare aliquid audeat, illud Horatianum in mente habeat.

Caue, caue, namque in malos aſperrimus
Parata tollo cornua.
Qualis Lycambæ ſpretus infido gener,
Aut acer hoſtis Bubalo.
An ſi quis atro dente me petiuerit
Inultus vt flebo puer?

Non certe, ſed fœnum in cornu habebo. Vale.

En-

Enterocele omphalodis in Matris vtero orta.

OBSERVATIO I.

QVI libidinis œſtro vruntur, petulantiſque, & ſalacioris naturæ ſunt, non in cuiuſlibet mulieris concubitu delectantur, ſed tanquam canes ſagaces illas tantum ſequuntur, quæ ad libidinem procliuiores ſunt. Haſque vt inueniant his ſignis vtuntur, ſcilicet moribus, inceſſu, miniſterio, voce, aut ſermone, veſtimentorum cultu, vnguentis, aut odoribus, &c.

Ex his enim maximè mulierum libido cognoſcitur ſed præcipuè ex miniſterio, vbi inter alias textrices mulieres primum obtinent locum, rationem reddēs. Sinibaldus in ſuæ Geneātropeiæ lib. 2. tract. 2. cap. 11. quod nimirum in arte textoria renes perenni quatiūtur motu, vnde calefacti ſanguinis prolectant alluuiem, quò mox fomitis excitatur igniculus. His adde quod pedum alternatiuo illo motu teruntur, & confricantur pudenda vnde autem ferueſcere, & prurire eadem contingit ſpiritibus ab alto aduocatis. Salaciſſimæ in actu venereo ſunt iſtæ mulieres, aſſiduo enim illo motu in arte textoria vtentes, in coitu quaſi ſaltatrices ſunt ſimillimæ Poetriæ illæ, quæ Sappho vocabatur, de qua ait Ouidius, dum ipſam ſcribentem ad Phaonem in heroidum epiſtolis ſic inducit.

Hæc quoque laudabas, omnique à parte placebam,
Sed tunc præcipuè, cum ſit amoris opus.
Tunc te plus ſolito laſciuia noſtra iuuabat;
Crebraque mobilitas, aptaque verbo ioco.

Sed

Digitized by Google

Sed ad concipiendum, & retinendum fœtum ineptiſſimæ ſunt mulieres iſtæ, mobilitas enim illa, vt in ſaltatricibus, aut agoniam facit, aut abortum procreat, aut fœtus infirmos, & debiles reddit. Qua de cauſa Auicenna ad conceptionem prohibendam in muliere, quæ in prægnantia periclitari poſſit, iubet illam ſaltus exercere.

Textrix quædam peperit filiam tam male affectam, vt per triduum viuere non affirmaſſes, portentoſo enim, & vndequaque periculoſiſſimo morbo vexabatur, in regione enim vmbilici pars cutis, & pars muſculorum deficiebat, ita vt ampliſſimum hiatum rotundum aſpiceremus, ex quo inteſtina profluebant; ſolum peritonęum ne penitus laberentur prohibebat. Nos igitur vocati inteſtina extra prolapſa manu leuiter intro repellere conantes fruſtra fecimus, ſincope enim correpta ſtatim fuit, quapropter pro certo habebamus ipſam breui morituram ob ampliſſimum orificium, & peritonęi facilem corruptionem. Sed ne quid intentatum relinqueremus, & ne peritonęum ab ambiente extrinſeco læderetur, omentum caſtrati calidum enteroceli huic impoſuimus Mirãdum dictu paucis poſt diebus peritonęum corruptum vnguiforme, quoad duritiem decidit, ſub quo orta caro cutis inſtar conſpiciebatur, & nunc iſta puella recte viuit, & optima ſanitate omni metu libera fruitur.

Re-

Renum calculo Remedium optimum.

OBSERVATIO II.

VAlidiora (vt aſſeruit Leo Papa in ſerm. de Ieiunio) ſunt exempla, quam verba, & plenius opere docetur, quam voce, Multas enim res dum ſunt in potentia rectè examinamus, cum vero reducuntur ad actum, opus fruſtratur.

In veſicæ calculo nullus adeſt remedio locus, excepta ſectione, dicant quidquid velint Medici, nugæ, ſunt errores, & figmenta. Nos inter tantas remediorum farragines nullum inuenimus aptum, quod huic morbo opituletur. Poterit vero ſi arena friabilis fuerit aliquo modo in vnum compacta, vt non ſit lapis, diſſolui, & hinc oritur, quod lapides veſicæ attritos vi alicuius medicamenti Medici decantent. Sed cum iam lapis formatus ſtabulatur in Veſica, deſperatus morbus eſt, niſi ad ſectionem venias. Renum vero calculo adeſt remedium ad comminuendum, & frangendum illum. Nos oleum petroleum naturale, non artificiale externe ſupra renes vnctum ſummopere laudamus. Experiantur Medici maximum enim remedium habebunt.

Vo-

Vomitus ſubitaneus criticus ſegregatiuus.

OBSERVATIO III.

NVlla res ex Ariſtotele primo de partibus anim. eſt in natura, quod non habeat in ſe aliquod admirabile. Cum quidam infirmus tertiana duplici continua torqueretur non ſine aliqua ſtomachi lancinatione ob refluxionem bilioſi humoris ſtomachi os lædentis, accidit die critica, dum nos tum ad virium robur, tum ad refrigerandum bilis mordacis æſtum carnem optimè contuſam cum Ptiſana hordeacea ipſi adminiſtraremus, ſtatim propinato ſimili potu vomuit bilem puram, luteam, lucidam, non in pauca quantitate, abſque nulla ſupradicti potus mixtione; & hoc fuit celerrimè; æger vero in hoc vomitu iudicatus optimè conualuit.

In quo duo occurrunt enucleanda. Primo improuiſa ſalus; ſecundo motus ille emeticus ſegregatiuus. quoad primum magna non oritur admiratio, quandoquidẽ ſeptima die vere critica bile os ſtomachi lædente euacuata per vomitum, æger liberatus eſt, quoniam ablata cauſa aufertur effectus. Sed quoad ſecundum aliqua oritur difficultas, quomodo enim iſta ſegregatio inſtantanea (vulgariter loquendo) celebrata fuerit non leuis eſt momenti, An propter Naturæ benignitatem, quæ ad indiuiduum conſeruandum iuuantia admittendo noxia fugat, an vero propter humoris bilioſi leuitatem (ignem enim æmulatur) ita vt tanquam oleum aquæ ſupernatans facilè à ſtomacho bilis illa vomitu expulſa fuerit.

Non ab hoc nam etiamſi bilis ſupra piſanam aſcenderet, tamen vomitu aliqua etiam pars illius excreta eſſet. Non à robuſta Naturæ vi benigna attrahentis, & noxia fugientis, nam vno, & eodem tempore non poſſunt fieri duo motus contrarij, attractio, & expulſio, ſed aliquo proceſſu temporis. Dicimus igitur ab vtroque; adeo vt & à leuitate bilis, & à Naturæ benignitate vomitus iſte ortus ſit.

Eruptio ſanguis in crure periodica.

OBSERVATIO IV.

Vilia ſunt nobis, quæcunque prioribus annis
Vidimus, & ſordet quidquid ſpectauimus olim.

Vt erat tempore Titi Calphurnij, ſicut ipſe ait Ecloga. 7. ſic etiam accidit noſtris temporibus apud Medicos; quotidie enim ipſi, ſi quæ ſunt nouę Obſeruationes in lucem proditæ auidius interrogant. Nos aliquas rariores communicauimus, inter quas hæc vna eſt.

Cęmentarius quidam ſtatis temporibus fluxum ſanguinis periodicum habet in Tibia; vena enim quędam externa varicoſa ſponte rumpitur, & ſanguis defluit, & ſponte etiam nullo adhibito auxilio recluditur. Si mulier eſſet ego iam cum omnibus Medicis menſes excretos ſimili modo pronunciarem.

Gallus ſine ano, & pene quotidie citra ſalutis noxam ſtercus euomens.

OBSERVATIO V.

CVm aliquando de Naturæ mirandis obſtupeſcerem in hoc maximum ortum fuit, vt cum D. Auguſt. de gen, rite exclamare poſſim, Naturæ opera eſſe maxima miracula: Nam cum in hoc Mundo certo digeſta ſint ordine corpora vbique, aliquando tamen à non ente, & priuatione, vt pluries diximus, oriuntur defectus, vt in homine v.g. vel ob imbecillitatem ſeminis, vel ob aliam cauſam, cum naſcantur quandoque infantes imbecilles, & monſtroſi, tunc Natura (illud comprobans axioma, quod qui dat eſſe dat conſequentia ad eſſe) mirum in modum huiuſmodi infantes conſeruat ad futuras ætates, vt in Enterocele Vmbilicali ſupra diximus.

Gallus quidam in vtero Matris ſine pene, & ano male conformatus in lucem proditus eſt. Qui ipſum hoc modo natum videbant breui moriturum credebant, nam cum duo potiſſimum ad vitæ conſeruationem neceſſaria ſint, nutritio ſcilicet, & expulſio fæcum, neutrũ poterat celebrari ob defectum inſtrumentorum; cum enim expulſio fæcum fieri non poſſet, neceſſe erat, aut intra corpus corrumpi, aut remeare ad ſuperiora excrementa, vt in voluulis ſępius vidimus, vnde confuſio, & corruptio nutrimenti fieri etiam debebat. Quod recte conſideratum breuiſſimam illius vitam arguebat, & ecce præter omnium ſpem Natura mirandum aggreditur nempe nutritio-

nutritionem celebrando, expellendo fæces per os, abſque eo, quod confunderetur, aut nutritio, aut fæcum expulſio. Hunc ego Romæ vidi, & credo ab aliis Medicis magna cum admiratione viſum fuiſſe, ſine vllo ani foramine, vndique enim imperforatus erat; in anteriore vero parte vbi mentula virilis exſurgit caro pauca quædam rotunda, rubra, plana, & ſpongioſa continuo vrinam per ſtillicidium eiiciebat Me preſente optime comedit, & poſt debitum tempus fæces probe concoctas per os eiecit. Gallus porro iſte non ſolum optima fruitur ſanitate, ſed athleticum habitum habet, vt ipſum intuentes mirifice obſtupeſcant.

Aquæ potus nimius, & coitus immoderatus ſuffuſionem pariunt.

OBSERVATIO VI.

Mortis habet vices
Lente cum trahitur vita gementibus.

Vt ait Seneca in Hercule Oeteo. Si magnum aliquod infortunium homines torquet, cæcitatem vnũ hoc eſſe crediderim. Malorum enim omnium cæcitas prima eſt. Quid etenim miſerius homini accidere poteſt, quam ſemper in tenebris immorari.

Suffuſionem ſæpe ortam vidimus duabus hiſce cauſis, aliquando coniunctis, aliquando vero ſeparatis, à frequenti ſcilicet aquæ potu, aut coitu immoderato; ideo vt homines caueant in poſterum præſentem Obſeruationem in lucem edidi.

Semen Anguriæ à puero deuoratum per trimeſtre tempus citra corruptionem in Larynge detentum, & reiectum.

OBSERVATIO VII.

QVemadmodũ, vt ait Seneca de ira per frequẽtia Vrbis loca properanti in multos incurſitãdum eſt, & alicubi labi neceſſe eſt, alicubi retineri, alicubi reſpergi, ita in hoc vitæ actu diſſipato, & vago multa impedimenta, multæ querelæ incidunt. Tot ruinæ, tot vincula vel à minimis rebus parantur, vt non ſine magna ratione idem Seneca de cõſ. ad Mar. diceret, quod nihil eſt tam fallax, quam vita humana; nihil mehercule tam inſidioſum, nullus eam acciperet, niſi daretur inſciis. Itaque fæliciſſimum eſt non naſci, ſi poeticæ loqui aliquando fas ſit: nam vt dixi ex qualibet re etiam leuiſſima quandoque grauiſſima pericula oriuntur, quod optime comprobat Seneca in Thebaide.

Vbique Mors eſt, optime hoc cauit Deus.
Eripere vitã nemo non homini poteſt.
At nemo mortem, mille ad hanc aditus patent.

Mille certe aditus pàtent, nam cum puer quidam trium annorum imprudenter Anguriam, quæ vulgo hic Romæ, Cocomero, appellatur, comederet, ſemen aliquod ipſius in illa comeſtione ita firmiter, Laryngi adhærebat, vt amoueri nulla arte poſſet, dum infans in animi deliquia ſuffocationis cauſa incidebat.

cidebat. Per t res menſes pallidus ſemper, Mortique proximus videbatur cum tuſſi vehementiſſima; nihil autem tuſſiendo excreabat; tranſacto tertio menſe, cum fortiter aliquando tuſſiendo excrearet ſemen illius anguriæ nulla parte immutatum, aut alteratū eiecit, vt ex recenti fructu extractum nouiter videretur. Maxime admiratus ſum non computruiſſe, cum enim pueri maxime humidi ſint, & calidi neceſſario ſemen corrumpi debebat; ſed hac ratione non eueniſſe putarem, quandoquidem aer continuo motu à pulmonibus tanquam à flabellis euentilatus, & expulſus poſt ingreſsū ſemen, quod reſpirandi viam obſtruebat; refrigerabat, qua de cauſa cum calor non poſſet agere mirum non eſt, ſi nulla parte labefactatum, aut mutatum poſt trium menſium ſpatium eiectum fuerit.

Colicis doloribus à cauſa frigida remedia optima.

OBSERVATIO VIII.

HVmanæ res fluxæ ex Saluſtio in Iugurtha, sēper in aduerſa mutantur. Adeſt ſanitas; mox momento temporis morbi apparent ineſpectati, inter quos colica paſſio eſt vehemens adhuc, & intolerabilis, dolore enim maximopere ægri torquentur. Nos vbi hic morbus originem duxit à cauſa frigida ſępius experti ſumus oleum baccarum lauri, aut oleum è corticibus aurantiorum per expreſſionem factorum cum vino, quo facto per breue tempus ægri dolore

ſeda-

ſedato ſomnum capientes conualuerunt.

Coma vigili enecatorum ſectio.

OBSERVATIO IX.

ANima in corpore ſecundum Plotini Enne.4. sẽtentiam omnia mala patitur, miſeram vitam ducit, doloribus, cupiditatibus, timoribus, cæteriſque malis opprimitur, cui corpus vinculum eſt, ac ſepulchrum; cui mundus eſt ſpelunca, & antrum. Vere enim eſt ſepulchrum, ſpelunca, antrum & carcer, in quo anima latitat, vbi aliquando à corporis morbo immani barbarie furenti eius functiones maximopere opprimuntur, Corpus enim vt ait D. Aug de vtilitate ieiunii eſt vinculum noſtrum, & carcer noſter. Ob hoc igitur Mercurius Triſmegiſtus in Pim. conquerebatur dum aiebat, quod corpus eſt indumentum inſcitiæ, prauitatis fundamentum, corruptionis vinculum, velamem opacum, viua mors, ſenſitiuum cadauer, ſepulcrum circumuectile, domeſticus denique fur, qui dum blanditur odit dum odit inuidet.

Multoties enim, vt dixi animæ operationes ita fortiter à corporis morbis læduntur, vt homo ſtupidus, & attonitus abſq ratione eſſe videatur, ſicuti eſt morbus ille, qui à Medicis coma vigil. appellatur, in quo homines apertis oculis ſtupidi ſunt.

Iuuenem hoc morbo interemptum ſecui ad inueſtigandum, quæ nam huius morbi ſedes affecta eſſet. Reſerato capite in primis ventriculis, vbi ſunt plexus

illi à Grecis Choroidei dicti in dextera, & ſiniſtra parte duæ paruæ quædam pilæ compactæ ita erant, vt non ſine magna laceratione ſeparari poſſent. Pila verò vnaquæque magnitudine ciceris, ſed aliquantulum maioris tunicam internè flauam habebat, ſubſtantia vero erat alba, ſed aliquo modo dura externè vero tunica rubra erat. Hoc vt vidi collegi, vnde nam proueniret, quod huic morbo inualida eſſent medicamenta omnia, quandoquidem nec medicamento, nec ferro, nec igne ſuperari poteſt.

Mediaſtini inflammatio lethalis.

OBSERVATIO X.

Continuo culpam ferro compeſce, prius quam
Dura per incautum ſerpat contagio vulnus.

Virgilius lib. 2. Georgic. ſic loquitur: ſed cum morbus internus eſt, quid eſt agendum? quomodo poſſumus auxiliari ægrotis vbi neceſſe ſit? Certe aliquando difficulter, aliquando nunquam. Inflammationem mediaſtini vidimus, in qua æger Orthopneycorum more cubabat, quoties enim quieſcere ſupinus cupiebat, ſtatim animi deliquio corripiebatur. Mortuo ægro ſecto inuente fuerunt membranæ illæ, quas Græci Diaphractontes, Latini vero interſipientes vocant maximopere inflammatæ. Maximus eſt morbus, qui prope cor vitæ fontem ſtabulatur.

Aneu-

Aneuriſma mirandum.

OBSERVATIO XI.

OMnibus eſt eadem lethi via, non tamen vnus
Eſt vitæ cunctis, exitijque modus.
Hac pueri, atque ſenes pariter, iuueneſque ferentur.
Hac par diuitibus pauper egenus erit.

Vt dicebat Cornellius Gallus, & vt ait Statius libr. 9. Thebaid.

Mille modis lethi miſeros Mors vna fatigat.

Fera enim, & immanis non pulchritudini, non diuitiis, non nobilitati, non virtutibus parcens omnia conterit. Nec aures nec lumina ad exercendam pietatem habet ſed.

æquo pulſat pede
Pauperum tabernas Regumque *turres.*

Crudelior Tygride, frigidior marmore, horridior Auerno, nec ſexui, nec ætati condonans cuncta deuaſtat. At quod portentum maximum adfert illud eſt, quod non vno, aut pluribus telis, ſed infinitis propemodum mortales enecat. Alios enim flammis, alios aquis, alior ferro, alios laqueo, alios morbis interficit. *M*ors crudelis, quæ quotidie Tyrannorum more noua, & noua tormentorum genera ad trucidandos homines indagat; quotidie enim morbi *M*ortem concomitantes, numquam viſi, nec experti ab ipſius, fera, rabie,

rabit, truculentaque feritate reperiuntur, inter quos præcipuus vnus fuit, qui repente, & inopinato patrẽ quemdam D. Antonii prope D. Mariam Maiorem hic Romę ſuffocauit.

Audias hic mirandum lector, quam fragilis, quam caduca, quam velox, quam labilis vita hominum ſit, nihil enim aliud eſt niſi tanquam radius ſolaris, qui manę lucidus, veſpere pallidus fulgorẽ perdit, aut tãquam vnda ſuperba, quę cito ferocitatem perdens in arena acerbitatis virus euomit, aut tanquam ros, qui in Solis ortu euaneſcit, aut tanquam vox, quæ eodem tempore, & oritur, & moritur. Nam cum ego in Noſocomio S. S. ad. SS. Hyeme vt erat mos meus, quotidie fere ſecandi corpora accidit aliquando, vt pater iſte deſiderio impulſus anatomicæ ſectionis ad ipſam intuendam me rogaret: libenti itaque animo aliquando dum ſecui, vt prope me ſederet oraui; opus compleui atque ipſe ex huiuſmodi inſpectione totus iucundus domum reuertitur.

Sequenti die nuntius quidam mihi retulit Patrem illũ qui Anatomem inſpexerat è viuis deceſſiſſe, orans interim vt in Patrum reliquorum gratiam ipſum aperiamus ad intuendam repentinæ mortis cauſam; Corpus ſecuimus ſed credas lector quod in illa ſectione poetice loquendo gelidus per ima cucurrit oſſa tremor ſolum cogitando, quod

Stat ſua cuique dies, breue, & irreparabile tempus
Omnibus eſt vitæ.

Nam qui altera die me ſecantem inſpexerat nunc à morte correptus tam breui temporis ſpatio in ſua viſcera ferrum patiebatur.

Pater iſte ſub dextera axilla prius aneuriſma habuerat, quapropter Medicis conſulentibus ſingulis quibuſque annis, cum eſſet quadrato corpore, maxima ex brachio oppoſito ſanguinis copia hauriebatur, accidit eo tempore, dum nunquam tam iucundus, & promptior eſſet ad vitæ functiones, illi repentina mors & in terram cecidit. Secto cadauere venam azygos maximopere turgentem inueni, ita vt rumpi videretur: venæ item, & arteriæ omnes; quæ muſculos intercoſtales dexteros irrigant ſummopere tenſæ plenæque erant, ita vt dum ſectio fieret circa clauiculam, & axillam, maxima ſanguinis copia redundaret. Sed quod maximè admirandum fuit, arteriæ axillaris fuit inſpectio; ipſa enim non vt in reliquis aneuriſmatibus rupta, & corrupta erat, ſed vndequaque integra; Ea tamen differentia, quod circa arteriam, & venam axillarem, atque intra cauitatem arteriæ, caro quædam alba, ſolida, dura, & cartilaginoſa maximæ portionis tam firmiter adherebat, vt ſecerni nullo modo poſſet, immo ferro mirifice reſiſtebat. Vnde cum via ſanguinis naturalis, & vitalis ad irrigandum brachium ex inſigni interna, & externa obſtructione paulatim clauſa eſſet, retrocedendo, ſanguis, cor ſuffocando, Patrem illum inopinate Mortis falce reſecauit.

Saccari in febribus immodicè adhibiti nocumentum.

OBSERVATIO XII.

Homerus in ſeptima Iliade ſcriptum reliquit.

Quale foliorum genus, tale & hominum
Folia quidem alia ventus humidi fundit, alia vero ſylua
Pullulans gignit quando veris venit tempus.

Sic hominum quidem genus aliud quidem naſcitur aliud quidem moritur. Quapropter ad euitanda mortis fulmina Medica diſciplina conata quantum poteſt ratione, & experientia methodum ſibi parat.

Non ſum in numero eorũ medicorum omnibus ęgris ſaniſque infeſtorum, qui nec ſal, nec acetaria in cibis admittunt, cum vſus ſit altera natura, & ſal & acetaria ob ſiccitatem putredini reſiſtant, appetitumque moueant, ſed omnia concedimus, non autem ſine regula, & ſicuti aliquando qualitatem in pauco cibo parui ducimus ita quantitatem in qualitate magnã damnamus.

Saccarum multiplici modo in Febribus conueniens eſt; cum autem ſal ſit plantæ, ſi immodice comedatur, aut in potu ſumatur nocet ſitim augendo maximam. Scio medicos hoc prohibere ſed inueterato ſummopere hoc abuſu ægri quamplurimi Medicis neſcientibus maximam Saccari quantitatem deuorant, qua de cauſa Medicos admonitos eſſe volo. Tu autem ne naſum Rhi-

nocerōtis facias lector ſi in rebus minimis, quæ nō conſiderantur quandoque ſalus ægrotantis, Mædicique laus, & honor conſiſtit. Vnum hoc ſciat Medicus, quod dū impoſuit Hippocrates, quod non oportet ſe ipſum præſtare ſolum, ſed & ægrum, & aſſiſtentes, & exteriora præceptum apud nos reliquit, quod centoculati Argi more debemus eſſe, ſi hoc etiam ſufficeret.

Fiſtula Thoracis Periodica.

OBSERVATIO XIII.

NOn abſurdum eſt dixiſſe probe viros ſapientes, vt ait Plato 2. de Rep. maxima, atque pulcherrima Natura, Fortunaque fieri, quoniam vt ait Ariſtoteles 7. Ethic omnia diuinum quoddam natura habere videtur nam ex ſententia D Aug lib. 10. de Ciuit. Dei. Naturæ opera ſunt maxima miracula, Miracula quidem, nam ob indiuidui conſeruationem ſæpe morbo oppreſſum ab Orci faucibus hominem, & à Parcarum ferro ſtamen vitale, ne reſcindatur, eripit, ſicuti in hac Obſeruatione videbimus.

Ad confirmationem meæ Epiſtolę, quam diligentiſſimo viro Antonio Vitagliano elapſis paucis ab hinc annis ſcripſi (ideſt circa illam partem, quod pulmones nullam in cauitate thoracis ſtagnantem materiam, ad ſe attrahant, inde per anacatharſim expuant præter id, quod dictum fuit, ſcilicet quod pulmones ex recenti animali mortuo extracti, & inflati, nec ad minimum aeris expellendum pervij ſint, ſicuti etiam in multis thoracis vulneribus, vbi cum quotidie maxima ſaniei copia per

vulnus

vulnus excerneretur, nec guttulam quidem per excreatum cum tuſſi expulſam vidimus) ſciendum eſt, quod cũ Iacobus Martanus Ferrarius Faber prope Eccleſiã D. Mariæ Lauretanæ apud Traiani Columnam hic Romæ aliquando vulnus in thorace penetrans habuiſſet, non ſine magno vitę diſcrimine vulnus proceſſu temporis, cum claudi non deberet, nec poſſet, ne ærger in maxima pericula deduceretur, in fiſtulam tranſijt, abſque eo quod nec minimum puris expuiſſet. Sed quod mirandum exiſtit audias Lector multis ab hinc menſibus fiſtula nõ amplius apparet, ſed eſt clauſa, donec facta in thoracis cauitate me atericoaceruatione, ſuperueniente febre, tuſſi, capitis doloribus poſt aliquot tempus reſerata fiſtula, materia contenta excernitur, & denuo clauditur, abſq. eo quod prius, aut poſterius nec guttula quidem ſanguinis, tamen, aut puris per ſputum expellatur.

Oro interim illos, qui pulmones attrahere materiam in cauitate thoracis ſentiunt, vt ſint oculati teſtes, hac de cauſa nomen, & domum deſcripſi. Hoc modo viuit iſte miſer, & infelix, qui periodice dum materia colligitur, & ſtagnans in thorace putreſcit, fere ad vltimum vitæ ducitur, qui niſi fiſtula beneficio naturę aperiretur, certe deſperatus e viuis decederet. Quid dicendũ eſt igitur? nam ſi in vitæ magno diſcrimine, vt in hoc caſu, pulmones non attrahunt materiam in thorace cõtentam, ergo neque in rupto tuberculo pleuræ aliquid attrahent.

In

In Leipyria ſebre maculæ penetrantes nigræ per totam pulmonum ſubſtanſtantiam inuentę.

OBSERVATIO XIV.

D*Vm fata ſinunt viuite læti,*
Properat curſu vita citato,
Volucrique die rota præcipitis
Vertitur anni.

Sic Seneca in Hercule furente. Improuiſa eſt adeo vis lethi, vt magnam admirationem pariat, quomodo eſſe poſſit, quod corpus aliquod recte ſe habens ad omnes vitæ functiones breuiſſimo tempore funditus corruat. Tantam in leipyria febre renitentiam alexi pharmacis omnibus obſeruauimus, vt mortuis ægrotantibus ſecto pectore maculæ nigerrimæ inuentæ fuerint per totam pulmonum ſubſtantiam diſperſę, & altè penetrantes. Pulmones hoc modo variegati Pardi pellē æmulabantur.

Opi-

Opiſtotonus in pedum vulnere lethalis.

OBSERVATIO XV.

ITa homo bellorum amans, ſanguiniſque auidus eſt, vt poſſit dici cum Iuuenale quod cum feræ eiuſdem ſpeciei pace perpetua fruantur homini qui rationem pro propugnaculo, vt ait Phocilides habere deberet.

Ferrum lethale incude neſanda
Produxiſſe parum eſt, cum raſtra, & ſarcula tantum
Aſſueti coquere, & Martis, ac vomere laſſi
Neſcierint primi gladios excutere fabri.
Adſpicimus Populos, quorum non ſufficit ira
Occidiſſe aliquem, ſed pectora, brachia, vultus,
Crediderint genus eſſe cibi.

Crudelitas apud homines plus quam in aliis animalibus regnat, ideo quotidie tuba canit claſſicum; quotidie armorum ſonitus Cœlum reſonat, vndique ad arma, ad arma audimus. Iuuenis quidam enſe in talo ſupra os illud, quod Pterna à Græcis vocatur, vulneratus opiſtotono correptus miſerrime perijt; vulnus autem erat in tendine illo amplo, & claſſo, qui chorda Hippocratis magna vocatur, nempe vbi confunduntur quatuor illi muſculi, Solęus, ſcilicet, Gemelli duo, & Plantaris, quos potius ad ſaltum, aut robur pedum dũ

ambu-

ambulamus, ne corpus in anteriorem partem corruat, quam ob pedis extenſionem fabrefactos eſſe exiſtimo, nam ſicut pes flectitur à Tibięo antico, & Peroneo, è contra extenditur à duobus muſculis Tibięo poſtico, & Peronęo poſtico: opiſtotono vero correptus breui mortuus eſt; ſimilis conuulſio in huiuſmodi vulneribus, & in omnibus pedum vulneribus facile accidere poteſt nã ſub illa chorda magna latitat neruus eximiæ magnitudinis, qui per totum pedem diffunditur, ideo pes extreme dolorificus eſt, quia ſummopere neruoſus exiſtit, & conuulſiones ex pedis vulneribus ortę lethales ſunt, ſicuti accidit in quodam alio Iuuene, quidum imprudẽter ſcloppum, quem vulgo Archimbuſium vocant tractaret, ſe ipſum in tarſo, & metatarſo vulnerans opiſtotonò ſuperueniente periit.

Aquæ acetoſę iuxta fontem lapides reperti.

OBSERVATIO XVI.

Nil conſuetudine maius.

Ovidius ait de arte amandi libro ſecundo, conſuetudinis enim magna vis eſt ſi Ciceroni Tuſcul. quæſt. libro 2. credimus, & ſicuti nos quotidie experimur.

In prima Pentecoſte Iatrologiſmorum obſer. XXVI. ſcripſimus aquæ acetoſæ incommoda, & præſertim de illo auriga, qui calculo veſicæ laborabat ob huius

aquæ

aquę potum, & qui tandem menſibus elapſis perijt; ſcripſi etiam quod vulgi ſententia quãdoque erronea eſt. Quamplurimi Medici tacite obſeruationem hanc non ſatis approbabant, ſed experientia maior dubia fugauit. Cum ad recognoſcenda ſimplicia Romę, foriſque, ſicut meus eſt mos longam premerem viam, campaniam Romæ circuendo, aquam acetoſam, quæ extra Portam Hoſtienſem, vulgo S. Pauli, quarto ab Vrbe lapide diſtat, inueni, cumq; omnia examinarē ſcilicet ebullitionem, colorem, odorem, ſaporem, accidit, vt lapides concretos circa fontem, dum aqua lãbendo trãſit, inuenirem; aqua enim materiam lapidoſam relinquit tranſeundo, etiam vbi cadit, quæ in lapidem concreſcit, quorum aliquos apud me habeo, qui ſcopuli Maris odorem, aut, vt melius dicam, Corallinę odorem referunt. Hęc aqua melior exiſtimatur à Populo quam illa, quæ eſt extra Portam Flaminiam, quam non ita examinaui, ſed aliquando recte examinabo. Bibant modo qui volunt tanto cum diſcrimine aquam acetoſam; quãdoquidem ſi lapides, tranſeundo tantum aqua, prope fontem concreſcunt, quid ſperandum in corporibus humanis, vbi aliquãdiu, ſi nõ concoquitur aqua, ſaltē per aliquod tempus alteratur maxime, & immoratur? Relinquimus nunc quæſtionem an ſcilicet aquæ Thermales copia plus quam qualitate naturam ſtimulent expellendo. Certū eſt aquam fontis large potam ventrem ſoluere (vt ſæpius expertus ſum) ſicut aquas Thermales. Remedia hæc nunquam mihi placuerunt, cum remedia meliora, tutiora, & ſalubriora apud nos habeamus, quæ quotidie experientia comprobantur.

Hydropicorum Paracenteſis difficultas.

OBSERVATIO XVII.

TRia in omni arte humana eſſe debent, vt ait Marſilius Ficinus in Plat. I. nempe, vt ſingula, priuſquam fiant, excogitentur, mature, ſtrenueque expediantur, & ea forma, qua excogitata ſunt ſeruẽtur, ac fortiter defendantur. Multoties enim, ſi aliquod ex his deficit ars non perfecte, ſed imperfecte fit. Multa dogmata experientia inuenta ſunt, ſed non idcirco temulenter, & imprudenter ad experientiam niſi cum validiſſimis rationibus confugiendum eſt, nam ſi poſtea experimentum fallax redditur, timor obruit prudentiam, ſucceditque id quod vulgo dicitur de cane, qui calida aduſtus frigidam reformidat, quod confirmat Ouid. lib. 2. de ponto.

Da veniam quaſo, nimioque ignoſce timori;
Tranquillas etiam naufragus horret aquas.
Qui ſemel eſt læſus fallaci piſcis ab hamo
Omnibus vnca cibis æra ſubeſſe putat.
Sæpe canem viſum longe fugit Agna, Lupumque
Credit, & ipſa ſuam neſcia vitat opem.
Membra reformidant mollem quoque ſaucia tactum,
Vanaque ſollicitis incitat vmbra metum.

Ideò prudenter tentanda ſunt aliqua remedia, ſicut in Hydropicis, vbi medici quamplurimi tentatis perperam remedijs multis ad Paracenteſim tanquam ad

ad Ancoram, ſacram confugiunt. Sciendum itaque, quod omnes, quos hoc modo ſecauimus, perierunt, & hoc potiſſimum oriebatur hac de cauſa; nam cum ſpes in potionibus, cæteriſque medicamentis, tum internis, tum topicis adſit, difficile ægri paracenteſim patiuntur; quando poſtea deſperata res eſt, & ferrũ, & ignem ſanitatis cauſa quærunt, ſed iam tempus præterijt, & ſi fiat paracenteſis citius moriuntur. Et agas quoquo modo libet, aut exire ſinas aquã paulatim, aut in magna quãtitate, inutile erit, & ægri citius moriuntur. Obſeruandum porro eſt, ne ferro cadente abdomen perforetur, nam peritoneum inflammatur, vt experti ſumus. Alia etiam incommoda in hac ſectione oriuntur, nempe difficultas claudendi orificiũ Paracenteſis; nam nec turunda ex petia, aut gentiana, aut cerato, aut quidlibet ſufficit. Quandoquidem abdomen continuo motu ad motum thoracis omnia reſpuit, aqua vero ceratum adhęrere non ſinit, Solus æger aut alius admoto ſemper digito diu, noctuque ſuper turundam opus perficit, quod eſt admodum difficile. Melius eſt itaque dum viſcera aliquo modo labefactata ſint paracenteſim reſpuere; ægri enim citius moriuntur, abſque ſpe vlla ſalutis.

Foetus mortuus abortu expulſus cum infinitis paruis globulis, qui piſcium oua repræſentabant.

OBSERVATIO XVIII.

QVid ſentiendum eſt de morte, quæ truculenta, & immanis omnia obruit?

Illa rapit iuuenes, ſuſtulit illa ſenes.
Quaque ruit furibunda ruit, totumque per Orbem
Fulminat & cæcis cæca triumphat equis.

Vt ait Ouid. ad Liuiam de morte filij. Cæca inquam nam ſenes iuuenes, & nondum natos quod maius eſt ſanguinea falce interficit. Mortuum fœtum abortu expulſum vidimus cum infinitis globulis, qui piſcium oua ræpreſẽtabãt. Qua de cauſa id factum ſit perſcrutari Philoſophorum eſt. Dicere poſſemus aut eſſe ſuperfœtationis imperfectionem quamdam, aut maximã vim naturæ generatiuam in humore aliquo pituitoſo in vtero redundantẽ; intẽta enim generationi alicuius viuentis, tãquam perfectioris, quam rei inanimatæ, materiam in globulos efformauerat, ſicut oua piſcium generationi idoneam. Nos hæc poſuimus. Dicant perſpicaciones quid ſentiunt.

In obſtructione lienis ſitis fuga.

OBSERVATIO XIX.

SI quis diceret piſces per aera natare, volucres per vndas volitare, ceruoſque in æthere degere, impoſſibilia, nullaque fide digna proferret. Naturæ enim ordo requirit, vt ſingula animantia ſuum elementum cognoſcant, in quo viuunt, alioquin incredibile porſus erit. Sic etiam apud Medicos aliqua miranda monſtroſa, & portentoſa eluceſcunt, quæ incredibilia eſſe videntur, ſicut in hac obſeruatione videbimus. Nam cum villicus quidam, qui paſcua, terraſq; prope turrim D. Laurentij apud mare cuſtodit D. de Caſſarellis, obſtructionem lienis maximam pateretur, & me interrogãte quomodo biberet (obſtructiones enim maximam ſitim pariunt ita, vt viderim quandoque ægros ſiti vexante vrinam bibiſſe) ſe per trimeſtre æſtiui temporis ſpatium non bibiſſe ait. Denuo mihi interroganti, num abſtineret à potu, ne fieret maior obſtructio conſilio alicuius Medici, an verò paucam haberet ſitim, eamque facile toleraret, reſpondit nullã petitus habuiſſe ſitim, & hac de cauſa nũquam bibiſſe, cum tamen Lienoſus ſit, & corpore ſqualido; quę res in alio homine maximam excitarent ſitim. Hanc potus auerſionem credimus oriri à pituita quadam viſcida, inſipida, difficilis corruptionis, quæ meatus Lienis obſtruat; & ſic dum inſipida eſt ſitim non excitat; dum non corrumpitur acrimoniam non acquirendo prohibet potius quemcunque potum, quam ſit cauſa bibendi.

Intro-

Digitized by Google

Intromiſſio Syringis per mentulam pluries tentata lethalis.

OBSERVATIO XX.

ARtes ex Auerroe 2. Ethic comm. 1. diuturna conſuetudine acquiruntur; homines enim, vt ait Ariſtoteles 1. Meta. in prohemio, experientia artes, ac ſcientias cõſequuntur, quod optime cecinit Manil. lib. 1. Aſtronomic.

Per varios vſus artem experientia fecit,
Exemplo monſtrante viam.

Ideo vt plures caſus, plura ſalutaria, aut infœlicia ſciat Medicus, neceſſe eſt, vt experientia ſit edoctus. Sed audias lector experientia non conſiſtit, dum quis in arte conſeneſcit tantum, ſed dum quis oculis Lynceis omnia videt, omnia obſeruat, quę faciunt ad rem. Vidi Iatros aliquos ita Medicinam exercẽtes vt pudeat dicere. Experientia conſtat in obſeruando ægros & ſecando mortuos, atque his ſimilibus laboribus, in quibus cum aliquot annos impẽderim quampluri- ma ſalutaria in lucem propono. Aegri, in quibus aut imminuta, aut ſuppreſſa eſt vrina diligẽter intromiſſione Syringis tangendi ſunt; partes enim illæ ſæpius tactæ facile lęduntur; ſępius quoque veſica ſanguinis grumis replẽtur, vt mortem etiam inferat.

In obſtrutione Lienis maxima, ſpiritus vitrioli cum iure propinatus ad extinguendam ſitim, ventrem mirifice ſoluit, ægerque liberatur.

OBSERVATIO XXI.

LVdit in humanis, diuina potentia rebus. Ouidius lib .4. de Ponto ſic loquitur. Cum autem in Medicina ſæpius accidat luſus iſte, ex abrupto, vbi deſperas, ſpes oritur, & ſanitas. Ob hoc igitur Medici fere omnes, etiam ſi ægri ſint deſperati, non relinquunt prognoſtico tantum, cum quotidie experiantur, quod Deus & Natura etiam deſperatos à morte vindicent, ita etiam in alijs caſibus res eueniunt inexpectatæ.

Cum villicus quidam lienoſus ſiti maxima torqueretur, ius cum tribus, aut quatuor guttulis ſpiritus Vitrioli ſumens ad temperandum immodicæ ſitis æſtum, ex hac potione ventre ſoluto, plus quam quadragies, ſiti, & obſtructione lienis liber conualuit I nunc Medice, & morborum euentus prenuncia.

Lapis

Lapis per excreatum expulſus.

OBSERVATIO XXII.

AB Adriano Imperatore Secundus Philoſophus interrogatus, quid eſſet Mors? vt refert Diogenes Laertius de vita,& moribus Philoſoph. reſpondit, Aeternus ſomnus, diſſolutio corporum, diuitum pauor, pauperum deſiderium, ineuitabilis euentus, incerta peregrinatio, latio hominis, ſomni pater, fuga vitæ, viuorum, diſceſſio, reſolutio omnium. Ad hanc omnes mortales tendimus, ad hoc nati ſumus; moriendum eſt enim omnibus, vt ait Cicero Tuſcul. quæſt. lib. 1. Verum per tot caſus per tot pericula, per tot monſtroſa vita hominum ambulat, vt quotidie admirari liceat humanæ miſeriæ calamitatem. Senex quidam cum tuſsi tētaretur ex abrupto excreando violēter lapidem expulſit, Tam in fœlicibus, quàm in ſiniſtris fortuna ludit.

Vtero

Digitized by Google

Vtero gerentes primis menſibus, ne copia ſanguinis fœtum obruat, dummodo ſint ſanguineæ, Phlebotomia ab abortu ſunt præſeruandæ.

OBSERVATIO. XXIII.

PRudentia ſecundum Plotini Enne. 1. ſententiam eſt pręcipua quędam ratiocinatio, & circa magis vniuerſale; verſatur conſiderat enim numquid in præſentia ſit cohibendum, & abſtinendum, an in poſterum, an omnino melius aliud, & quæ viciſſim conſequantur, quæ non animaduertit; nam, vt ait Io. Pontanus lib. 3. de prudentia, non ſolum prudentis viri munus eſt rebus vbiq; ſuis proſpicere, illiſque, ac ſibi bene, recteque conſulere in omnem vitæ partem, ſed etiam nihil aut negligere, aut prætermittere, quin omnia potius excogitare, eaque acute perſpecte, & caute: quandoquidem prudentia meditationis comes eſt, quam qui habet optimus eſt, vt ait Auſ. de lud. 7. ſap.

Is quippe ſolus rei gerendæ eſt efficax,
Meditatur omne, qui prius negotium.

Maximam ſolertiam in pręgnantibus ad præcauẽdum abortum Medicus habere debet, quandoquidẽ ſæpe ob huius defectum prægnans abortitur Quamquam pręgnantibus ſanguis non ſit detrahendus cõmuniter vniuerſali quadã methodo, tamẽ in quibuſ-

dam in quibus veremur, ne copia ſanguinis fœtum obruat, primis menſibus ex brachio ſãguis eſt detrahendus Nos ſemel & bis huiuſmodi Phlebotomiam celebrauimus in eadem prægnante, dum opus, fuit fœliciter.

Hydrops in puella nimio potu ſanatus.

OBSERVATIO XXIV.

PVeri, vt beſtiæ quaſi nihil penſi habent, ſed & quocunque voluptas trahit prorumpunt, & vndecunque retrahit dolor aufugiunt] ex Marſ. Ficino in Pla. ipſi enim non ratiocinantur, ſed, quocunque ſenſus, & dolor ipſos allicit, aut retrahit ſe vergunt, ideo Medicorum aliqui difficile fœminas, & pueros mederi volunt, nam ſicut hæ lubricæ, incoſtantes, variabiles, & inobedientes ſunt, ſic illi modo aiunt, modo negant, modo volunt, modo recuſant; tam fragilis, tam inſtabilis ipſorum eſt Natura? Hac de cauſa igitur impoſitę regulę parere nequeunt, ſicuti puellæ contigit, quæ, cum Hydrope lethali torquetur iubentibus nobis potus cuiuſcunque fugam, vt fieri debet, tantam aquæ quantitatem aliquando bibit, vt rumpi videretur. Sed quoniam, vt aiũt, Fortuna pueris, & ſtultis auxiliatur, alui fluore oborto priſtinæ ſanitati reſtituta conualuit.

Tri-

Triplicis quartanæ creſcentis, & decreſcentis differentia.

OBSERVATIO XXV.

RHetor ex Ariſtotele lib. 1. Topic. non ſemper perſuadebit, nec Medicus ſemper ſanabit, indurati, enim aliquando audientium ſunt animi, vt Rhetoris verba non admittant, ita etiam aliquãdo radices poſuit altius morbus, vt Medici opem, & auxilium contemnat. Medicorum itaq; ſumma laus eſt futurum morbi euentum prænunciare, maximo enim in honore apud homines erit.

Triplicis quartanę duplicem differentiam obſeruauimus, altera enim ſemper creſcit, altera verò decreſcit Exemplum creſcentis hoc modo erit v. g. prima die quartana erit ſex horarum, ſecunda die duodecim, tertia decem & octo. Quarta die regreditur prima ſex horarum, & ſic deinceps. Exemplũ creſcentis contrario modo eſt; nam prima die erit decem & octo ſecunda duodecim, tertia ſex horarũ. Quarta decem & octo ad circuitum primę, & ſic reliquę. Triplicem; quartanam pluries experti ſumus, quæ vt optime obſeruaui Medicos aliquos fefell t, credendo quod eſſet duplex tertiana. Prognoſticum hoc eſt. Triplex quartana creſcens lethalis eſt, decreſcens verò non ita.

Luxata vertebra ceruicis ſecunda pluribus diebus æger vixit.

OBSERVATIO XXVI.

BOetius lib.2. Metro.1. de fortuna loquendo, ſic ait.

Hac cum ſuperba verterit vices dextra
Aeſtuantis more fertur Euripi.

Et Paulo poſt ſubdit

Non illa miſeros audit, aut curat fletus.

Hanc quotidie, & miſeri & beati experiuntur, qua de cauſa Menander cecinit

Mortalia omnia mutationes multas habent:

Sed facilius ruit illa in deterius, quàm in melius, & ſi in vno ludit id efficit, vt cœteros fallat. Opes, honores, ſalutem fortuna regit, ſed in ſalute præſertim eius vis maior apparet. Ruſticus quidam ex arbore decidit ceruiciſque vertebram ſecũdam prope athlantem vertebram (vt ex mortui ſectione obſeruauimus) luxatam habens hoc modo per quam plurimos dies vixit, vbi alios breui temporis ſpatio mortuos vidimus, quamquam admodum magna luxatio eſſet.

Vini vſus pueris pernicioſus.

OBSERVATIO XXVII.

PVeri ſecundum Ariſtoli 3. Ethic. ſententiam viuunt ſecundum concupiſcentias, plurimaque eſt in illis voluptatum cupido, ideo, vt iubet Ageſilaus, pueris potiſſimum diſcenda ſunt ea, quibus vſui ſint, & cum ad virilem peruenerit ætatem, ſequuntur enim maxime voluptatem, qua de cauſa ſi multa requiritur induſtria in puero educando ne malis moribus imbutus creſcat, non leuis eſt etiam momenti diligenter animaduertere, vt ſanitas illius non deficiat, infirmaque reddatur. Vini vſus pueris admodum eſt pernicioſus, tum ad morum corruptelam, tum ad ſanitatis noxam. Credas equidem Lector, quod in abuſu educationis puerorum ſcripſi vt hodie ex frequenti vini vſu infantes maximis, periculoſiſſimiſque morbis torquentur. Conſilium meum itaque eſt; vt ab hominibus vini vſus in pueris explodatur ſecundum Ariſtotelis ſententiam de ſomno & vigilia, aſſerens, quod neque pueri, neque eorum nutrices vinum bibere debent, nihil enim forſan differt ipſos bibere, vel nutrices, ſed oportet bibere aqua dilutum, & modicum, & non ſicut abuſus communis hodie vagatur, multi enim pueri vinoſi, bibaces, & ebrij admodum ſunt.

Imminutio viſus nimio coitu orta, Reparatioq. eiuſdem viſus, coitu fugato, reſtituta.

OBSERVATIO XXVIII.

AD oſtendendum quantum mulierum libido hominibus contraria ſit, Heſiodus mire explicat in Theogonia, dum minime ducendam vxorem ei, qui ſeneſcere cupit ait. Secundo autem lib. operum, & dierum aſſerit vxorem abſque titione virum quantumlibet fortem vrere, crudæque tradere ſenectuti; abſque titione dixit ideſt abſque aliquo, apparente igne. ſed tacita quadam vi, quod confirmat Cornelius Gallus, vel ſi alius is eſt de Lycoride.

Iamque alios iuuenes, alioſque requirit amores:
Me vocat imbellem, decrepitumque ſenem.
Nec meminiſſe volet tranſactæ dulcia vitæ,
Nec quod me potius reddidit illa ſenem.

Virgiliu s aut ſi quis alius eſt in indecoro carmine Priapum ſic loquentem inducit.

Porro (nam quis erit modus quirites?)
Aut precidite ſeminale membrum,
Quod totis mihi noctibus fatigant
Vicinæ ſine fine prurientes
Vernis paſſeribus ſalaciores.
Aut rumpar, nec habebitis Priapum.
Ipſi cernitis,

Et paulo poſt

Defecit latus, & periculoſam

Cum

Cum tuſſi miſer expuo ſaliuam ,
Propagandi tantum cauſa Venus, celebrari debet
Vina ſitim ſedent , Natis Venus alma creandis
Seruit ; finem horum, tranſiluiſſe nocet .

Iuuenis quidam ob nimium coitum viſum amiſerat, vt parum cerneret . Medicorum conſilio, coitu in poſterum fugato,viſum recuperauit, cum etiam quotidie ieiuno corpore fruſtulum cinnamomi, ad prohibendam fluxionem, quę in oculos ruit, comederet.

Sanguis grumoſus in corde.

OBSERVATIO XXIX.

EXperientia ſecundum Io: Pontan lib. 4. de prudentia eorum, quæ prudenter geſta, recteq; ſunt adminiſtrata teſtimonium perhibet; experientia enim,vt ait Galenus de ſanit. tuenda,fidem inuentorũ comprobat, ſed, non nimis curioſe experiri aliquid debemus, ſed ſolum ad indagãdam, veritatem experientia celebranda eſt, alioquin aut negligentia talpas nos reddit, aut noſtræ opinionis amor, etiam ſi Argum paruifacimus, vitrum luſorium oculis noſtris imponit, vnde confundimur, & fallimur. Hoc dixi nam aliqui ſecando corpora, dum aſpiciunt aut in aliquo magno vaſe ſanguinem concretum, ſicuti in omnibus cadaueribus apparet, ſtatim aut ſanguinem grumoſum, aut cornua ceruorum aut vermes lethales in corde reperiſſe aſſerunt, cum re vera nihil horum ſit, ſed ſanguis frigiditate cadaueris concretus cum adipe, qui ſecundum vaſa volubilia

& tortuoſa ita diuerſas figuras oſtendit. Non negauerim tamen in corde has res reperiri poſſe ſed ſolliciti, & experti eſſe debemus. Sanguinem grumoſum in ſiniſtro & dextro vētriculo cordis interne affixum ſemel tantum obſeruauimus (in tot quos ſecauimus) in quodam iuuene febre ardentiſſima mortuo, non concretum nigricantem, & ſtagnantem, vt in alijs, ſed maxime rubrum aliquantum flaueſcentem: in cordis ventriculis maxime adhærentem, vt ſecerni non poſſet citra lacerationem.

In Capitis vulnere ſurdus, & mutus redditus æger, poſt quindecim dies recuperata voce, & auditu, conualuit.

OBSERVATIO XXX.

Sicut inquit Terentius in Eunucho quod *Nullum eſt iam dictum, quod non dictum, ſit prius.* Ita aliquando multa exempla, & multæ res, quæ acciderunt de nouo emergunt, & ſicut ait Horat. in arte Poetica:

Multa renaſcentur, quæ iam cecidere.

Legeram in Valleriola lib. 5. obſ. 9. quod quidā ſutor Auenione in capite graui vulnere percuſſus reſolutione ſimul & conuulſione poſt ſeptimam diem correptus, & ſine voce mutus dies totos ſeptem manſit. Ita fuit iuuenis quidam mutus per ſeptem dies ex vulnere capitis, cum ex alto cecidiſſet, ſed cum hac differentia, quod neque reſolutionem, neque conuul-

nulſionem habuit, ſed ſurdus manſit. Decima quarta die vocem, & auditum recuperauit. Exitus ancipites in capitis vulneribus, & citra ſpem eueniunt, nam aliquando, quos ſanandos credimus, ex ſimplici vulnere pereunt. Contra etiam, quos perituros affirmamus ſanantur.

Ex diſtillatione à capite, ad pulmones inſipida, Phtiſis, deinde mors oborta.

OBSERVATIO XXXI.

Iudicis officium, vt res, ita tempora rerum
Quærere, quæſito tempore tutus erit.

Ita canebat Ouid. lib. 1. de Triſtib. ita etiam in Medicina fieri debet, nam de ſalute, quæ nullo argento, auro, gemmiſque, compenſari poteſt, tractatur, Cum morbus aliquis vel leuiter ægrum torquet, non breui examine morbi naturam iudicare, ſed ſollicitudine maxima diligenter inquirere omnia debet Medicus. Hæc ſi fecerit optimus erit. Cum aliquando inſipidã diſtillationẽ à capite ad pulmones ſutor quidam haberet: Medicus quidam neglecto morbo ipſum dereliquit, æger vero non multum poſt tempus Phtiſi correptus mortuus eſt. Etiam ſi materia primum eſſet inſipida, & hac de cauſa nullam haberet acrimoniam, tamen proceſſu temporis corrupta cum efficaci, ac virulenta acrimonia Phtiſicum reddidit ægrum, quo facto breui temporis ſpatio mortuus eſt, Attente enucleanda ſunt omnia; negligentia enim alicuius rei aſpectu, vel leuiſſimę ſępe maximam noxam infert.

Hyſterica Veſtalis ad mortem vſque redacta Phlebotomia in ipſa lipopſychia celebrata conualuit.

OBSERVATIO XXXII.

Qvi ſerere ingenuum volet agrum
Liberat prius arua fruticibus,
Falce rubos, filicemque reſecat.
Vt noua fruge grauis Ceres eat.
Dulcior eſt, apium mage labor
Si malus hora prius ſapor edat.
Gratius aſtra nitent, vbi Notus
Deſinit imbriferos dare ſonos.
Lucifer vt tenebras pepulerit
Pulchra dies roſeos agit equos.
Tu quoque falſa tuens bona prius
Incipe colla iugo ſubtrahere,
Vera dehinc animum ſubierint.

Boetius lib. 1. metro 3. ſic monuit. Mulieres, etiam ſi optimæ ſint, tamen, vt ait Hippocrates in Epiſtola ad Dionyſium habent opus moderatore ad reſecandos quotidie laſciuiæ ramos; quare optimum Chriſtianorum inuentum fuit illas virgines inter clauſtra tueri. Sic enim tanquam flores odoratiſſimi ſuauitate, & fragrantia Mundum, Cœlumque implent. Verum Moniales ſæpe hyſtericis paſſionibus cruciantur, copia ſanguinis præſertim; in quibus Phlebotomia in ipſo animi deliquio eſt celebranda. Veſtalem hac de cauſa agentem animam apud SS. Quatuor Coronatos Phle-

Phlebotomia ſanitati reſtituimus, cũ adſtantes Moniales ante exitum me temerarium appellarent.

Quintana lethalis cum tertiana duplici continua copulata.

OBSERVATIO XXXIII.

TRiſmegiſthus ille Mercurius, maximus ſcilicet Philoſophus, maximus Sacerdos, maximuſq; Rex Mortem ita deſcripſit. Mors efficitur diſſolutione corporis, & numeri completi, quo corporis membra in vnum compoſitum ad vſus vitales accommodantur; quæ diſſolutio infinitis, vt ita dicam modis fit, ſemperque noua, & ignota lethi arma Mors geſtat. Reuerendus Pater Sacerdos Ordinis Prædicatorum Reformatorum in S. Xyſto hic Romæ Prior bis prima die febri correptus eſt cum maximis rigoribus, quarum altera tertiana continua erat, altera vero quintana; ſecunda, tertia, & quarta die duæ tertianæ continuæ ægrum torquebant: quinta die redijt quintana, quæ hoc modo ægrum opprimens tertio tandẽ circuitu, nona ſcilicet, die dum apparuit ægrum interfecit. Nec Hercules contra duos; quid itaque fieri poterat contra tres febres peſſimas continuo ægrum cruciantes, quintanam ſcilicet lethalem, duaſque tertianas continuas?

Monſtroſa calculorum eiectio.

OBSERVATIO XXXIV.

HOmo Profectò (vt inquit Plotin. En. 2.) eſt tã pulchrũ opificiũ, quã pulchrũ eſſe poteſt huius dignitatis excellentiã auctores recẽſere volẽtes hominẽ Microcoſmũ ad Macrocoſmi ſimilitudinem tanquam paruum mundum appellauere, cupientes, vt reor, nocis indicare, quod omnia quæ ſunt in Mundo magna, & mirabilia ſint etiam in homine. Præter cætera quę paſſim connumerantur calculorum generatio, & copia mirabilis eſt, tanquam natura humana Latomias etiam haberet. Mulierem curauimus, quæ duorum menſium ſpatio plus, quam quadringentos calculos excreuit per vrinarios meatus differentis tamen magnitudinis propinatò ſpiritu Vitrioli cum aqua graminis ad aciditatem. Altera calculos tam duros excreuit, vt Pyritem lapidem æmularentur, percuſſi enim calybe flammam euomebant.

Vaſa ſpermatica ex vtraque vena, & arteria emulgente in Vtraque parte ortum ducentia.

OBSERVATIO XXXV.

BReuiſſima hominum vita eſt.
Nec naſci bis poſſe datur, fugit hora, rapitque
Tartareus torrens.

Ex Silio Italici :lib. 13. bell.Punic. Solum ad compenſandum hoc, & vt aliquo modo immortales homines reddantur inuita morte Natura prolem inuenit,in qua homines Mortis arma fugiũt. Verũ ad procreandã ſobolẽ non omnis eſt aptus;aliquis.n.ſterilis, aliquis prolificus eſt.Mortuum ſecuimus, qui ab vtraque parte vaſa ſpermatica ex emulgentibus venis, & arterijs orientia habebat. Huius ſemen cum admodum aquoſum,& frigidum eſſet ob ſeroſi humoris copiam generationi erat ſummopere ineptum.

Atrophia correptus citrio malo conualuit.

OBSERVATIO XXXVI.

Quidam Brixienſis de ſe dicere poterat cum Ouidio lib.2.de triſtib.

Oſſa tegit macies, nec iuuat ora cibus.
Quique per Autumnum percuſſit frigore primo
Eſt color in folijs, quæ noua læſit hyems
Is mea membra tenet, nec viribus alleuor vllis,
Et nunquam queruli cauſa doloris abeſt.

Nam cum letho vicinus eſſet, & ob continuam febricitationem in Atrophiam incidiſſet Citria mala ſummopere appetens, vnum integrum, & magnum, quatuor librarum pondere comedit, quod vt ſcimus cõmanducatum à quolibet ſano difficillimæ concoctionis eſt; tamen æger hic Citro deuorato melius ſe habere incępit, & conualuit. Indulgeant quandoq; Medici ægrorum voluptatibus, ſed cum modo, & menſura, multoties enim Natura à nullo edocta vi tem-

temporis ætherei id, quod eſt ſibi vtile maximopere appetit.

Melancholici quomodo tractandi.

OBSERVATIO XXXVII.

Curando fieri quædam maiora videmus.
Vulnera, quæ melius non tetigiſſe fuit.

Sic imperabat Ouid. 3. de Ponto. Multis in morbis frequentata remedia ruere ægrum in deterius cogunt.

Hic Romę vbi frequentiores, quam alibi ſunt Accademiæ, vbi virtutes pullulant, vbi concurſus doctorum hominum (alia loca non negligendo) frequētiſſimus eſt, ob ſtudiorum frequentiam Melancholici vt plurimum redduntur homines; Nobiliores enim ſpiritus in ſtudio conſumpti, cum alijs cauſis copulatis, hunc morbum præcipuè generant. Hos vero ita affectos melius eſt fouere verbis ſpe plenis, medicamentis odoratis, & corroborantibus, quæ ſcilicet ſpiritus diſſipatos reſarciant, membraquè affecta recreent, quam alijs Pharmacis.

Sed quo vergo, de hoc morbo doctiſſime ſcripſit nuper Paulus Zacchias inter Romanos Medicos celeberrimus, ideo ad illius librum lector, te remitto.

Auer-

Auerſio odoris aquæ florum aurantiorum in muliere, cum tamen cæteros odores auidius appetat,

OBSERVATIO XXXVIII.

N*Ec tellus eadem parit omnia vitibus*
Conuenit, hæc oleis, hic benè farra virent.

Vt ait Ouid. lib. 1. de arte amandi, ſic nos etiam qui nihil aliud quam terra ſumus ſecundum diuerſitatē complexionis, quam habemus ita etiam à Natura differentes res habemus.

Mulierem vidimus, quæ quotieſcunque aquę florum aurantiorum odorem ſentiret tantam auerſionē habebat, vt deliquio animi corriperetur, niſi amota fuiſſet aqua, cum tamen cæteres odoribus maximè delectaretur. Vnde hæc differentia (Vnde tanta auerſio? Certè dicere poſſumus teporem æthereum plurima miranda perficere, plurima etiam fieri à non ente ex priuatione? Plura qui velit legat libros noſtros de Elementis, eorumque mixtione. Homo & iam fuit qui olfaciendo roſas ſincope corripiebatur.

Epipleſia imprudenter igne ſanata.

OBSERVATIO XXXIX.

E*Leborum fruſtra, cum iam cutis agra tumebit*
Poſcentes videas venienti occurrite morbo.

Perſius Satyr. 3. ſic meminit; Morbus enim cum iam confirmatus eſt medicamenta reſpuit omnia, vel violentiſſima; attamen quandoque rara eueniunt. Epilepticum iuuenem vidimus, qui in ignem corruens ſummopere pede aduſto nunquam Epilepſia in poſterum correptus eſt. Hoc exemplo edocemur in cerebris morbis, quantum valeat ignis, ad curandum, corroborandumque.

In vrinæ ſuppeſſione Renes admodum magni reperti.

OBSERVATIO XL.

O*pprime dum noua ſunt ſub iti mala ſemina morbi.*

Ouid. lib. 1. de rem amor. ſic cecinit. Medicus ſi hoc fecerit ab omnibus amatus admodum erit. Mora enim morbus radices altius iacit, quæ principio Morbi neglectę ægrum in deſperationem ducunt, attamen non ſemper incipienti morbo remedium parare poſſumus, multoties enim ægri non loquuntur prius, quam morbi iam ſint confirmati. Mortuum iuue-

nem ex vrinæ ſuppreſſione ſecuimus, in quo renes monſtroſam magnitudinem adepti inuenti fuerũt. Vrina tamen in veſica nulla aderat,ſed ſuppreſſio ex renũ imbecillitate,ſcilicet, ex vitiata attractrice orta erat.

Mulier quolibet Menſe bis Menſtruata.

OBSERVATIO XLI.

N*Aſcitur ad fructum mulier, prolemque futuram,* vt cecinit Claudianus in Eutropio lib 1. Ad hoc præcipuè Natura creauit illi mammas, ſanguinemque menſtruum hominibus negatum elargita eſt, cum enim fœtus tum ante, tum poſt partum conuenienti indigeat alimento, ideo quoquo menſe dum mulier aptam ętatem ad procreandum habet, habet etiam ſanguinis copiam magnam; ad hoc vt nutritio & auctio fieri poſſit ſanguine; ante partum vero lacte. Cum vero mulier neque lactans, neque vtero gerens eſt, ſanguis quoquo menſe excernitur in aliquibus plus, in aliquibus minus. Mulierem vidimus, quæ bis quolibet menſe in maxima quantitate menſtrua eijciebat citrà ſanitatis noxam, imo optima fruebatur valetudine.

Mulieris morſus venenatus.

OBSERVATIO XLII.

MVlier, vt ait Seneca in Prouerb. aut amat, aut odit, nihil eſt tertium ſed pronior ad iram

 eſt,

Digitized by Google

magimoque appetens vindictæ, vt teſtatur Iuuenalis Satyr. 13.

Vindicta
Nemo magis gaudet, quàm fœmina.

Ob quam cauſam omnium primæ inuenere veneficia, & venena, atque vbi arma in promptu non habet mulier efferaſcit tanqum rabie vexatus canis. Vidimus mulierem ſenem quæ multas poſt iniurias alteri mulieri manum momordit. In quo vulnere tanta erat veneni vis, vt parum defuerit, quin brachium totum cum maximo vitæ periculo reſecaretur. Attamen placente Deo maxima Cheirurgi induſtria ſanata mulier conualuit.

Myrmecijs remedinm optimum.

OBSERVATIO XXXVIII.

MVnditiæ placeant, fuſcentur corpora campo
Sit bene conueniens, & ſine labe toga.
Linguaque ne rigeat, careant rubigine dentes:
Nec vagus in laxa pes tibi pelle natet:
Nec male deformet rigidos tonſura capillos:
Sit coma, ſit docta barba reſecta manu:
Nec male odorati ſit triſtis anhelitus oris:
Nec lædat nares, virque: paterque gregis:
Cætera laſciuæ faciant concede puellæ.

Has regulas Ouid in amatoria arte recenſet, vt vir hoc modo ornatus fœminas alliciat, de ſuiſque amoribus triumphet. Verum ſicuti fœmineam vt ita dicam Mundiciem in homine non approbo, tamen nullam reprobo præſertim aliquibus in morbis ſicuti

ſcabi-

ſcabie &c. mederi valde vtile, & neceſſarium Medico exiſtimo, cum enim homo natus ſit ad ſocietatem, ſi aliquam in corpore fœditatem habet, ſtatim amicorum, aliorumque intuentium oculos lædit. Inter quas fœditates præcipuè ſunt Myrmeciæ, verrucæ ſcilicet illæ à Græcis ſic appellatę, quas Itali vulgari ſermone (Porri) vocant. Remedium optimum in memetipſo experientia edoctus probaui; ſi myrmeciæ tãgantur ſudore illo qui emanat ex lignis quibuslibet dum vruntur. Aduertendum autem eſt, quod non ſubito euaneſcunt, ſed cum ſemel, aut bis illas tetigeris hoc ſudore proceſſu temporis inter tres, aut quatuor menſes ad ſummum, dum amplius nihil cogitas, myrmecias ex abrupto fugatas vides, nec vnquam renaſcuntur. Minima eſt res ſed quandoque ex rebus minimis pulchræ obſeruationes oriuntur, Morbus hic, quantumlibet ſit paruus, tamen Herculeus anguis eſt, ſeptem capitum ſemper renaſcentium maiore cum fœcunditate, & quod peius eſt, nec ferro, nec igne domari poteſt, vt alias obſeruauimus: hoc tamen leui medicamine euaneſcit.

Papauer damnoſum in cibis puerorum adminiſtatum.

OBSERVATIO XXXXIV.

Scit bene venator ceruis vbi retia tendat,
Scit bene, qua frendens parte moretur aper.
Aucupibus noti frutices, qui ſuſtinet hamos
Nouit, quæ multo piſce natentur aqua.

vt inquit Ouid. 1. de arte amandi: Sic Medicus experientia edoctus, quotidie vtilia, aut contra inimica, & nocua obſeruat. Impatientes nutrices, aliæque matres pueros ſuos lachrymantes, & aliquo modo implacabiles videntes ſtatim ad Papauer confugiunt, idque in cibis adminiſtrant. Aduertendum tamen eſt cerebrum infirmiſſimum eſſe in pueris, & ab eo maxime lædi, ſicuti ſæpe obſeruauimus. Pueri modo tormina, modo vermes, modo dentes, modo aliud patiuntur: diligenter itaque conſiderandũ eſt, à quo primum ortum habeant vigiliæ, & lachrymæ, ipſique remedia adhibeantur, & non ad Papauer confugiendum eſt, cum maximè damnoſum ſit.

Faucibus exſiccatis in febribus ob igneos vapores cum magno vitæ diſcrimine, vſus aquarum refrigerantium maximè opitulatur.

OBSERVATIO XXXXV.

QVid eſt homo, vt ait Seneca de conſ: ad Mar. imbecillum corpus, & fragile nudum ſuapte natura, inerme, alienę opis indigens ad omnem fortunæ contumeliam proiectum, cuiuslibet feręe pabulum, cuiuslibet victima, ex infirmis, fluidiſque contentum, frigoris æſtus, & laboris impatiens ipſo rurſus ſitu, & ocio iturum in tabem. Terra enim ex Plutarcho nihil nutrit imbecillius homine, nam ſæpè tanquam flos (vt in ſacris paginis habemus) egreditur, & conteritur. Sæpe vero etiam reſurgit

ſurgit ille, quem mortuum credebas. Ardentibus in febribus fauces ita exſiccatas vidimus à vaporibus igneis caput petentibus, vt fere ſuffocarentur. Adminiſtrato vero aquarum refrigerantium potu ægri à ſuffocatione neciſq; periculo illico conualuerunt.

Hemorrhoydalis ſanguinis citra ſanitatis periculum monſtroſa eiectio.

OBSERVATIO XXXXVI.

IN ſequenti obſeruatione mirabilē rem de voluntario hæmorrhoydum fluxu narrabimus, nūnc agendum nobis erit de altero fluxu mirabili, & monſtroſo hæmorrhoydalis ſanguinis citra ſanitatis periculum. Cum genus hnmanum, *vt ait Marſilius Ficinus* lib. 1. de Theol. Plat, propter animi ſollicitudinem, corporis imbecillitatem, & omnium rerum indigentiam duriorem, quam beſtiæ, vitam agat in terris, ſi eumdem viuendi terminum Natura illi, vt cæteris animantibus dediſſet nullum animal eſſet imbecillius homine. Ideo mirum non eſt, ſi quandoq; Natura humana, vt alias dixi, agit inſtinƈto quodam Diuinitatis. Nobilis Hiſpanus quotidie libram ſanguinis, quatuor ab hinc annis per hæmorrhoydales venas excernit, optimaque fruitur valetudine. Conſideres lector, vnde qnantitas tanta erumpere poſſit cum vſque ad hanc diem plus, quam mille libræ ſanguinis fluxæ ſint.

Vo-

Voluntaria Hæmorrhoydalis ſanguinis eiectio.

OBSERVATIO XXXXVII.

SI ventri bene, ſi lateri eſt, pedibuſque tuis, nil
Diuitiæ poterunt regales addere maius.

Sic ait Horatius od. 12. lib. 1. Salus enim inter Fortunæ bona exiſtimatur, quod confirmat Menander inter Græciæ Comicos peritiſſimus dum ait.

Non eſt quicquam in vita præſtantius ſanitate.
Sanitas & mens, bona vita duo.

Verum ad ipſam conſeruandam hoc opus hic labor eſt, cum enim ex contrarijs elementis inuicem pugnantibus corpora noſtra ſint conſtituta mirum nõ eſt, ſi plurimum difficultatis ad ipſam tuendam inueniamus, ſed hoc nihil eſſet niſi Natura inſtinctu quodam æthereo agens toto conatu ad indiuiduum conſeruandum incumberet. Senex quidam, cum nõ recte ſe haberet, dum eſſet iuuenis, erumpente ſanguine ex hemorrhoydalibus venis ſanus fiebat, ſed, quod mirum eſt, natura ex iteratis actibus motum naturalem in voluntarium conuenit. Tam facilis eſt hæc ſanguinis eiectio in dicto ſene, vt cum aliquo modo male ſe habeat, tunc plus, vel minus ſanguinis quantumlibet excernat, & bene ſe habeat.

Fluo-

Fluoris mulierum remedium optimum.

OBSERVATIO XXXXVIII.

SAepe in arcanis Naturæ latent aliqua remedia, paratu facilia, morbis mirifice conuenientia, & ſic vbi ſunt.

Mille mali ſpecies, mille ſalutis erunt:

Fluor muliebris, qui originem ducit ex crudis humoribus à ſedentaria, & nimium ocioſa vita ortis maximę conſiderationis eſt cum diuerſi incurabiles morbi ex ipſo oriantur. Nos ſępius hoc remedio hunc morbum ſanauimus, non neglectis tamen alijs circumſtantijs, & purgatione vniuerſali, nempe nucis Pineę decocto, cum ligni Viſci quercini portione in potu adminiſtrato. Mirabile remedium eſt huic morbo egregium ſicuti nos pluries obſeruauimus.

Phthiſici ſputum virulentum muſcas enecans.

OBSERVATIO XXXXIX.

R*Egitur fatis mortale genus,*
Nec ſibi quiſquam ſpondere poteſt
Primum, & ſtabile, perque caſus
Voluitur varios ſemper nobis
Metuenda dies.

Vt ait Seneca in Octauia. Varij ſunt caſus, per quos hominum vita ad interitum tendit. Quæ maior deſperatio homini contigere poteſt, niſi fortitudini innixus aduerſa non timeret, quam, quod venena nobis inimica noſtris in corporibus oriantur. Equidē varij caſus, varia fortuna! Antonius Landinus Bibliopola Phthiſicus ſputum purulentum excreabat, quod ſi leuiter Muſcæ libabant ſtatim moriebantur. Quę maior putredo, quod maius venenum? Muſcæ enim cum ſemper in ſterquilinijs, putridis, venenatiſque locis degant, tamen hoc ſputo, vel leuiter libato moriebantur.

Nimia mulierum intemperantia, & non malacia tantum fœtum deturpat.

OBSERVATIO L.

NEmo erit perfectè temperatus, niſi voluptatibus, & cupiditatibus ad imprudentiam, et iniuriam compellentibus fortiter repugnauerit, ac ratione, opereque, et arte tam iocoſis, quam ſerijs in rebus deuicerit cum Platone 1 de Legib. In hac virtute mulieres parum creſcunt, ſed natura debiles (nū loquendo de omnibus) ad extrema vergunt. Animus earum potius quàm ad fortitudinem, & temperantiam ad amores, & ad ludos procliuis eſt. Audiamus Ouid. 1. de arte amandi.

Vt redit, itque frequens longum formica formica per agmen,
Granifero ſolitum, dum vehit ore cibum.

Aut

Aut vt Apes; ſaltuſque ſuos, & olentia nacta
Paſcua per flores, & thyma ſumma petunt;
Sic ruit in celebres cultiſſima fœmina ludos;
Copia iudicium ſæpe morata meum eſt.
Spectatum veniunt, veniunt ſpectentur vt ipſa,
Ille locus caſti damna pudoris habet.

Aut vt ait Propertius loquendo de illis

Sed vobis facile eſt verba, & componere fraudes.
Hoc vnum didicit fœmina ſemper opus.

Maſcula virtus eſt: ideo raro cum mulieribus cohabitat; qua de cauſa vitijs abundant, ſed præcipuè intemperantia, præſertim cum vtero gerunt, vnde fœtus ob ineſplicabilem gulam fœdant, & deturpãt. Adeo enim intemperantes ſunt, vt ſi deſiderium illarum non expleatur non fœminæ, ſed ſerpentes eſſe videantur. Hinc puerilia, hinc lachrymæ, hinc animi deliquia, hinc cætera: magiſque illarum gula creſcit, habent enim pro æterno axiomate propter maritos nimis vxorios illud dictum Iuliæ ad Caracallam · Si libet licet. Hac de cauſa cupiunt negagata, noua quærunt, obiecta proijciunt, impoſſibilia appetunt vt magnum negotium habeat, ſi quis mulierem gubernare velit iuxta illud Plauti in Pœnulo.

Negotij ſibi volet vim parare, nauem, & mulierem.
Hæc duo ſibi comparata, nam nulla magis res duæ.
Plus negotij habent.

Quare fœtus in lucem editus maculatus non Aſtra, non Fatum, non Fortunam, ſed matris immodicam intemperantiam accuſet.

P Non

Non negabo tamen prægnantium malaciam aliquando vehementem eſſe, ita vt ſi ipſis non ſatisfaciamus, oriri poſſit abortus, ſed reprobo ingluuiem illam; ſcimus enim quod fortis imaginatio facit caſum; at, vbi imaginatio fuerit refracta à temperantia, vtique caſus non aderit, quomodo non adeſt, vt præcipuè in Domitilla Zannetta nobilis animi, maſculæque virtutis fœmina obſeruaui, quæ prægnans cum ſæpius vario appetitu coacta eodem tempore oculos, naſum, frõtem, aliaque membra inconſiderate tetigiſſet, tamen quia vim patiebatur temperantia edocta, vbi omnes fœtus maculatum expectabant immaculatus infans in lucem exijt.

Conſilium meum itaq; eſt, quod reprehendantur fœminæ prægnantes, ne in ſimilibus malacijs toto conatu, totis viribus incumbant ad explendam ſatietatem, ſed prudenter expectent donec cupiditas illarum (dummodo iuſta ſit, iniuſta etenim damnoſa eſt, & matri, & fœtui) expleri poſſit. Si hoc fecerint ſemper pulchri, & immaculati naſcentur infantes, qui ob malaciam turpes, & maculati in lucem prodirent.

Explicit Pentecoſte ſecunda

Obſeruationum Medicinalium.

IATROLOGISMORVM
SIVE
OBSERVATIONVM
MEDICINALIVM
PENTECOSTE TERTIA
DOMINICI PANAROLI ROMANI
PHILOSOPHI, ET MEDICI.

Digitized by Google

Digitized by Google

AD LECTOREM.

PRIMAM, & ſecundam Iatrologiſmorum Pentecoſten lecto benigniſſime tibi obtuli, quæ quoniam à te libenti animo fuerunt receptæ, merito me impulerunt, vt Tertiam, quoque Typis mandarem. Alacriter accipias, & cum illis te mihi commendatum ſcias. Hoc tamen alta mente ſerua. Temporibus noſtris cùm Medicina ad verba, & garrulitatem deſcenſa ſit propter otium eorum qui videri potius, quam eſſe volunt, quique vt ad laborem renitentes, ita ad loquacitatem ſunt promptiſſimi, nulla melior eſt via, quam experientiæ adhærere. Ipſa enim veritatis lumen indicans errare difficile permittit. Quæ Experimento reperi tibi antepono hiſce obſeruationibus, ***quibus in Medendis humani corporis morbis auxilium nõ vulgare adipiſci licebit.***

Mirabilis Spongię vſus ad arcendam luçem Veneream.

OBSERVATIO I.

QVod Virgilius fabuloſè, aut ſi quis alius fuit in obſcæno illo carmine hoc modo incipiente.

Cur pictum memori ſit in Tabella membrum

De laſciuis cecinit, id verè, & realiter miſeri meretricum fraudibus irretiti experiuntur. Aliquibus enim Mentula, aut vlceribus mutilata conſpicitur, aut in totum reſecatur, vt ſæpius vidi, ridentibus Medicis, & Chirurgis, ipſiſque plorantibus, & pars quæ peccauit peccati pœnas patitur, quapropter Martialis tertio Epigrammaton 43. illuſit maritum quemdam non mentulam, ſed nares Mæcho reſcindentem his verbis.

Quis tibi perſuaſit nares abſcindere Mœcho?
Non hac peccatum eſt parte marite tibi.
Stulte quid egiſti nihil hic tua perdidit vxor:
Cum ſit ſalua tibi mentula Deiphobi.

Maxima certè noſtrorũ tẽporũ calamitas, quotidie enim videmus lue gallica fœdatos tanquam Circæo veneficio in varias formas mutari. Scabiem, Ele phantiaſim, Epilepſiam, Paralyſim, arteticos cruciatus, gonorrhœam virulentam, talem, & ſi quid peius à funeſtiſſimo Pandoræ vaſæ contra homines emerſit, vna lues Venerea ſecum gerit. Nos contra tam ſæuam, & immanem peſtilentiam Gorgonio ſan-

ſanguine ; vipireo felle, cerberea ſpuma funeſtorem præſeruatiuum nobile, & tutiſſimum dabimus cum ſuis tamen conditionibus, quo lurida hęc tabes proceſſu temporis terminabit.

Hoc autem nunquam communicaſſem, niſi cauſa maiora ſcandala euitandi me impuliſſet exemplo edoctus, Eccleſiæ, quæ meretrices non concedit nec permittit, ſed tolerat; ne homines maioribus peccatis ſe polluentes ſceleſtiores euadant, vt inquit Auguſtinus citatus à Canonherio lib 1.quæſt. ac diſcurſ in Tacit, quæſt. penultima. Tolle meretrices de Mundo, & totus Mundus repletus erit vitio peiori. Facillimum eſt remedium, ſed continuari debet, alias ſemper periculum aderit; debet ſe meretrix poſt coitum hoc modo præſeruare ſi in vuluam ſpongiæ particulam interne immiſerit, ſed aduertēdum eſt, vt ſpongia ſit virgo, videlicet, quod in nullos vſus adhibita fuerit; ſed accipienda intacta, & incorrupta, quomodo venalem habent omnes Pharmacopæi; & quæ ſemel intra pudenda fuit immiſſa, tanquam inualida, & nullius roboris eijcienda erit: hæc etenim ad ſe trahit quidquid contagij peſtifera lues communicat. Et ſic illa meretrix, quæ in poſterum hoc modo ſe tuebitur, intactam ſe conſeruabit, & quamuis Gallica lue infectorum concubitum admittat, tamen nihil mali ipſa patietur: neque poſt huiuſmodi coitum ſi cum iuuenibus, aut alijs incorruptis concunbet vllam labem, aut virulentiam gallicam communicabit; ſiquidem hoc modo munita, neque ſibi ipſi, neque alijs damnum vllum pariet. Sed aduertendum eſt, id fieri debere in meretricibus, quæ callum non contraxerunt; alioquin nihil prodeſt. Mulier etenim, quando admiſit

miſit viginti duos circiter homines callū contraxit, hoc ob igitur à ſpōgia nullū auxiliū habere poterit.

Tutior modus propinandi aquam acetoſam.

OBSERVATIO II.

SVnt multa, ex Ariſtotele 1. Reth. quæ quamuis ſua natura procul ſint, & à voluptate aliena, tamen ſi in conſuetudiuem admittuntur grata eſſe incipiunt, & fieri cum voluptate; vt noſtris temporibus euenit in potanda aqua acetoſa; ſed quoniam plebs conſuetudinem fecit, præcipuè dum legit illud diſtichon.

Renibus, & ſtomacho, ſpleni, iecorique medetur
Mille malis prodeſt iſta ſalubris aqua.

Durum, & difficile, eſt ipſam auferre. Vix enim tollitur vitium, quod conſuetudine radicatur vt ait Andr. Tiraq. nona lege connub n. 165. quapropter quamuis maiora incommoda, quam remedia ex ipſius potu oriantur, tamen dum abuſus inualuit tutiorem modum in lucem dabimus. Et erit ſi antequam in potu aſſumatur deponat ſpatio 24. horarū in vaſe aliquo partes terreas ſubtiliſſimas, quę ſi bibendo aſſumantur proceſſu temporis maximum afferunt incommodnm. Non tamen hoc temporis ſpatium pertranſire debet, euaneſcunt enim facillimè ab ipſa aqua acetoſa ſpiritus acidi ſulphuris, & vitrioli, quibus mediantibus, dummodo, vt dixi libera ſit à teræ fœculentia, incidit humores pituito-

tuitoſos viſcidos, & vitreos, bilis feruorem cohibet, viſcera aliquo modo corroborat, renum, veſicæ calculos arenuloſque conterit, & expellit. Si hoc modo ipſa vtantur Romani fortaſſe beneficium aliquod inde retrahent.

Mõſtrua purgatio copioſiſſima cũ cõferentia in vetula 56. annotum tertia quaque hebdomada.

OBSERVATIO III.

OVidius lib. 3. de arte amandi hæc protulit.

Partus faciunt breuiora iuuenta
Tempora continua meſſe ſeneſcit ager:

Quando quidem abſumitur maxima pars ſanguinis melioris, & per conſequens humidi radicalis, in quo & per quem viuimus: ob hoc igitur mulieres aliquę quæ nunquam aut raro concipiunt, quæque temperamento ſunt ſanguineo, immodicas naturæ beneficio habent menſtruas purgationes, abſque eo quod vires comminuantur; ſed natura id perficit cũ tolerantia. Diximus in ſecunda Pentecoſte obſeruat. Medic. obſeruat 41. de quadam muliere in menſe bis menſtruata, quæ optima fruebatur valetudine: in præſenti vero proponimus obſeruationẽ de quadam muliere 56 annorum, & fortaſſe amplius, quæ tertia quaque hebdomada copioſiſſimum ſanguinem ex vtero excernit. Illa erat iuuenis, & hæc vetula, ex quo maior oritur admiratio. Concordant tamen in hoc; quod nulla ex his filios ſuſce-

pit. Ex quo egregia oritur obſeruatio, videlicet in ſuppreſſione menſtruorũ largiores debere eſſe medicos in phlebotomia, ſæpè n. quantitas obruit, quæ ſi non minuatur nunquam menſtrua apparent. Mulieres etenim, quæ maximum habent ſanguinem, magis periclitantur in immodica retentione, quam in largiori purgatione.

Angina contagioſa in Pueris.

OBSERVATIO IV.

PVer (vt ſæuis proiectus ab vndis
Nauita) nudus humi iacet, indigus omni
Vitali auxilio, cum primum in luminis oras
Nixibus ex aluo matris natura profundit.
Vagitumque locum lugubri complet, vt æquum eſt,
Cui tantum in vita reſtet tranſire malorum.

Ex Lucretio lib. 4. de natura rerum; qui nondum natus, æqualiter lachrymis, & lacte paſcitur, cui ſtatim ex vtero egreſſo vincula proponuntur, quem vndique, & ſemper præmunt miſeriæ, relictis quãplurimis morbis, à quibusquotidie vexantur, vt puta catarrho, epilepſia, Hydrocephalo, vermibus, variolis, morbillis, lapide, furunculis, & alijs quamplurimis noſtro æuo immaniter præſertim in Latio angina peſſima, & contagioſa corripiuntur, quæ ſi ſemel per aliquod oppidũ vagatur innumeros pueros interficit; grandioribus verò, & maioribus natu parcit, vocaturq; hic morbus epidemicus (il male in canna) ab ipſis, qui in Latio degunt. Vlcus par-

uum

Digitized by Google

num oritur, quamuis peſſimum, in faucibus puerorum, qui ſi os aperiant, & tractabiles reddantur, fere omnes euadunt, ſed ſi medicamenta reſpuentes os claudant fere omnes moriuntur. Tribus remedijs vſus ſum. Primo ſucco trifolij acetoſi, quod alleluiam, & Pancuculum vocant. Secundo ſyrupo granatorum cum cortice. Tertio, & omnium præſtantiori ſpiritu vitrioli. Sed quod admirationem maximam infert eſt ipſius morbida, & peſtifera lues. In hac parte enim virulentior eſt morbus variolis, & aliquibus peſtilentibus; De hoc morbo etiam alij ſcripſere.

Podagræ generatio, & præſeruatio.

OBSERVATIO V.

MOrs omnibus crudelis, & implacabalis, quæ ex Virgilij elegia in Mœcenatis obitu.

--- rapit iuuenes prima florente iuuenta,
Non oblita rapit, ſed tamen illa ſenes.

Cui conceſſum eſt, vt pulchritudini non moueatur, vt diuitijs non pareat, vt dignitates, honores quoſcunque, & auctoritates contemnat, quæ caret auribus ad audiendum, oculis ad videndum, pietate, vt miſereri poſſit, falce ſolum armata omnibus æqua, ſi non vna, & eadem. ſub leges ſuas ſublunaria hæc vocat; plures quaſi inuita interficit, quos non occideret: homines etenim, ſi aliquando ſe legibus non tamen anguſtis obligarent viuaciores eſſent, & ſanitate fruerentur, & non ſemper vita illorum miſerrima eſſet cum Medicis, & Medi-

Digitized by Google

camentis? Exemplum habemus in podagra, quæ plures quotidie torquet, & ante tempus morti conſignat, qui morbus non eſt adeo ſæuus, nec rebellis, vt fere omnes credunt, de quo ſæpius illud Ouid. 1. de Ponto decantatum eſt.

Tollere nodoſam neſcit Medicina podagram,

Sed facile ſuperari poteſt; cur autem vinci non poſſit, immò in dies rebellio fiat, ex duabus cauſis potiſſimè oritur, primo cauſa Medicorum, ſecundo ægrorum, qui ſi iuncti ſimul cum morbo non pugnant de ipſo canere triumphum nunqum poterunt. Diuinus ſenex in primo aphoriſmorum oraculo hæc profert, poſtquam aliqua de vita, arte, iudicio, occaſione, & experimento tetigit. Nec ſolum ſe ipſum præſtare oportet (loquendo de Medico) opportuna facientem, ſed & ægrum, & aſſiſtẽtes, & exteriora. Videamus modo ſi Medicus ſe ipſum præſtat opportuna faciens, dum indulgendo, & adulando potius, quam medendo morbum deteriorem facit. Petrus Caſtellus Magiſter noſter in commento iſtius aphoriſmi ſic ab ipſo in hac particula doctiſſimè traducti. Oportet autem non ſolum ſe ipſum præſtare, ſed & ægrum &c. quæſtione videlicet 18. circa finem ſic ait. Medicus debet efficere, vt æger ſuo fungatur officio, quod facit artem difficiliorem, neſcit enim æger officium ſuum: debet illum inſtruere Medicus: ſic aſſiſtentes ignorant, quid agendum; eos Medicus docere debet, & taliter docere, vt ſuo officio perfectè fungantur, quod præſtare reddit artem difficiliorem, & præterea longiorem cum Medicus ad tot reſpicere debeat: Adde, quod ſi Miniſtri ſunt etiam Pharmacopęi, chymici, ſimpliciſtæ, chirurgi, & coqui, ne iſti errent

præ-

præcauere debet Medicus. Videant Medici noſtri temporis ſi hæc perficiunt. Aliquos vidi, & obſeruaui non loquendo de probis, & integris, qui ſuis adulationibus nauſeam mouent, & vbi deberent ægrotantibus imperare, ſunt viliſſimi ſerui; etenim illud in mente fixum habent, vt per fas, aut nefas lucrentur, etiam ſi pereat dignitas, Maieſtaſque Medicinæ cum ipſa Medicina: ſi datum eſſet antiquioribus Medicis, vt examinare poſſent noſtrorum Medicorum officium, religionem, & mores, credo quod cum lachrymis hæc intuerentur. Diximus aliqua de Medico; loquamur modo de ægrotante, qui non debet delinquere ex eodem Caſtello eodem loco quæſtione 19. vbi ait Medicus tenetur facere, ne æger delinquat, nam erratum ægri refertur in Medici imprudentiam, qui eum non admonuit periculi ob eius errores. ob hoc igitur (vt paulo poſt Galenus lib 1. de diebus decretoriis ab eodem Caſtello citatus iubet) æger Medico obtemperare debet, nihilque, ex intemperantia peccare. Peccant autem, vt ipſemet ibi aſſerit ægrotantes multipliciter, negligentia, inobedientia, verecundia, & timore. Sed omnium peſſima eſt inobedientia, quæ aliquando tam profundas figit radices, vt Medicorum iuſſa contemnant, vt legimus paulo poſt in eadem quæſtione 19. circa finem ihs verbis: ſunt certe aliquando quidam Principes, qui Medicorum iuſſa inique ferunt. Vnde Franciſcus Lallus Medicus inſignes erat valde familiaris Cardinali Pallauicino, & ſæpè cum eo comedebat, quadam die Veneris Capitis dolore laboranti in menſa appoſita fuit lens cum allij teſta. Medicus iuſſit auferri lentes. At Cardinalis ægre ferens medici iuſſa totam lentium patinam in

Me-

Digitized by Google

Medici ludibrium decorauit, cum alias huiuſcemodi cibis non aſſuetus eſſet, niſi ad duo, vel tria cochlearia vexi. Medicus autem prudens vidit, erubuit, & tacuit; ſed in ſe iurauit nihil vnquam in poſterum pro Principis ſaluto ſe iuſſurum eſſe, vt mihi aliquoties narrauit, quia tales Principes difficile, eſt vt à Medico recte curentur.

Ad rem noſtram ergo Podagra oritur, & creſcit primo propter Medicum, qui potius pro mancipio ſeruit, quam pro Medico, indulgendo nobilium erroribus, ipſoſque adulatione, ne dicam adoratione ſeruiendo. Creſcit ſecundo propter ægrorum errores & primo propter paucam exercitationem, & ocium, quietemque immodicam, ex quibus magna excrementa oriuntur: etenim ignauia, vt ait Corn. Celſus libro primo corpus hebetat, labor firmat, ſecundo propter ciborum varietatem, qui in ventriculo corrumpuntur potius, quam concoquantur Tertiò propter indigeſtionem, que ortum habet, a quantitate ciborum, dum concoctio perfici non poteſt. Quarto propter niuis vſum, quæ viſcera omnia labefactat, calorem natiuum ſuffocat, & vitale robur opprimit. Quinto propter difficultatem crateris, quo vtuntur ad bibendum, vt diximus in noſtro libello de arcanis. Sexto & vltimo propter Venereas voluptates, quæ mirum in modum hunc morbum procreant. Medici igitur ægrotantes monere, & vice verſa ipſi Medicorum iuſſa honorare, non negligere, aut contemnere debent Hoc ſi fecerint non ſolum ab hoc ſed etiam à pluribus morbis nullum damnum, aut impedimeutum habebunt.

Car-

Carnoſitas in virili Mentula ex quo oriatur frequenter,

OBSERVATIO VI.

ANdreas Alciatus celeberrimus Iuriſconſultus Naturam humanam ſub nomine Panos emblemate 97. ſic depixit.

Pana colunt gentes (naturam hoc dicere rerum eſt)
Semicaprumque hominem, ſemiuirumque Deum.
Eſt vir pube tenus, quod nobis inſita virtus
Corde oriens celſa verticis arce ſedet.
Hinc caper eſt, quia nos Natura in ſecla propagat
Concubitu, vt volucres, ſquamea, bruta, feras.
Quod commune alijs animantibus eſt caper index
Luxuriæ, Veneris ſignaque aperta gerit.
Cordi alij ſophian: alij tribuere cerebro;
Inferiora modus nec ratio vlla tenet.

Egregie, quidem, nam qui Veneris nefanda ſequuntur caſtra impuros amores ſectando, in furentem, vetitamque libidinem rapti, breui non tamen vere voluptati per nocturnam licentiam incumbentes, ſine modo, & menſura tanquam hirci fœdiſſima prurigine perciti debacchantur, Sat ſit ſi viderint laſciuam puelam ad inhoneſtos amores paratã, crinem, componentem, faciem detergentem, floribus ornat, aim gemmis decoratam, odoribus munitam, inceſſu, voce, cantù vndique mentes ſæuo libidinis œſtro vrentem, nam ſubito quaſi fœnum flammam

con-

concipiunt, qua concepta ſemel, nullus ſuperet rationi locus. Dormiant, comedant, ambulent, venentur nil, niſi veneris paleſtra illis placet. Ex qua ſæpe in incurabiles morbos incidunt.

Poſt ſeminis profluuium e græcis gonorchean appellatum, ſiue à lue Venerea, ſiue ab alia cauſa ortum habuerit, non raro patiuntur homines carnoſitatem vulgo appellatam, quæ ipſos ſæpius vſque ad mortem comitatur; qui morbus, vt ſæpiùs vidi oritur, ab intemperantia venerea, dum ſeminis profluuio corripiuntur. Et ratio eſt, quoniam ſemen, dum per moram, aliaſque cauſas acrimoniam aliquam contraxit internam Vrethræ partem lædit ipſius mucum naturalem auferendo, quo ablato offenſa pars, ſi coeant, diſrumpitur, & ſanguis cum ſemine eijcitur, & in vulnere, vt paſſim vidimus in alijs vulneribus caro creſcit, quę carnoſitatem parit. Caueant igitur iuuenes, ne in hunc morbum incurrant, dum à Venere abſtinere non poſſunt; nam ſi in ipſum inciderint peccati pœnam ipſis inuitis miſerrimè dabunt.

Repentinæ mortis aliquorum Romæ anno 1651. cauſa inueſtigatur.

OBSERVATIO VII.

SI de diuitijs, & honoribus, vt ait Auguſtin de natura, & gratia, & morum nobilitate te iactas, de Patria, & pulchritudine corporis, & honoribus,

tribus qui tibi ab hominibus exhibentur: reſpice te ipſum; quia mortalis terra es & in terram ibis: Circumſpice qui ſimilibus fluxere ſplendoribus. Vbi ſunt, qui ambiebant currum poteſtatis? vbi inſuperabiles Imperatores? Vbi ſunt, qui conuentus diſponebant, & feſta, & equorum ſplendidi nutritores? vbi nunc veſtes, & ornamenta peregrina? vbi ſeruorum turba? vbi iocus & lætitia? vbi exercituum Duces? Vbi Satrapæ, & Tyranni? non ne omnia puluis & fauilla? non ne in paucis verſibus eorum vitæ patet memoria? reſpice eorum ſepulchra, & vide qui ſeruus, & qui dominus, qui diues, & qui pauper. Diſcerne ſi potes victum à Rege, fortem à debili, pulchrum à deformi. Vide ſi eſt aliquod in eo ſignum iactantię ſuæ: memorare vtique naturæ, ne extollaris. Alta mente ſerua illud Flacci oda 7. lib. 4.

Puluis & Vmbra ſumus.

Etenim ex Ouid. lib. 14. Metamorph.

Editus in lucem iacuit ſine viribus Infans
Mox quadrupes victuque tulit ſua membra ferarum
Paulatimque tremens, & nondum poplitę firmo
Conſtitit, adiutiſque aliquo conamine neruis:
Inde valens, velox que fuit, ſpatiumque Iuuentæ
Tranſit & emeritis medij quoque temporis annis
Labitur, occidua per iter decliue Senectæ.
Subruit hæc ætas, demoliturque prioris
Robora.

Sed quod peius eſt immature, medio ſepius flore virgentes à morte præoccupati acerbo funere lumen vitale deſerere coguntur. Præcipiti & repentina morte occũbere horrendum ſimul, ac miſerabile eſt, ſicut

 hoc

hoc anno vidimus, nam breui temporis ſpatio vnus poſt alium hoc modo ſub flebili mortis iugo reclinauit. Sed videamus modo, à qua cauſſa oriri poſſit hoc præcox excidium & interim omen hoc Deus prohibeat. Habuimus anno præterito fere per totum annum & amplius ſiccitates immenſas & præſertim æſtatis tẽpore, cum ardentiſſimo feruore copulatas. Autumno vero elapſo anni 1650. aquæ copioſæ ſtatim poſt calorem & ſiccitatem humectantes agros, rigantes prata viſæ fuerunt; Poſt aquas vero ſiccitas cum frigiditate maxima ſuperuenit. Ex quibus credo facile cognoſci poſſe huius mortis cauſam. Si dixerimus oriri ab humore aliquo craſſo & vaporoſo per venas redundante, ſuffocante calorem natiuum, aut venam aliquam diſrumpentem, Venæ etenim, cum ſupra modum ſint repletæ, periculum eſt, ne diſrumpantur, vt prouenit aliquando à copia ſanguinis, ſicut, inquit Galenus com. aphor. 3. ſect. 1. his verbis, cum enim vaſa fuerint cibis, ac potibus ſupra modum repleta periculum eſt; ne aut ipſa diſrumpantur, aut calor natiuus ſuffocetur. Non neglecta interim prohibitione inſenſibilis tranſpirationis per aduentũ frigoris; Et ſic corpora excalefacta per immenſas ſiccitates caloribus maximis aſſociata, adueniente pluuia, humorem vſque ad internas partes attrahunt ob raritatẽ corporis & aperitionem pororum, ſicut accidit in ferro, dum duriſſimum reddere volumus, quoniã à feruentiſſimo igne extractum in vndas immergitur, qui humor poſtea, cum non poſſit exire per poros, per inſenſibilẽ tranſpiratione propter frigus externi ambientis, quod poros claudit alios quærit aditus, quos ſi non inueniat per corpus excurrit cum periculo maximo ne robur vitale cor-

dis

dis, ipſiuſque calor ſuffocetur. Confirmat hoc copia catarrhi & frequentia ophtalmiæ & anginæ ſpuriæ, quę viſæ fuerunt; ſicut etiam anatomica ſectio mortuorum, qui hoc modo perierunt: in ipſis enim cor à ſanguine ſuffocatū Medici inuenere. Ideo optimum remedium eſſet, ſi huius morbi ſignum, indicium, aut vmbra aliqua haberi poſſet, ſtatim cucurbitulas applicare per totum corpus ad reſerationem pororū, ſicut etiam ſanguinem ex brachio vtroque minuere, ne cor ab ipſius copia ſuffocetur. Dixi meam interim opinionem expectando meliorem, ſi inuenire poterimus.

Fœminæ calculo renum ſæpe laborantes ſi grauidæ reddantur facillimè moriuntur.

OBSERVATIO VIII.

Mulier vt ait Cicero Rethor. lib 4. eſt hominis confuſio, inſatiabilis beſtia, continua ſollicitudo, indeſinens pugna, quotidianum damnum, ſolicitudinis impedimentum, viri continentis naufragium, adulterij ius pernicioſum, prælium, animal peſſimum, pódus grauiſſimum, aſpis inſanabilis. Per te (intelligendo de muliere D. Ioannes Chryſoſt. in Sermone decollationis D. Ioannis Baptiſtæ dixit) bella fiunt, per te ſapientes ſe perdunt, per te ciitates combuſtæ ſunt, per te vita perdita eſt, per te mors inuenta eſt, per te fortes debiles, per te veraces mendaces per te caſti luxurioſi, per te humiles ſuperbi,

perte pœnitẽtes inobedientes, & Deo odibiles fiunt.
Hæc eſt mulier antiqua malitia, quæ Adam eiecit de Paradiſi delitijs: Hæc humanum genus merſit in Infernum; Hoc malum homines ducit ad mortem. Hæc vitam abſtulit mundo per vnius arboris pomũ.

Tamen hoc de malis, non de bonis mulieribus intelligendum; ipſæ etenim laudantur ex Virginitate, Caſtitate, Clementia, Religione, Pietate, Diligentia, Conſtantia, Patientia, Verecũdia, & Fide erga Deum, & viros, & inter alia ex generis humani conſeruatione, in qua non ſolum ante partum onerosæ, in partu doloroſæ, poſt partum vero laborioſæ redduntur, verum etiam in partu, aut ante, aut poſt periclitantur ad mortem vſque ita vt eodem tempore, quo mulier grauida redditur, cum morte claſſicum canat. Maxime autem inter cæteras patiuntur; quæ calculis renum vexantur & facillime moriuntur, vt experimento obſeruauimus. Cũ enim calculus per vreteres viam ſibi quęrat, per vteri craſſitiem maiorem, & compreſſionem tranſire nequit, ex quo maximus ex itatur dolor, quo facto Vreteres & renes tumefacti negant tranſitum vrinæ, quæ per corpus remeando primum maſſam ſanguineam corrumpit, & poſtmodum interficit.

Furor Vterinus prægnantia pluries curatus.

OBSERVATIO V.

Fœmina ex Ouid lib. 1. amorum elegia.

Si ruſticitas non vetat ipſa rogat

Mulier enim & equa, vt inquit Ariſtoteles 18 de hiſtor. animal. ſuper omnes fœminas diligunt coitum. Hinc propertius Amaſiæ, quæ ipſum ſuper libidine arguebat lib 3. eleg 8. ſic reſpondet.

Obijcitur toties à te mihi noſtra libido

(Crede mihi) vobis imperat illa magis.

Vos vbi contempti rupiſtis frena pudoris,

Neſcitis captæ mentis habere modum.

Attamen aliquando mulieres in Veneream voluptatem ruunt, & libidinis œſtro vruntur magis cauſa morbi quam alterius rei. Viſæ enim ſunt ſæpius fœminæ alioquin caſtæ, & prudentes, quæ furore Vterino correptæ, meretricum more, verbis perulantibus actus laſciuos & inconcinnos ſine pudore faciebant, quæ poſtmodum in ſe reuerſæ & ſuper res geſtas monitæ maximopere erubeſcebant. Mulierem nos vidimus inter plurimas, quæ tantum conſilio & mente valebat quantum in vtero gerebat, tunc etenim cum prudentia & pudore maximo exemplar aliarum erat Sed elapſo puerperio, non multo poſt illecebroſior & laſciuior fomenta libidinum impudiciſſima mente quærebat, donec iterum vtero gereret,

reret, quo facto Mens & ratio ad ſua ſedes regrediebantur.

Omentum durum ac fere lapidoſum ſterilitatem inducens in muliere.

OBSERVATIO X.

MAtrimonium à D. Thoma 4.ſent.diſt.27.quæſt. 1 arte 1. dicitur quaſi matris munium, ideſt officium, vel quaſi matrem muniens, vel monens, vel vel quaſi mater manans, vel quaſi à matre & nato. Dicitur autem magis à matre, quia magis pertinet ad rationem eius quam pater. Nam mulier principaliter facta eſt propter hoc non autem vir, & mulier circa prolem eſt magis officioſa. Sed cum mulier liberis vacat nunquam felix, nunquam contenta viuit. ſtudet quantuam poteſt vt liberos gignat, quod aliquando etiam cum diligenti ſtudio & maxima ſolertia non poteſt fieri.

Multæ ſunt ſterilitatis cauſæ in muliere, de quibus fere omnes Medici tum antiqui tum recentiores ſcripſere. Vnam tamen obſeruaui à *nullo* editã in lucem, videlicet duritiem maximam omenti, à quo Vterus tactus diſtendi non poterat & ſic genituram proijciebat. In reliquis vero iſta mulier bene colorata erat, & optima fruebatur valetudine; hoc tantum habebat vt omentum vndique ſatis craſſum, durum, ac fere lapidoſum vterum premeret, vt tangendo ipſius abdomen obſeruaui ex quo ſterilitas orta fuerat.

Se-

Sectio lapidis Veſicæ Luna exiſtente in Scorpione peſsima.

OBSERVATIO VII.

DEus cui nil ſublimius, aut maius, cuius nutu cũcta mouentur, cui cætera parent, quem in tergemino vnice lucentem lumine veneramur, à quo rerum omnium ſpes ſalus, & vita ſumunt primordia; inter reliqua, quæ ab ipſius omnipotenti creata fuerſit manu hominem tamquam nobiliorem elegit: hic etenim Creatoris imago, ſimulachrum vniuerſi, naturæ primogenitus, tauma taumaton ab antiquis, ac ſi diceres mirabile mirabilium ob ipſius excellentiam appellatus; & merito; quoniam ſingula ęmulatur. Incipiendo namque à ſublimiori ad inferiora deſcendens Dei imaginem habens, repræſentat mente intelligentias, motu ſphæras, corpore tum aſtra fixa & errantia, tum regionem omnem elementarem. In ipſo ſigna cæleſtia à capite ad pedes inuenire licebit, videlicet in capite Arietem, in collo Taurum, in humeris & brachijs Geminos, in pectore Cancrum, in corde, lateribus, & ſtomacho Leonem, in ventre Virginem, in renibus, & vertebris Libram, in pudendis, Veſica & partibus generationi dicatis Scorpionem, in coxis Sagittarium, in genibus Capricornum, in cruribus Aquarium, in pedibus Piſces, Saturnum in liene, Iouem in epate; Martem in ciſti fellea, Solem in corde, Venerē in pulchritudine corporis, organiſque generationi paratis, Mercurium in lingua & vocis organis, Lunam in cerebro intuebimur. Cœli ſerenitatem

in

in hilari & tranquilla fronte, & è conuerſo pluuias, & tempeſtates in lachrymātibus ob mœrorem oculis inuenire licebit. In illo adſunt elementa in humoribus, terremotus in flatibus, tonitrua in voce, calculi in renibus, & alibi, gemmæ in dentibus, & chryſtallino humore, Scopuli & ſaxa in oſſibus, & plantæ in capillis. Quapropter merito microcoſmus, ideſt paruus mundus dictus eſt.

Verum ea, quæ in corpore humano oriuntur ſæpius non ad conſeruationem, ſed ad deſtructionem iudiuidui tendunt, vt præcipuæ ſunt calculi renum, & Veſicæ. Ex quibus pluries mortales, aut moriuntur, aut miſeram & vndique infelicem vitam traducunt. De renum calculo ſuperius diximus in 2. parte obſeruationum obſeruat. 3. videlicet quod remedia admittit, ſed cum lapis ſtabulatur in veſica, deſperata res eſt, nullus adeſt remedio locus, excepta ſectione. Sed in hac duo precipue obſeruanda, primum Chirurgi cuiuſcumque fuerit temeritas, dum non factis ſolitis, & reperitis diligentijs ad ſectionem celerrime venit, primo propter lucrum, etiam ſi æger moriatur, ſemper enim æger aut ante ſectionem, aut in ſectione ipſa, aut paulo poſt Chirurgum vberrime donarijs afficit, agitur enim de toto axe, ideſt de ipſius vita; quod ſi moriatur, poſtmodum Chirurgo nihil intereſt, adſunt enim quamplurimæ excuſationes, mortem videlicet ortam fuiſſe, non à laceratione Veſicæ, alijſque Chirurgi erroribus, ſed ab erratis ab ægrotante in aliqua re commiſſis. Secundo quia Chirurgus, etiamſi non inueniat lapidem in Veſica, vt pluries ſuccedit, in hoc caſu celerrime alium lapidem abſconditum, quem ſecum gerit, ſanguinolentumque palam oſtendit, & ſic imitatur luſores, & cir-

circulatores in plateis, qui etiam magna prudentia intuentium oculos fallunt, dum ponunt ouum, vel aliquid ſimile vbi nunquam fuit. Confirmat hoc præcipue, quod non palam,ſed in abſcondito operatur, &.quod peius eſt,multi poſt ſectionem ſimilia ſymptomata habuerunt,quæ prius non aderant, excitata forſitan à pituita craſſa,ſalſa,ac mordace. Caueat igitur vnuſquiſque.

Alterũ, quod debet obſeruari,eſt eiuſdẽ Chirurgi, ignauia qui ſi ſine Aſtrologia manũ admoueat, ſæpe in maxima pericula,& mortem ipſam ægrotãtẽ conducit. Videamus,quid de hac re loquatur Pontanus ſuper centiloquio Ptolomei cap.20. nempe in commento illius Sententiæ. Membrum ferro ne percutito, dum Luna ſignum tenuerit, quod membro illi dominatur, ille ſic ait. Cum duplex ſit Medicina, & altera potionibus curet, altera manu, vnde Chirurgia dicta eſt à Grecis,de vtraq; Ptolomeus præcepta tradit. Cumque Verbo Superiore Lunæ curſum in purgandis corporibus obſeruandum præcepiſſet, cauendamque Lunę,ac Iouis coniunctionem dixiſſet hoc, quod ſtatim ſequitur,enunciato,docet in feriendis venis, tuberculiſque cœdendis cauendum etiam eſſe,ne Luna id Cœli ſignum permeet,cui membrum feriendum ſit attributum, etenim cum Luna totum corpus humectet, id tamen membrum humoribus affluentibus implet, quod ſigno illi ſubiectum eſt, per quod tunc ipſa diſcurrit, & cuius nimia humectatione magnum membro nocumentum affertur, ſi ferro tunc ictum fuerit; ex quo non modo difficilis, verum etiam periculoſa curatio ſequatur, ſiquidem vlcera, neruorum diſtenſiones, aliaque item mala conſequi ſoleant,& paulo poſt hæc ſubdit. Eſt ita-

que prudentis & cauti Medici Lunæ curſum optime tenere, ne fortè aliquam corporis partem ſcalpello feriat, quo tempore præter cęteras humectatur à Luna peragrante ſignum, quod parti vulneratæ dominatur, difficulter enim, ac vix abſque magno membri eius ſanantur incommodo.

Retulimus hoc in gratiam aliquorum Medicorũ, & aliorum, qui Aſtrologiæ præcepta non curantes, verum reddunt illud Hippocratis axioma in Epiſtola ad Dionyſium, dum inquit; nunquam nociua eſt virtus immodica &c. Vnuſquiſque enim ex his, quæ ipſe non habet iudicat id, quod in alio abundat, ſuperfluum eſſe. Nonnè Hippocr. pluribus in locis, vt in noſtra Aerologia, tractauimus Aſtrologiam laudat; non ne Galenus, non ne Medici omnes famã clariores: quare igitur hãc peritiam negligimus; nullam aliam ob cauſam, niſi propter ocium, & propter occaſionem dicendi, & ſcribendi nugas, & propter hoc etiam peritia ſimplicium, & Anatomes noſtris temporibus vix cognoſcitur à Medicis quibuſdam, non loquor de omnibus, vt pudeat dicere. Legant qui hanc cognitionem parui faciunt Chriſtophorum Clauium in præfatione ſphæræ Io: de Sacroboſco, & taceant cum verecundia; ſed ad rem noſttam, ſectio Lapidis Veſicæ nullo modo eſt facienda Luna exiſtẽte in Scorpione, vt inter cęteros accidit cuidam nobili Religioſo, cuius nomen taceo, qui hoc tempore ſectus obijt. Cum enim Luna eo tempore humiditate maxima impleat pudenda cum partibus propinquis, quæ inferiori loco poſita alluuiem Superiorum coguntur recipere, vtique ſi ſecentur putredini facillime ſunt obnoxia & mors in promptu eſt.

Pri-

Priuatio, muſculi Palmaris, Plantaris, & Pyramidalium in eodem ſubiecto.

OBSERVATIO XII.

Nihil ordine caret, ex his quæ ſunt à natura, & ſecundum naturam ita docente Ariſtotele 3. Phyſ. atque, vt ipſemet aſſerit lib. 3. de Anima, natura nihil facit fruſtra, nec deficit in neceſſarijs, nec abundat in ſuperfluis. Quapropter, ſi in anatomica ſectione compago, ſitus, armonia membrorum corporis humani variata videntur, ſemper ab aliqua cauſa ortum habere neceſſarium eſt; nam omne, quod fit propter aliquid fit, quæ cauſa aliquando manifeſte apparet. Aliquando vero in ſecretis naturę recondita mentis humanæ captum fugit: quandoquidem nos credimus fere infinita myſteria in naturæ arcanis recondi, quæ nondum viſa fuerunt, & fortaſſe nunquam apparebunt, effectum tamen à cauſa occulta ortum ſolum intuebimur, & quamuis effectus pendeat à cauſa, & cum illa vinculum quoddam habeat, tamen non ſemper cauſa fiet manifeſta, quãuis manifeſtus ſit effectus ita iubẽte naturæ auctore. In quodam iuuene defuncto muſculus palmaris, plãtaris, Pyramidales deficiebant, nec illorum prorſus veſtigium aderat. Verum tamen eſt, quod profundus, & ſublimis in manu craſſiores erant, ita etiam muſculi recti abdominis plus iuſto craſſiores erant, vt & ſolęus, & gemelli duo, qui fortes facti à Natura vicem illorum gerebant.

Dyſenteria in Xenodochijs ſæpe contagioſa.

OBSERVATIO XIII.

OVidius ſuper hac re lib. 2. de rem. Amoris ſic ait.

Dum ſpectant oculi læſos læduntur, & ipſi.
Multaque corporibus tranſitione nocent.

Siue id procedat ab Antipathia, ſiue à ſympathia, cuius declaratio non eſt huius loci, id tantum dicimus oculatos, & prudentes debere eſſe eos Medicos, qui in Xenodochijs, & vt melius dicam Noſocomijs medentur, ne dyſenterici communionem cum alijs ægrotantibus habeant, neue in eodem vaſe excrementa excernant, quandoquidem, vt ſępe obſeruauimus, morbus eſt contagioſus, & facillimè per communionem vitæ, & conſuetudinem contrahitur. Vnde aliqui ægrotantes febribus intermittentibus correpti, poſtmodum per contagionem, dyſenteria ſuperueniente, perierunt: contrahitur etiam hic morbus nimis frequentando, & viſitando ægrotos hoc morbo correptos: quapropter iſti in Noſocomijs ſegregari ab alijs debent, ne alios inficiant, vt nos curabamus, & vitandum maximopere eſt, ne aſſiſtentes diutius morentur, quoniam facile hoc morbo corripiuntur.

Fe-

Febris albę in Virginibus ſæpe Amorem cauſam eſſe, quæ, ſi cum amante nubant, ſanantur.

OBSERVATIO XIV:

AMorem ex Plauto in Mercatore

Hæc cuncta vitia ſectari ſolent:
Cura, ægritudo, nimiaque elegantia.
Hoc non illum modo, qui amat, ſed quemque attigit.
Magno atque ſolido mulctat infortunio.
Nec pol profecto quiſquam ſine grandi malo,
Præterquam res patitur, ſtudet eloquentiæ.
Sed amori accedunt etiam vltra hæc, quæ diximus,
Inſomnia, ærumna, error, & terror, & fuga,
Ineptia, ſtultitiaque adeo, & temeritas,
Incogitantia, excors immodeſtia,
Petulantia, cupiditas, & maleuolentia;
Inhæret etiam auiditas, deſidia, iniuria,
Inopia, contumelia, & diſpendium.

Et qui Amoris ſpicula in pectus admiſit audiat amãtis deſcriptionem ex Seneca in Hippolyto.

Torretur æſtu tacito, & incluſus quoque,
Quamuis tegatur proditur vultu furor:
Erumpit oculis ignis, & laſsæ genæ
Lucem recuſant, nil idem dubiæ placet.
Artuſque varie iactat incertus dolor.
Nunc vt ſoluto labitur moriens gradu,
Et vix labente ſuſtinet collo caput.
Nunc ſe quieti reddit, & ſomni immemor
Noctem querelis ducit: attolli iubet

Ite-

Iterumque poni caput, & ſolui comas
Rurſuſque fingi, ſemper impatiens ſui
Mutatur habitus, nulla iam Cereris ſubit
Cura, aut ſalutis: vadit incerto pede
Iam viribus defœta, non idem vigor &c.
Et qui tenebant ſigna Phœbeæ facis
Oculi nil gentile, nec patrium micant.
Lachrimæ cadunt per ora, & aſſiduo genæ
Rore rigantur,

Ex hac pulcherrima amantis deſcriptione nulli mirum videbitur, ſi Virgo aliquis amore capta in febrem, à Medicis pleriſque, albam appellatam incidat; eoque magis, quoniam non vt vir, alteri communicare paſſiones poteſt: ſed ſummopere timore parentum, & conſanguineorum, ac verecundia circumdata eodem tempore vritur, amat, & tacet. Nonne Amor homines mutat; vt vix cognoſcantur, vt inquit Terentius in Eunucho actu 2. ſcena. 1.

Dij boni; quid hoc morbi eſt? adeon homines immutarier.
Ex Amore, vt non cognoſcas eumdem eſſe.

Si itaque homines prudentiores mulieribus hoc modo torquentur, quid faciet fœmina à mollitie dicta mulier, quæ, vt in coitum eſt prona, ita in Amorem facillime labitur.

Innumeras Virgines febre alba correptas obſeruaui, quæ non aliam ob cauſam in hunc morbum inciderant, niſi ob amorem. Quapropter Medicis omnibus conſulerem, vt, cum morbum obſeruant, maiorem curam ponant ſi fieri poteſt, vt Virgines nubãt,

quam

quam,vt confugiant ad chalybem, cauteria, & ſimilia; quę corpus ſauciant,abſque eo quod hic morbus euaneſcat. Quæ vero nubere nō poſſunt eſt attendendum vt amorē fugiant,atque in hoc caſu melius erit legere Ouid. de remed.amoris, quam Galenum.

Aer Romanus pulmonibus valde obnoxius.

OBSERVATIO XV.

Vita noſtra ex natura D. Gregorij in Regiſt. nauiganti ſimilis eſt. Is enim, qui nauigat ſtet, ſedeat, iaceat, ſemper vadit. Quia impulſu nauis ducitur. Sic & nos,ſiue vigilantes, ſiue dormientes per momenta temporum quotidie ad finem tendimus. Tempuſque illius, quamuis per multos annos excurrat,tamen eſt leuiſſimum. Audias lector, quid loquatur de hoc de D. Auguſt ſuper pſalmum 36. Si toto tempore illo viueres, ex quo Adam de Paradiſo miſſus eſt,vſque in hodiernum diem, certo videres vitam tuam non fuiſſe diuturnam, quæ ſic auolaſſet. Vnius autem cuiuſque vita hominis quanta eſt? adde quantoſlibet annos, duc longiſſimam ſenectutem, quid ergo? Nonne aura matutina eſt?

Si de longiſſima loquens D. Auguſtinus dixit, quod celerrime tranſit, quid dicendum de breui,imo breuiſſima: & tamen improbi quotidie ſceleſtiores euadunt: rationem de hoc reddit D Gregor. lib. 13. moralium his verbis. Reproborum mentes idcirco multa agunt, quia ſe hic viuere diutius arbitrantur. Iuſti vero,dum breuitatem vitæ ſuæ conſiderant,elatio-

tionis,& immunditiæ culpas declinant. Sed quo pergo: correctio pertinet ad Theologos non ad Medicos; cauendum eſt ne audiam illud vulgatum. Ne ſutor vltra crepidam. Sed excuſationem habebo; dum enim de obſeruationibus Medicinalibus diſſero, ſœpe miſeriam humanam comtemplor; homo etenim, cum ſit ex D. Bernard meditation. libro ſperma fœtidum, ſaccus ſtercorum, & cibus vermium, & (vt ait Innocen. de miſeria humana) formatus ſit de luto, de puluere, & de cinere, viliſſimo, & ſpurciſſimo ſpermate conceptus in fœtore luxuriæ, quodque deterius eſt, in labe peccati, natus ad laborem, timorem, dolorem, miſerrimus ad mortem, agit praua, quibus offendit Deum, offendu proximum, offendit ſeipſum; agit turpia, quibus polluit famam, polluit perſonam, polluit conſcientiam; agit vana, quibus negligit ſana, negligit vtilia, negligit neceſſaria.

Tantum viuimus, quantum reſpiramus: Reſpiratio, & vita ſimul incedunt. Quapropter Hippocrates Morbos ab aere ſolum oriri exiſtimat, propter neceſſitatem reſpirationis, ſine qua viuere nulli cōceſſum eſt. Audiamus ipſum libro de flatibus text. 6. Mortalibus autem aer vitæ, & morborum ægrotis ſolus is eſt autor. Tantaque omnibus corporibus ſpiritus (intellige aerem) neceſſitas extat, vt ſiquidem omnibus alijs abſtineat homo, neque cibum ſumat, neque potum, poſſit tamen dies duos, vel tres, & plures ducere. Si cui vero ſpiritus in corpus viæ intercipiantur, in breui parte vnius diei intereat, vt vel hinc, quanto vſui ſpiritus corpori ſit liceat æſtimare. Amplius autem ab omnibus operibus aliquando immunes quieſcunt homines (multæ enim ſunt mutationes in vita) verum ab hoc opere nulla omnibus

mor-

mortalibus animantibus requies contingit, vt ceſſent ſpiritum adducere, ac rurſus exhalare. Vides ergo ex his, quæ dixi, quanta communio omnibus animantibus in fruendo aere exiſtat. Subijciam igitur mox, & illud, quod non aliunde vnquam veriſimile ſit morbos euenire, quam inde, ſi aut plus is, aut minus, aut cumulatior, aut morbidis ſordibus inquinatior in corpus ſe ingerat. Sed hæc de vniuerſa hac re dicta ſufficiant. Ad ipſa nunc opera ſermonem conuertens demonſtrabo omnes morbos ex hoc oriundos corporibus innaſci, ac generari.

Primum autem &c. Itaque per eamdem viam per, quam viuimus morimur. Mediante aere viuimus, & per morbos ab aere excitatos in æternam noctem lumina claudimus.

Aer Romanus inconſtans, inſalubris eſt, & mutationi valde obnoxius quapropter pulmonibus ſummopere nocet, vti partibus ſpongioſis aptis ad recipiendum fluxiones morboſas; quod etiam obſeruatum fuit à Galeno ſuo tempore, vt is teſtatur lib. 5. meth.meden. Sane nouimus in Vrbe Romæ loco profecto fluxionibus valde obnoxio: & ſic multi, qui ab alijs morbis occupati pereunt, tamen ſemper plus, minuſue in illis pulmones læſi reperiuntur. Nos inter centum cadauera vix quinque inuenimus, in quibus pulmones non eſſent, aut variegati, aut nigricantes, aut dealbati, aut exſiccati, aut purulenti aut aquoſi, aut coſtis inhærentes, aut in totum ex vna parte carentes, aut his ſimilia: quod nullo modo oriri poteſt niſi ab aere Romano, ſed non omni, nam ij, qui habitant in ſummitatibus, & præcipue, in alta ſemita, in colle hortulorum, & monte Exqui-

ſino, meliori ſanitate fruuntur: ille enim aer Zephyro expoſitus ſympathiam quamdam habet cum ſanguine, qui ſi melancholicum, terreum, morboſumque inuenerit beneficio ſingulari fluidum florentemque reddit.

Pedum ſudores pro ſanitate nunquam coercendi,

OBSERVATIO XVI.

QVoties lego Ouidium lib. 3. de arte amandi video tanquam in ſpeculo noſtri temporis abuſum, quo vtuntur mulieres ad ornatum. Audi lector ſi lubet.

Nec mihi tot cultus numero comprendere fas eſt:
Adijcit ornatus proxima quæque dies &c.
O quantum indulgit veſtro Natura decori:
Quarum ſunt multis damna pianda modis.
Nos male detegimur, raptique ætate capilli
Vt Borea frondes excutiente, cadunt.
Fœmina tanciem germanis inficit herbis,
Et melior vero quæritur arte color.
Fœmina procedit denſiſſima crinibus emptis:
Proque ſuis alios efficit ære ſuos.
Nec pudor eſt emiſſe palam: venire videmus
Herculis ante oculos, virgineumque chorum.
Quid de veſte loquar? non iam ſegmenta requiro.
Nec quæ bis Tyrio murice lana rubes.
Cum tot prodierint pretio leuiore colores.
Quis furor eſt cenſus corpore ferre ſuos?

Furor

Furor certe; nam hoc modo luxu raptæ mulieres maritos, quantumlibet diuites, pauperes reddunt. Quid dicendum poſtmodum de illis, quæ pictam ſemper gerentes faciem, vnguentis, & odoribus oneratæ vndique olent, immemores, odores mulierum famæ eſſe contrarios; ſicut è contra, vt ait Plautus in moſtellaria,

Mulier recte olet, vbi nil olet.

Memini mulierum intemperantiam in hoc ita creuiſſe, vt aliquæ earum pudenda aquis odoratis abluant; inter quas vna fuit, alioquin bonæ famæ, vt infra videbimus, quæ hoc modo lota, in magnum vitæ diſcrimen incidit propter Hyſtericos affectus, qui Medici opera quieuerunt, dum ipſa ſeſe excuſabat dicens, ſe baluiſſe hoc modo, vt conciperet; ſic enim à quadam muliere familiari edocta fuerat. Attamen ego non credidi. Non negauerim tamen mundiciem optimam eſſe, ſed ſicuti hanc approbo, ita illam reprobo.

Aliquando pedum ſudores mulieres mirifice torquent, & totis viribus incumbunt, vt coerceri poſſit, cui morbo facile, veloxque remedium indicabo, nempe ſi in calceo lineo puluerem foliorum Myrti imponant; ſed aduertendum eſt, ne in morbos peiores incurrant, ſicut ſæpius vidi; aliæ enim in podagram, alię in cruciatus arteticos, aliæ in febres, alię in alias paſſiones inciderunt. Coercendus nunquam eſt ſudor pedum, à morbis enim quamplurimis liberat iſta excretio, ſed potius incitandus memores illius Hippocratici Quo natura vergit, eo ducere oportet, & per loca conferentia eo ducere: quod ſi malus odor nares offendat, ſupprimendus non eſt, ſed quotidie, & bis etiam in die mutari debet calceus

T 2 lin-

Digitized by Google

ſino, meliori ſanitate fruuntur: ille enim aer Zephyro expoſitus ſympathiam quamdam habet cum ſanguine, qui ſi melancholicum, terreum, morboſumque inuenerit beneficio ſingulari fluidum florentemque reddit.

Pedum ſudores pro ſanitate nunquam coercendi,

OBSERVATIO XVI.

QVoties lego Ouidium lib. 3. de arte amandi video tanquam in ſpeculo noſtri temporis abuſum, quo vtuntur mulieres ad ornatum. Audi lector ſi lubet.

Nec mihi tot cultus numero comprendere fas eſt:
Adijcit ornatus proxima quæque dies &c.
O quantum indulgis veſtro Natura decori:
Quarum ſunt multis damna pianda modis.
Nos male detegimur, raptique ætate capilli
Vt Borea frondes excutiente, cadunt.
Fœmina canitiem germanis inficit herbis,
Et melior vero quæritur arte color.
Fœmina procedit denſiſſima crinibus emptis:
Proque ſuis alios efficit ære ſuos.
Nec pudor eſt emiſſe palam; venire videmus
Herculis ante oculos, virgineumque chorum.
Quid de veſte loquar? non iam ſegmenta requiro,
Nec quæ bis Tyrio murice lana rubet.
Cum tot prodierint pretio leuiore colores.
Quis furor eſt cenſus corpore ferre ſuos?

Furor

Furor certe; nam hoc modo luxu raptæ mulieres maritos, quantumlibet diuites, pauperes reddunt. Quid dicendum poſtmodum de illis, quæ pictam ſemper gerentes faciem, vnguentis, & odoribus oneratæ vndique olent, immemores, odores mulierum famæ eſſe contrarios; ſicut è contra, vt ait Plautus in moſtellaria,

Mulier recte olet, vbi nil olet

Memini mulierum intemperantiam in hoc ita creuiſſe, vt aliquæ earum pudenda aquis odoratis abluant; inter quas vna fuit, alioquin bonæ famæ, vt infra videbimus, quæ hoc modo lota, in magnum vitæ diſcrimen incidit propter Hyſtericos affectus, qui Medici opera quieuerunt, dum ipſa ſeſe excuſabat dicens, ſe baluiſſe hoc modo, vt conciperet; ſic enim à quadam muliere familiari edocta fuerat. Attamen ego non credidi. Non negauerim tamen mundiciem optimam eſſe, ſed ſicuti hanc approbo, ita illam reprobo.

Aliquando pedum ſudores mulieres mirifice torquent, & totis viribus incumbunt, vt coerceri poſſit, cui morbo facile, veloxque remedium indicabo, nempe ſi in calceo lineo puluerem foliorum Myrti imponant: ſed aduertendum eſt, ne in morbos peiores incurrant, ſicut ſæpius vidi; aliæ enim in podagram, alię in cruciatus arteticos, aliæ in febres, alię in alias paſſiones inciderunt. Coercendus nunquam eſt ſudor pedum, à morbis enim quamplurimis liberat iſta excretio, ſed potius incitandus memores illius Hippocratici Quo natura vergit, eo ducere oportet, & per loca conferentia eo ducere: quod ſi malus odor nares offendat, ſupprimendus non eſt, ſed quotidie, & bis etiam in die mutari debet calceus

lineus, cum qua cautela nullus diſplicens odor aderit; dum euacuatio hæc à Natura paulatim facta à multis morbis immunes reddit.

Mulier, dum pudenda florum Aurantiorum aqua abluit, propter Vterinos dolores ſummopere afflicta, morti proximà redditur.

OBSERVATIO XVII.

MVlieres illæ oculos chriſtianos ſcandalizant potius, quæ purpuriſſo, & quibuſdam fucis ora, oculoſque depingunt vt D. Hieron. epiſt. 8. docuit., quarum facies Aegyptiaca nimio candore deformes, idola mentiuntur, quas nec numerus annorum poteſt dicere, quod vetulæ ſint, quæ capillis alienis verticem ſtruunt, & præteritam iuuentutem in rugis anilibus poliunt. Erubeſcat mulier chriſtiana, ſi naturam cogit in decorem, ſed carnis curam facit in concupiſcentijs.

Erubeſcat equidem, tantus enim ornatus, & tantus cultus libidinem redolet. Meretrices antiquitus hoc modo ornatæ incedebant, vt ipſas loquentes inducit Plautus in Pœnulo ſcena 2. acti primi, dum Adelphaſium aliæ Meretrici dicentem inducit.

Nam nos vſque ab Aurora ad hoc, quod eſt die
Ex induſtria ambæ nunquam conceſſauimus
Lauari, aut fricari, aut tergeri, aut ornari.

Poliri

Poliri, expoliri, pingi, ſingi, & vna,
Binæ ſingulis, quæ datæ nobis, ancillæ
Eæ nos lauando, eluendo operam dederunt,
Aggerundaque aqua ſunt viri defeſſi duo:
Apageſis negocij, quantum in muliere vna eſt.
Si vero duæ, ſat ſcio maximo vni
Populo, cui lubet, plus ſatis dare poteſſunt.
Quæ noctes, dieſque omni in ætate ſemper
Ornantur, lauantur, terguntur, poliuntur.
Poſtremo modus muliebris nullus eſt.
Neque vnquam lauando, & fricando
Simus ſaturæ. Nam quæ lauata eſt, niſi
Perculta, eſt meo quidem animo quaſi illauta eſt.

Pudet dicere noſtri temporis exceſſum in mulieribus, dum ſe ad inflammandos homines libidinoſe ornant. Vidimus Mulierem, quæ pudenda aqua florum aurantiorum abluit, quæ hyſtericis affectibus maximopere correpta, ſæuiſſimos cruciatus paſſa, in maximum vitæ diſcrimen incidit, & quoniam Medico neceſſaria erat dicenda huius morbi aliqua veriſimilis occaſis, dixit ſe hoc modo abluiſſe, ad habendam prolem, ſic enim ab alia muliere acceperat. Nos vero credimus, vt diximus in ſuperiori obſeruatione, propter immoderatum ornatũ ei eueniſſe, dum vndique bene olere mulieres deſiderant, & loca etiam fœtida ſua natura, odoribus implere cupiunt. Sed pœna eſt in promptu, quandoquidem vterus irritatus colicos dolores æmulando, tormina alui crudelia ſecum gerit, vt in hac muliere vidimus, quæ fomentis anodynis, & iniectione olei amygd. dulcium, & cheyrini, cum ſumpſiſſet etiam Mithridatum, ſanitati reſtituta eſt.

Præ-

Prægnantibus conſilium optimum ad firmandos renes, & robuſtum reddendum fœtum.

OBSERVATIO. XVIII.

COmmunicatio, vel coniunctio viri, & fœminæ ex Ariſtotel. Oeconomic.lib. in animalibus irrationalibus eſt ſolum gratia prolis procreandæ. In hominibus autem non ſolum iſtius gratia, ſed etiã gratia alterius vtilitatis, vt iuuentur à filijs potentibus parentes impotentes in ſenio effecti, & vt quę parentes potentes exiſtentes fecere filijs impotentibus, recipiant à potentibus ſenio effecti Itaque in hoc corriggendi ſunt illi, qui matrimonium contemnunt propter frequentes quærelas, dotis exprobationem (vt mire docuit apud Plautum in Aſinaria Demænetus ſenex his verbis.

Argentum accepi dote Imperium vendidi)

Incertam filiorum procreationẽ, ſocri inquietudinẽ, conſanguineorum importunitatem, atque alia incommoda; cum in Cœlibatu (exceptis his, qui in totum Deo vouentes abrenuntiant Mundo, Satane, & pompis, & fallacijs eius) comes appareat ſolitudo, generis priuatio, orbitas, hæreſque alienus; eoq; melius, nam Filiorum creatio in Morte parentum ſolatium aliquo modo exiſtit, qui morientes, tanquam ſi viuerent in filijs feliciter concedunt fato. Comprobat hoc id, quod refertur de M. Antonio Imperatore, qui ex Paul.Manut. Apophth. lib. VI. bi-

biduo, priuſquam moreretur, admiſſis amicis, aperuit ſententiam ſuam de filio, eandem, quam Philippus de Alexandro, dicens ſe æquo Animo mori, cum filium relinqueret.

Quapropter cum maxima cautela aduertendũ eſt, vt conceptus ad perfectam maturitatem vergat, atque omnes cauſæ ſunt diligenter inueſtigandæ, & examinandæ. Nos multoties abortus obſeruauimus propter renum imbecillitatem in mulieribus, ſicut etiam plures in partu periclitari vidimus, in quibus fœtus valde debilis exiſtens, viam ſibi parare non poterat, quoniam prægnantes ſæpe comedunt cibos pauci, & mali ſucci. Et ſic tutiſſimum erit ſi mulier grauida ieiuno ventriculo aſſumat oua ſorbilia recentia, quæ eodem tempore mirifice renes corroborant, & fœtui robur validiſſimum communicant; vnde partus tempore partim matris impulſu, partim proprio conatu, facillime egreditur.

Vena Azygos ab vtraque parte reperta.

OBSERVATIO XIX.

SIcut ſe habet oculus Nycticoracis ad lumen diei, vt inquit Ariſtotel. lib. 2. Metaph ſic ſe habet animæ noſtræ intellectus ad manifeſtiſſima Naturę, Nam res naturales opera ſunt Dei, vt innuit Gal. in con. Plat. ſi quidem omnia Naturæ opera à Diuina quadam Sapientia Mundo infuſa proficiſcuntur; qua de cauſa obſeruare, vt diximus alibi, non tamen cauſam obſeruationis certam inuenire poſſumus. Vnicuique datur, vt poſſit opinari, cum infinitę

finitæ ſint opiniones, & veritas vna tantum.

Venam azygos, à Græcis ſic dictam, quod ſit ſine pari in omnibus cadaueribus in dextera parte tantū vidimus, excepto vno cadauere à me hic Romæ in almo vrbis Gymnaſio publice ſecto, in quo aderat alia gemella in ſiniſtra parte thoracis. Ad quid poſtea fuerit à Natura conſtructa neſcimus: tantum, vt diximus, licet intueri ludum Naturæ, in rebus humanis.

In prægnantia vnum tantum ſignum certitudinis datur, cum reliqua ſint vana, & fallacia.

OBSERVATIO. XX.

EX Ouid lib. 5. Metam.

Nihil eſt, quod perſtet in orbe.
Cuncta fluunt; omniſque vagans formatur imago.
Ipſa quoque aſſiduo labuntur tempora motu:
Non ſecus ac flumen; neque enim conſiſtere flumen,
Nec leuis hora poteſt; ſed vt vnda impellitur vnda,
Vrgeturque eadem veniens; vrgetque priorem.
Tempora, ſic fugiunt pariter: pariterque ſequuntur.
Et noua ſunt ſemper &c.
requieque ſine vlla
Corpora vertuntur, nec qui fuimuſue, ſumuſue
Cras erimus.

Quoniam ex Senecæ ſententia epiſt. 67. fluunt omnia, & in aſſidua diminutione ſunt corpora noſtra,

ra-

rapiuntur fluminum more. Quicquid vides currit cum tempore; fluida eſt materia, & caduca, & omnibus caſibus obnoxia. Vnicum tantum remedium contra temporis viciſſitudinem habemus, videlicet ſpeciei propagationem; & ſic moriente patre remanet filius, in quo viuit pater, ſed eſt alius, non eſt idem. Idem ſol occidit, & oritur; ſed non idem homo reuertitur. Tamen maxima conſolatio parentum eſt decedere, remanente prole; ſic enim aliquo modo ſpicula mortis effugere videntur; qua de cauſa, cum viderint in aluo pudicæ vxoris fœtum creſcere, lœtantur, ſobolem expectantes. Si vero filijs carent, nihil intactum, nil intentatum relinquunt, vt ex voto euentus ſuccedere poſſit; ſigna omnia incipientis prægnantiæ diligentiſſime examinant, & cum omnia fecerint, & inueſtigauerint, pro certo habentes ſingula circa veritatem prægnantiæ, tandem decipiuntur. Grauidarum enim ſigna incerta ſunt omnia, fallacia & vana principio geſtationis. Vnum tantum, poſt longas oberuationes à nobis factas, habuimus; videlicet vteri clauſuram, quæ digito immiſſo ab obſtetrice diligenti, & docta in anatomica ſectione, in mulieris vuluam, cognoſci poterit; ſi enim vterus reſeratus eſt, foueam quamdam paruam, vel ſinum paruum rotundum in digiti extremo perſentiet, ſi vero clauſus ſit vterus, nulla fouea, nullus ſinus tangitur. Sed aduertendum inſuper eſt, aliquas, non omnes, mulieres primo, & ſecundo menſe, etiam ſi vtero gerant, tamen os vteri clauſum omnino non habere; ſed elapſo ſecundo mēſe, poſtmodū clauditur, & facillime cognoſci poteri t ab ipſa met muliere, præcipue ſi fuerit ex numero eorum, quæ iudicium, & ingeniū aliquod habeāt.

Optimum remedium ad partum, ſiue fœtus ſit viuus, ſiue mortuus.

OBSERVATIO XXI.

PLurima laus, & dignitas mulieribus danda eſt, non ſolum, quia per ipſas genus humanum propagationem habet, alioquin breui periturum tẽpore, quod intelligens Romanę vrbis conditur, vt alias diximus, quando fœminis careret, cum Sabinis bellum graue inire non dubitauit. Ipſi enim ignotum non erat, ſi mulieres non habuiſſent, Romanam gentem, potius ſepulchrum quam Ciuitatem habere, ipſiuſque Regnum, & Regem breuiſſimo tempore duraturum. Sed etiam propter difficultates, moleſtias, morbos, & mortem ipſam quandoque; quæ aut ante partum, aut in partu, aut poſt occurrunt. Sed non raro in partu ipſo periclitantur, dum fœtus egredi non poteſt. Nos remedium optimum dabimus experimento pluries comprobatum, dono receptum à Sereniſſimo Duce Guiſano, videlicet Anguillæ iecur, in furno panis exſiccatum, vt in puluerem redigi poſſit. Doſis ipſius eſt medietas ponderis vnius aurei ſcilicet.

Detur vero in liquore conuenienti; prout Medico libuerit. Mirifice partum facilem reddit.

Ad

Ad combuſtos remedium paratu facile, & optimum.

OBSERVATIO. XXII.

Aiebat quidem aliquando eadem præſidia habuiſſe Chriſtianos in tuenda anima, ne in flāmas inferni lubrico lapſu trahatur, & in conſeruando corpore, ne in mortis laqueos incidat. Videlicet Fidem, Spem, & Charitatem, attamen diuerſo modo; Fidem, & Spem bonam habere debet ægrotus erga Medicum, debetque totis viribus, toto conatu ipſius imperio regi: Hæc etenim ſummopere ſunt neceſſaria in morbis. Medicus vero Charitate ornatus ſit. Charitas enim à gratia ſic dicta eſt (ſine qua Medicus nihil valet; potiuſque carnifex, & vilis mercenarius erit) & in hoc differt ab Amore ſecundum D. Thomam 2. 2 quæſt. 23 art. primo, quia amor genus eſt, charitas ſpecies. Amor ad omnia pertinet, charitas tantum ad homines & quidem pro dignitate, & qualitate perſonarum. Maior enim Charitas debetur parentibus, proxima liberis, & deinceps reliquis.

Charitas itaque Medici conſiſtit, nō ſolum morbos ab ægris in totum tollendo, refrenandoque vehementes morborum impetus; ſed etiam, dum iſta agit, applicando remedia cito, tuto, & iucundè. Nam, quod poteſt fieri per horę quadrantem, fruſtra fit per horam integram; quod fit per remediū approbatum, fruſtra fit per medicamentum anceps; quod perfici poteſt Pharmaco iucundo, & grato,

Digitized by Google

ſine charitate, & iudicio deſcribitur imperando Aromata inſuauia, & ingrata. Quarta conditio ſupereſt; ſcilicet, ne vtantur Medici remedijs exoticis, præſertim in pauperum curatione, quæ niſi magna impenſa venales reperiuntur: dum remedia ſimilis efficaciæ, & fortaſſe maioris aliquando Natura vbique proponit De hoc loquitur Plinius à nobis in Catalogo plātarum Amphitheatralium citatus lib. 24. cap. 1. cuius verba hic denuo referre libet. Hinc nata Medicina; hæc ſola Naturæ placuerat eſſe remedia parata vulgo, inuentu facilia, ac ſine impendio, ex quibus viuimus. Poſtea fraudes hominum, & ingeniorum capturæ officinas inuenere iſtas, in quibus ſua cuique homini venalis promittitur vita. Statim compoſitiones, & mixturæ inexplicabiles decantantur; Arabia, atque India in medendo æſtimantur, vlcerique paruo medendo, Medicina à rubro Mari aſportatur, cum remedia vera pauperrimus quiſque cœnet. De hoc etiam loquitur Ioannes Præuotius noſtri tēporis Medicus in ſua Pauperum Medicina, præſertim in proemio his verbis. Quicunque medendi arte claruerunt, atque ex humanæ ſalutis cuſtodia magnā ſibi apud omnes gratiam compararunt, prima exiſtimationis ſuæ fundamenta in pauperum tabernis iecisse videntur. Cum enim duo præcipue Medicum commendent, curandi peritia, & eximia in ægros charitas, cum his quę ſequuntur; qui paulo poſt hæc ſubdit in eodem loco. Qua in re non parum obſtat Medici conatibus fortunæ tenuitas, quę non modo idonea, ad tuendam ægri, naturæque robur, alimenta, ſed etiam accommodata ad ſanationem medicamenta comparari ſæpe vetat; adeo vt ex Pharmacopolarum officinis

nis nil peti poſſit, ne leui ſumptu graue paupertati vulnus infligatur, nouæque miſeriæ ad priorem fiat acceſſio. Prouidit tamen Naturæ liberalitas pauperum neceſſitatibus, multaſque medicamentorum produxit materias; quæ, & vbique locorum obuiæ ſunt, & leui artificio præparare, ad omnem vſum aptari poſſunt &c. Itaque meo iudicio inanis eſt ſumptus; Pharmacopœorum officinæ magis quam ſanitatem, paupertatem inducunt. Habemus ſœpe remedia paratu facilia, quæ ſine prætio vſurpari poſſunt. Ad ambuſtos optimum auxilium erit (ſi alte radices non fixit ignis) lutum ſuper impoſitū. Sed aduertendum eſt, quod medicamentum debet apponi quam citiſſimè, & ſi lutum, præſertim æſtatis tempore, non reperiatur, artificio parandum erit, cum aqua, & immunditia domus, aut viæ alicuius, & ſi exſiccatur auferendum erit & applicandum alterum humidum. Mirificè, vt ſæpius vidi, dolorem mitigat, cruciatum lenit, & cutem tuetur.

Dolores artetici à cauſa calida humectantibus curati.

OBSERVATIO. XXIII.

QVi acerbiſſimis doloribus vexantur (ita annuente Platone 9. de Rep.) vel alijs afflictionibus cruciantur, exclamant, aſſeruntque dulciſſimum eſſe nullo dolore affici, præſentique moleſtia liberum eſſe. Quoniam vt ait Seneca in conſol. ad. Apoll. cum animum multi affectus moueant, doloris ea eſt

na-

natura, vt omnium hoc grauiſſime faciat, qui & nonnullis fuit inſaniæ cauſa & aliorum inſanabiliū morborum, & nonnulli præ dolore ſibi ipſis mortem intulerunt. Inter quos præcipue fuit, vt refert Plinius lib.36. cap.13. En. Proculeius Auguſti familiaris, qui maximo ſtomachi dolore correptus gypſo aſſumpto ſibi mortem intulit;& Aelius Adrianus, qui referente Sext Aurel. Victore cruciatu membrorum fere omnium confectus,ſeſe interficiēdum præbuit, cum prius dolore victus,ardens, impatienſque plures è ſenatu extinxiſſet. Quapropter optime cauere debent Medici, ne ęger doloribus diu afflictus in deſperationem incurrat, inter quos vehementiſſimi ſunt aliquando artetici; eoque magis, quando à cauſa calida ortum ducunt: tunc etenim immanes, ingrati, & moleſtiſſimi redduntur. Petrus Ferrerius inſignis Pictor, cum his doloribus correptus torqueretur, & conſulentibus Medidis, vt decoctis calidis, & ſiccis vteretur, in peius rueret, admonitus ab alio Medico, vt è conuerſo humectantibus,& refrigerantibus ſeſe muniret, priſtinæ ſanitati reſtitutus eſt. Multoties Medici aliqui in hoc errant: videntes enim aliquem doloribus articulorū torqueri, ſtatim confugiunt ad zarzam parillam, ad lignum Sanctum, & ſimilia calida & ſicca, abſque eo quod inueſtigetur recte prius cauſa morbi, quæ cum ſit aliquando calida, ſicut in hoc caſu, indiget contraria curatione.

Vena

Vena tumens in fronte nobiliſsimæ mulieris nuntia ſemper imminentis morbi.

OBSERVATIO XXIV.

FAta regunt orbem, certa ſtant omnia lege,
Longaque per certos ſignantur tempora curſus.
Naſcentes morimur, finiſque ab origine pendet.
Tunc & opus, & regna fluunt, & ſæpius orta
Paupertas, arteſque datæ moreſque creantur,
Et vitia, & clades, damna, & compendia vitæ.

Vt optime aſſerit Manil. aſtronom. lib. 4. Fatum à fando ſic dictum, eſt diſpoſitio ſyderum, quâ quis eſt conceptus, vel natus; ſeu eſt prouidentia Dei; ideo eſt in rebus ſecundum D. Thomam p p. quæſt. 116. ex quo in vita hominibus innumera ſuccedunt, quæ tantum ab ignota cauſa proficiſcuntur. Nobiliſſimam mulierem cognoſcimus, facie pulcherrimã, ingenio ſingularem, opibus ornatam, cui paulo ante morbum aliquem, vena in medio frontis ſummopere tumet, ſicut ego hiſce oculis multoties obſeruaui. Sed hic audire Medicos poſſum multos ſuper hoc plura dicentes, & præcipue, quod cum morbi oriri poſſint à ſanguine vel alio humore, non eſt mirum, ſi ab humore illo in corpore redundanti oriatur tumefactio venæ frontis, preſertim ſi materia ſit vaporoſa, quæ caput petat: & ſic nullam admirationem hoc præſagium afferre debet, cum etiam ſpontaneæ laſſitudines prænuncient morbos; quod nullo modo originem ducit à cauſa occulta, ſiue ſu-

ſuperiori, ſed tantum à cauſa naturali, vt omnes Medici vnico conſenſu aſſerunt.

In morbis quibuſdam fere deſperatis, & inueteratis remedium optimum.

OBSERVATIO XXV.

IN Claudiano de Sene Veronenſi hoc legitur.

Felix, qui proprijs æuum tranſegit in aruis,
Ipſa domus puerum, quem videt ipſa ſenem,
Qui baculo nitens, in qua reptauit arena,
Vnius numerat ſæcula longa caſæ.
Illum non vario traxit fortuna tumultu,
Nec bibit ignotas mobilis hoſpes aquas.
Non freta mercator timuit, non claſſica miles,
Non rauci lites pertulit ille fori.
Indocilis rerum, vicina neſcius vrbis,
Aſpectu fruitur liberiore Poli.
Frugibus alternis, non conſule computat annum,
Autumnum pomis, Ver ſibi flore notat.
Idem condit ager Soles, idemque reducit,
Metiturque ſuo ruſticus orbe diem.
Ingentem meminit paruo, qui gramine quercum,
Aequæuumque videt conſenuiſſe nemus.

Attamen aliomodo fœlicitas ab Ariſtotele duobus in locis deſcribitur. Primo 10. Eth vbi indicat homini fælici tria bonorum genera eſſe oportere, externa ſcilicet, corporis, & animi. Secundo primo Rethorici, in quo ſic ait. Fœlicitas eſt proſperitas cum virtute coniuncta, vel fortunata rerum

cum

cum virtute adminiſtratio, aut actio, vel ratio per ſe ſufficiens ad bene viuendum; vel vita pleniſſima voluptatis ſumma ſecuritate, ac præſidio nixa, vel abundantia copiarum, & abſolutiſſima incolumitas corporis, cum poteſtate huiuſmodi, ac vi, quæ ad illa paranda, & conſeruanda ſufficiat. Itaque Claudianus ſalutem ſilentio obuoluens, non recte deſcripſit felicitatem illam, quæ in hoc mundo hominibus aliquando contingit. Etenim quid proſunt homini reliqua, ſi ſanitas deficiat? Non loquimur modo de vera felicitate, quæ nil aliud eſt, quàm fruitio ſummi boni, ſed tantum de terrena, quæ ex Ariſtotele ſupradicto, oritur ex tribus bonis, æternis, ſcilicet animi, & corporis, inter quæ non infimum locum ſibi vendicat ſanitas, à Pyrrho Epirotarum Rege tanti æſtimata, vt refert Textor in ſua Officina, loquendo de votis hominum, quod, vbi immolaturus templa inuiſeret; non Regni ampliorem modum; non de hoſte victoriam, non gloriam illuſtrem, aut diuitias, ſed ſanitatem à Dijs comprecari ſolitus erat, ceu parte hac bene conſtituta proſperius ceſſura viderentur omnia. Plurimi morbi inueterati, & ferè ad deſperationem vergentes, vt puta menſes albi, & ſuppreſsio menſtruorum in mulieribus, internæ obſtructiones, capitis imbecillitas, catarrhus, ventriculi dolor, aliæq infirmitates, Hepatis refrigeratio, podagra, & alij, roſmarino coronario curati fuerunt, ſi vindemiarum tempore ipſius tenellæ ſummitates cum muſto (abſque igne tamen) bulliant, dum imponuntur in dolijs. Non ſolum ego expertus fui; ſed Illuſtriſſimus Eques Caſſianus à Puteo doctiſsimus heros quamplurimos vſu vini, in quo ebullierint in dolijs ſummitates Roſmarini,

à morbo contumaci, & rebelli vexatos tādē lapſa corpora in priſtinas refert reſtituiſſe vires. Quamplurimas Roſmarini coronarij facultates Matthiolus refert lib. 3. cap. 83. in comm. Dioſcoridis. Videat, qui velit.

Vrina concocta ab Hepate cruda à Liene proficiſcitur.

OBSERVATIO. XXVI.

Naturalis, Philoſophi, ex Ariſtotele lib. de ſenſu, & ſenſato, eſt de ſanitate, & infirmitate prima principia inuenire, qui, ex eodem ibidem, finit conſiderationem ſuam ad ea, quæ ſunt conſiderationis Medicinæ; ſed Medicus incipit ab eis quæ ſunt de conſideratione naturalis, vnde, vbi Philoſophus dimittit, ibi Medicus incipit. Quapropter pulcherrima res eſt Medicinam cum Philoſophia naturali coniunctam eſſe, vt nullo modo ſecerni poſſint: etenim Philoſophia duce ad arcana naturæ Medicus peruenire poterit. Inter omnia vero, quæ in ipſa Medicina nobiliora exiſtunt, id vnum eſt, ſi Philoſophia, vt diximus duce, & comite experientia, ad occulta, & nobiliora pateat aditus. Pulchra ſynodus, egregia combinatio, quæ quouis tempore etiam recentiores Medicos vſque ad aſtra euexit. Receptum ab Antiquis Medicis fuit, ſeroſum humorem vehiculum nutrimenti appellatum, facta ſua functione, per meatus vrinarios egredi; qui, dum per pudenda foras exit, ſecum portionem bilis pituitæ, & ſalſedinis affert; ſtatueruntque facta ſecunda coctione inhe-

hepate, dum bilis ad veſſiculam felleam detruditur, humorq;melancholicus ad lienem per vas ſplenicum eijcitur,ſeroſum humorem per venam cauam deſcendentem, inde per emulgentes ad renes deferri; ex quibus per vreteres in veſicā deſcenſus, per pudenda excernitur. Veriſſimum eſt hoc, laudatum à Medicis omnibus, neque vlla probatione indiget. Sed cum experientia videmus aquas thermales epotas aliquando per horæ quadrantem foras exilire per vrinam, cumque obſeruamus, ſi quis in prandio bene bibat, & comedat, breuiſſimo tempore vrinam crudam albam inſipidamque egredi,aliæ viæ excogitandæ ſunt, quam illæ ſupradictæ;eoque magis, quoniā ab aſſumptis thermalibus aquis,rugitum percipimus in parte ſiniſtra, non autem in dextera, vbi adeſt iecur, cum contrario modo deberet eſſe: comprobat hoc dolor ille, quē ſentimus è regione lienis in parte ſiniſtra ſi ſtatim à prandio aliquis ambulet,ſicut ego in alijs, ſed præcipue in memetipſo expertus ſum. Nam ſi aquæ thermales poſt conuenientem moram in ventriculo, deſcenderent in inteſtina, ex quibus Meſenterij beneficio, & venarum lactearum Venæ Portę rurſus aſcenderent in hepar, & poſtmodum ab hepate per venam cauam ad emulgentes, & renes iter facerent per vreteres, & veſicam, longiſſimū tempus in hoc tranſitu requireretur; cum ſit breuiſſimum, & rugitus deberet audiri in dextera è regione hepatis,non autem in ſiniſtra parte. Dicendum itaque eſt lienem eſſe tanquam ſpongiam, quæ attrahit humiditatem ſuperabbundantem, vnde, qui quantitatem aquę bibunt, lienoſi fiunt; & ſic ſi aqua non debet, nec poteſt concoqui, fruſtra petere debet iecur, ſed tantum Lienem vti partem ignobi-

liorem. Via itaque iſta eſt: à ſtomacho per vas breue facillime tranſit in Lienem; à liene per arteriam cœliacam, inde per arterias emulgentes viam ſibi parat ad renes; & eſt breuior, & tutior via, tum ad expellendas aquas thermales tum etiam ad eijciendam ſeroſi humoris quantitatem poſt prandium vel cœnam, ne ex nimia humiditate coctio vitiari poſſit. Si vero per arteriam tranſit nil eſt mirum; quandoquidem arterię omnes ſanguine ſeroſiori abundant.

Triplex reperiri venenum, nempe in ſpiritibus inquinandis, humoribus, & partibus ſolidis Ad noſtris tẽporis Medicos admonitio.

OBSERVATIO XXVII.

Qvos vides ſedere celſo
Solij culmine Reges
Purpura claros nitente,
Septos triſtibus armis,
Ore toruo comminantes,
Rabie cordis anhelos:
Detrahat ſi quis ſuperbis
Vani tegmina cultus,
Iam videbit intus atras
Dominos ferre catenas;
Hinc enim libido verſat
Auidis corda venenis:

Hinc

Hinc flagellat ira mentem
Fluctus turbida tollens.
Mœror aut captos fatigat,
Aut ſpes lubrica torquet;
Ergo cum caput tot vnum
Cernas ferre tyrannos.
Non facit quod optat ipſe
Dominis preſſus iniquis.

Ex quibus Boetij verbis Metro.2. lib.4. clare eluceſcit malos ſeruos eſſe omnes, etiam ſi ſint Reges, & Tyranni, qui paſſionibus ſeruiunt, & precipue iraſcibili, qui cum dominentur reliquis, ex qualibet vel leuiſſima cauſa facillime iraſcuntur. Non tamen ignotum apud illos eſt, quod ex D.Greg.lib 5.Moralium per iram iuſtitia relinquitur, quia dum perturbata mens iudicium ſine ratione exaſperat, omne quod furor ſuggerit, rectum putat. Per iram gratia vitę ſocialis amittitur, quia, qui ſe ex humana ratione nō temperat neceſſe eſt, vt beſtialiter viuat. Per iram manſuetudo amittitur. Per iram concordia rumpitur. Per iram lux veritatis amittitur, quia cum menti iracundia confuſionis tenebras incutit, huic Deus radiũ ſuæ cognitionis abſcōdit. Itaq; ſi ex hac homo rationalitatem exuit, nil mirum videri debet, ſi in tantam barbariem, in tātam crudelitatem incurrat, vt venenis mortales interficiat. Inuentum peſſimum, & horrendum, dignumque, vt arte ſua pereant inuentores, quomodo Diomedi ſucceſſit, qui ab Hercule datus eſt in pabulum ſuis equis, quos humano prius ſanguine ipſe pauerat; aut quomodo Perillus fato ceſſit, qui cum in Tauro æneo reos occidēdos excogitaſſet, in eodem Tauro iubente Phalaride, combu-

ſtus eſt. Venenum noſtræ naturæ, e directo oppoſitum triplex eſt. Primum ſpiritibus, Secundũ humoribus, tertium partibus ſolidis nocet iuxta cuius differentias maximopere diligens, cautuſque eſſe debet Medicus. Nec credat Theriaca, aut Mithridato, aut aqua theriacali morbos omnes venenatos ſuperari poſſe. Inter venena tamen peſſima ſunt, quæ ſpiritibus aduerſantur, tum quia nobiliora corporis occupant, tum etiam, quia difficulter cognoſcũtur. Cum enim nõ ſint viſibilia, ſed vt plurimum aerea, per olfactum, aut reſpirationem in corpus humanũ ingrediuntur, non autem per cibum, aut potum. Hinc oritur, quod ſæpius nulla ſuſpicio veneni adeſſe poterit, eoque magis, quoniam, dum venenum radices nondum fixit, aliqua accidentia cũ alijs morbis communia apparent, quæ Medicum decipiunt; Quapropter ſummopere diligens, & exercitatus Medicus, præcipue in Principum curatione, toto conatu, totis viribus incumbat, vt venenum, & ipſius qualitatem, ſi fieri poteſt, cognoſcat; quod & ſi difficile, tamen non erit impoſſibile inueſtigare, ſi ſumma prudentia ſingula examinabit. Præparataq; habeat medicamenta, quæ ſpiritus fouent, & tuentur, venenum expellendo, quod è directo ſpiritibus aduerſatur, nec ſinere per negligentiam debet, vt Princeps veneno correptus, tanquam ſi in febriculã, catharrum, aut leuiorem morbum inciderit, poſtmodum miſere moriatur. Hæc dixi, quoniam noſtris temporibus aliqui Medici parum, aut nihil in hac materia ſunt exercitati, & de venenis ſpiritualibus, ac ſi non eſſent, nihil tractant.

Pila

Pila ſtercoracea monſtroſę magnitudinis in inteſtino recto diu manens cum maximo vitę diſcrimine, tandem expulſa.

OBSERVATIO XXVIII.

Cum polo Phœbus roſeis quadrigis
Lucem ſpargere cœperit,
Pallet albentes hebetata vultus,
Flammis ſtella prementibus.
Cum nemus flatu Zephyri tepenti
Vernis irrubuit roſis
Spirat inſanum nebuloſus auſter,
Iam ſpinis abeat decus.
Sæpe tranquillo radiat ſereno
Immotis mare fluctibus.
Sæpe feruentes Aquilo procellas
Verſo concitat æquore.
Rara ſi conſtat ſua forma Mundo,
Si tantas variat vices,
Crede fortunis hominum caducis
Bonis crede fugacibus.

Vt inquit boetius metro.3.lib.2. cuncta enim ſublunaria variabili, & incoſtanti viciſſitudine fluunt. Morbus, ſanitas, diuitiæ, paupertas, luctus, gaudium, omnia præcipiti lapſu ruunt. Quos gaudentes, diuites

uites, ſanos heſterna die vidimus, cras forſan mœſtos, pauperes, & morboſos intuebimur: quamquam id multoties potius propter bonum, quam malum ſuccedat, vt ait D. Auguſt. ſuper pſalm. 21. dum inquit. Intelligat homo Medicum eſſe Deum, & tribulationem medicamentum eſſe ad ſalutem, non pœnam ad damnationem: Sub medicamento poſitus vreris, ſecaris, clamas, non audit Medicus ad voluntatem, ſed audit ad ſanitatem. Nam aliquando (ex D. Bern. lib. de conſcient.) quoſdam ſciens Deus multum peccare poſſe in ſalute, flagellat eos infirmitate corporis, ne peccent: cernens vtilius eis languoribus frangi ad ſalutem, quam remanere incolumes ad damnationem. Et ſic poſtea, qui morbi tribulationes habuerunt, ſi in ſanitatem redeunt, magno timore laudant in poſterum, & benedicunt Deum.

Iuuenis quidam diues, lætus, & optima ſanitate præditus ex abrupto infelici, & maxime moleſto morbo premi cępit. Per multos enim dies aluum omnino exſiccatam habebat, neque aliquid per ſeceſſum excernebat. Sentiebat tamen voluntatem, ſed digito in anum immiſſo durum aliquod tangebat, & remouere conabatur, quoniam ſummum impedimentũ ad expellendas feces ipſi erat. Tamen quid eſſet, iudicare non poterat. Id autem refrigerij, & ſolaminis habebat, ſi digito, vt dixi, per podicem immiſſo, obſtaculum illud aliquo modo amouens, aliquam egredientibus fecibus relinquebat viã. Attamen pauca materia ſtercoris reſpectu quantitatis apparebat. Ex quo in totum prorſus mutatus macilentus, pallidus, facie cadaueroſa, totus fœtidus, hominum conſortia fugiebat, breui mortem expectaturus

rus. Iam enim ab adſtantibus percibiebatur halitus ipſius, qui neſcio quid fœtidi, & graueolentis, vt ſtercus, redolebat; & hic peſſimus odor ab ipſomet patiente optime cognoſcebatur. Poſt multum tempus, quando iam fere deſperata res erat, quadam die, ac ſi mulier fuiſſet prȩgnans, cum inſigni cruciatu expulſit primo pilam ſtercoraceam ingentis magnitudinis, & maximæ duritie tanquam feſtucis, & paleis intertextam, qua eiecta incredilis fȩcum quantitas ab aluo exonerata eſt fœtidiſſimi odoris; & breui dierum ſpatio conualuit. Attamen poſt duos annos perijt: credimus fortaſſe ab inquinatis viſceribus propter retentionem ſtercoris. Quomodo autem poſſit hoc modo exſiccari ſtercus, explanabimus infra in ſequenti obſeruatione.

Inteſtinum Duodenum ſtercore duriſſimo refertum Mortem inferẽs.

OBSERVATIO XXIX.

XErxes (vt ſcripſit D. Hieronimus ad Heliodorum) magnus, & potentiſſimus ille rex, qui ſubuertit montes, maria conſtrauit, cum de ſublimi loco infinitam hominum multitudinem, & innumerabilem vidiſſet exercitum, fleuiſſe dicitur, quia poſt centum annos nullus eorum, quos tunc cernebat, ſuperfuturus eſſet. Sed ſi poſſemus ſuper talem aſcendere ſpeculam, de qua vniuerſam terram ſub pedibus cerneremus, iam tibi oſtenderem totius Mũdi ruinas, gentes gentibus, Reges Regibus, Regna Regnis colliſa. Alios torqueri, alios necari, alios

 abſor-

abſorberi fluctibus, alios in ſeruitutem trahi. Hic nuptias, ibi planctum, illos naſci, iſtos mori, alios affluere diuitijs, alios mendicare, Et non tantum Xerxis exercitum, ſed totius Mundi homines, qui nunc viuunt in breui ſpatio defuturos.

Si quis poſſet omnia intueri, relictis ijs, qui aut aqua, aut ferro, aut flamma moriuntur, certe innumerabili morborum ſerie extinctos mortales obſeruaret; quotidie enim, ex anatomicis obſeruationibus morbi nondum viſi apparent.

Ioannes Preſſius inter Archiatros Romanos celeberimus, doctiſſimuſque vir, ſe in cadauere R. P F. Ioa. de Baſſano de Sutrio Cappuccini vidiſſe aſſerit duodenum inteſtinnm vndique repletum ſtercore, coloris atri, leuis & duriſſimi, quod in plures partes diuiſum tubera ad vnguem æmulabatur, ſicut proprijs oculis vidi, ſine tamen magno fœtore, quod à caliditate maxima ortum habuiſſe credibile eſt. Pater ille, cum prius iuris, alteriuſq; rei cochlear ſumeret, ſtatim vomebat, & cum vomitu magnam pituitę vitreę quantitatem excernebat, abſque eo quod nullus tumor, nulluſque ſtomachi, vicinarumque partium dolor adeſſet.

Id autem a quo eueniat, ex coniectura aſſequi poſſumus. Nam cum Pater prius fere quotidie quintam roſmarini eſſentiam ſumeret, ſi quis diceret ex hoc ortum ſumpſiſſe, fortaſſe veram morbi cauſam indicaret. Medicamenta enim Chymica, ſicut aliquando mirabiles producunt effectus; ita ſępe abſque modo, & menſura adhibita ſunt tanquam gladius in pueri manu. Facile illa quinta eſſentia ſicut hepar excalefacere, ita qualitate ſua ignea humidum ventriculi abſumere potuit.

Mor-

Morbus Gallicus ante ſex menſes facillime curatur, tranſacto vero eo tempore difficulter.

OBSERVATIO. XXX.

LVxuriæ currus, ex D. Bernardo ſuper cantica, quadriga voluitur vitiorum, ingluuie videlicet ventris, libidine coitus, mollitie veſtium, otijque, ſaporiſque reſolutione. Trahitur equis æque duobus, proſperitate vitæ, & rerum abundantia, & qui his præſident duo, ignauię torpor, & infida ſecuritas. Sed temporibus noſtris quadriga hæc, aut frangitur, aut curſum ſępe ſiſtit. In medio enim itineris, dum homines voluptatum illecebris deturpati in Venereos ruunt amplexus, ſi in Gallicam incidant luem, ſtatim cognoſcunt veriſſimum eſſe illud axioma, quod extrema gaudij luctus occupat. Nam ſi prius lætabundi felicitatem humanam in ſinu ſpurciſſimæ Thaidis collocabant, non multo poſt Gallico morbo oppreſſi, miſerè cognoſcunt, quod voluptates non venientes reſpiciendæ ſunt, ſed abeuntes. Miſera libidinoſorum hominum conditio, qui turpiter hoc modo à lue Venerea ſuperati, cum planctu, & triſtitia maxima pręteritam redarguunt iuuentutem. Hic capillis orbatus, in ludibrio cunctorum acriter correctus, vellet mori; hic Gonorrhœā patiēs continuò luget, vnus arteticis, doloribus torquetur, alius à diſtillatione acri, & ſalſa ſuffocatur. Vlcera profunda, & Gummoſitates aliquibus mortes inferunt continuam Naſus in multis ob verecūdiam

 re-

retrocedit, nec amplius apparet, Maculæ, Exanthemata, Vlcera, Sciſſuræ, Scabies, Elephantiaſis, Tabes, Atrophia, Orthopnęa, Hydrops, & infiniti alij morbi ab vna tantum lue Venerea originem ducunt, & tamen homines quotidie tamquam bruta rationis expertia laſciuiores redduntur. Audiant illud Salomonis Prouerb. cap. 5. Ne intenderis fallaciæ mulieris; fauus enim diſtillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius. Nouiſſima autem illius amara quaſi abſinthium.

Si ſunt amara experiuntur quotidie miſeri illi, qui tot pœnis, tot doloribus circumdati, potiones ingratas, & amaras capere coacti ſunt, ne incipiens morbus vltro progrediatur, qui intra ſex menſium ſpatium facillime curatur: tranſactis vero ſex menſibus difficulter, & aliquando nunquam ſanatur, & ſi homo integer, & ſanus appareat, tamen poſt breue, vel longum tempus recidiuam parit quoniam licet euacuatæ fuerint ſuperfluitates, & excrementa corrupta, tamen, quia ſuperata non fuit qualitas illa occulta, virulenta, & perniciosa, poſt longiſſimum tempus aliquando repullulat, contaminando facultatem omnibus membris nutritioni neceſſariam, videlicet ſanguificationem. Quapropter, vt pluries obſeruatum à nobis fuit, non eſt procraſtinanda curatio: ſed cito adhibenda ſunt remedia, ante quam tranſeant ſex menſes, quoniam nondum deprauata eſt facultas ſanguificatrix, ſed ſi tranſierint difficilē, & fortaſſe nullam lues venerea curationem admittet.

Pro-

Propter lapſum, non tamen magnum Illuſtriſsimo D. Equiti Caſſiano Puteo abrumpitur inſignis tendo quatuor muſculorum; videlicet Vaſti interni, Vaſti externi, Recti, & Crurei.

OBSERVATIO XXXI.

QVis eſt tam compoſitæ felicitatis, ſecundum illum Boet. lib.2. de conſol. proſ. 4. vt non aliqua ex parte cum ſtatus ſui qualitate rixetur? Anxia enim reseſt humanorum conditio bonorum, & quæ vel nunquam tota proueniat, vel nunquam perpetua ſubſiſtat. Huic cenſus exuberat, ſed eſt pudor degener ſanguis. Hunc nobilitas notum facit, ſed anguſtia rei familiaris incluſus, malles eſſe ignotus. Ille vtroque circumfluus vitam cœlibem deflet. Ille nuptijs felix, orbus liberis, alieno cenſum nutrit hæredi. Alius prole lætatus, filij, filiæue delictis mœſtus illachyrmat. Idcirco nemo facile cum fortunæ ſuæ conditione concordat. Ineſt enim ſingulis, quod inexpertus ignoret, expertus exhorreat. Attamen cum omnia orta occidant, & continua ſit in Mundo rerum omnium viciſſitudo, forti animo ferendæ ſunt aduerſitates. Audiamus Statium 2. Sylu.

Omnia functa
Aut moritura vides, obeunt noctesque, diesque
Astraque, nec solidis prodest sua machina terris.
Nam populos mortale genus, plebisque caducæ

Quis

Quis fleat interitus: hos bella, hos æquora poſcunt,
His amor exitio, furor his, & ſæua cupido,
Vt ſileam morbos, hos ora rigentia brumæ,
Illos implacido lethalis ſyrius igni,
Hos manet imbrifero pallens Autumnus hiatu:
Quicquid habet ortus finem timet. Ibimus omnes,
Ibimus: immenſis vrnam quatit Aeacus vmbris

Ideo non eſt lugendum: nos enim homines ex D. Auguſt.homil.28. ſub tot caſibus quotidianis, fragiles ambulamus, & ſi caſus ipſi repentini non acciderunt tamen diu viuere non poſſumus. Repentini, ſunt caſus, qui homini contingunt: in hoc Fato cedere coguntur. Neſcimus, cum mane ſurgimus è lecto, quis nam illius diei debeat eſſe exitus, qui aliquando miſerationem pariat.

Illuſtriſſimus D. Eques Caſſianus à Puteo ab omnibus virtutis amantibus optime cognitus, indole, animi nobilitate, ingenio, & prudentia excellens, dum ambulans pede labitur, obtruncatum poſt lapſum ſentit, & tangit tendonem illum amplectentem rotulam, quæ epigonatis a Grecis, à Latinis patella appellatur. Certe admirabilis res, quod tendo ille fortiſſimus procedens à quatuor muſculis in vnum coeuntibus (ſcilicet vaſtis duobus, externo, & interno, recto, & crurço) in lapſu frangi poſſit, ſicut meis manibus penitus obtruncatum obſeruaui, qui nunquam amplius coaluit: ſed nobiliſſimus ille vir Philoſophorum Mœcenas claudicare cogitur,

Noctu frigidam ſępius bibens, ſuffuſione correptus, cœcus totaliter redditus eſt.

OBSERVATIO XXXII.

NOn propter porcum, ſed propter pomum mortem primus homo inuenit. Et Eſau primatum ſuum (vt refert D. Auguſtinus ſuper illud 14. ad Romanos noli propter eſcam deſtruere opus Dei) non propter gallinam, ſed propter lenticulam perdidit. Scio enim non omne genus carnis, quod cibo eſſet vſui, manducare conceſſum. Heliam cibo carnis refectum. Ioannem mirabili abſtinentia prędítum animalibus locuſtis in eſcam cedentibus non fuiſſe pollutum. Et ſcio Eſau lenticulæ concupiſcentia deceptum, Dauid propter aquæ deſiderium à ſe ipſo reprehenſum. Abſtinentia itaque omnibus rebus anteponenda eſt, quæ ex eodem Auguſtino ad ſacras Virgines eſt mentis, & ſenſus, membrorumque omnium, corporiſque tutela, caſtitatis, pudicitiæque monimentum, pudori proxima, amicitiæ, paciſque ſerua, honeſtatique ſemper coniuncta, criminum, atque vitiorum omnium profuga. Legimus, vt inquit D. Hieronymus ad Iouin. quoſdã morbo articulari podagræ humoribus laborantes, proſcriptione bonorum, ad ſimplicem menſam, & pauperes cibos redactos conualuiſſe. Clarum eſt exceſſum in cibo, & potu multos morbos parere tum animæ, tum corporis. Quid? quod etiam in bibenda

aqua

Digitized by Google

aqua ſi modus non adſit nocuum eſt, vt præcipuè in R. P. Sancti Petri ad Vincula in exquilino Monte hic Romæ vidimus, qui cum æſtate media quotidie poſt cœnam noctu frigidam copioſe biberet, ſuffuſione captus breui cæcus factus, viſum amiſit. Credimus nos hũc morbum ortum omnino habuiſſe à viſceribus nitroſis, quæ ſitim ingentem excitabant. Videlicet dum frigidam Pater ille copioſe bibebat, Viſcera nubem turbidam verſus caput attollebant, (vt in calce ſuperinfuſa aqua videmus, quæ bulliendo nubem quamdam craſſam eleuat) vnde facillime cœcitas oriri poteſt.

Alcis Vngula mirifice Lapidis Bezaar virtutes æmulatur.

OBSERVATIO XXXIII.

O Stelliferi conditor orbis
Qui perpetuo nexus ſolio
Rapidum Cœlum turbine verſas,
Legemque pati ſidera cogis.
Tu frondiflua frigore brumæ
Stringis lucem breuiore mora.
Tu cum feruida venerit Aeſtas
Agiles noctis diuidis horas.
Tua vis varium temperat annum:
Vt quas Boreæ ſpiritus aufert
Reuehat mitis Zephyrus frondes.
Quæque Arcturus ſemina vidit
Syrius altas vrat ſegetes.
Nihil antiqua lege ſolutum

Lin-

Linquis propria ſtationis opus .
Omnia certa fine gubernas:

Vt retulit Boet metro 3. lib. 1. Tu in te ipſo es per per relationem D. Auguſtini ſuper Pater noſter &c. ſicut alpha, & omega : in mundo ſicut rector, & author : in Angelis ſicut ſapor, & decor : in Eccleſia ſicut Paterfamilias in domo: in anima ſicut ſponſus in thalamo : in iuſtis ſicut adiutor, & protector : in reprobis, ſicut pauor, & horror. Per te Sol oritur, noctiſque tenebras, quaſi triumphator in fugam vertit. Per te Cœlum luminibus æternis ſplendet, planetę lubrico, attamen conſtanti curſu, perennes fluũt;per te Aer auibus,mare piſcibus terra animantibus varijs repletur. Per te viſcera terrę tot diuitijs, tot gemmis abundant. Per te tandẽ tot virtutes præſertim ad rem Medicam in omnibus rebus reperiuntur.

Alcis vngula ſummopere commendata in Epilepſia tam puerorum, quam reliquorum ætatum, vel ſupra corpus geſtata,vel intus ſumpta,mirabiliorem virtutem poſſidet, vt ſępius nos experti ſumus contra venena, & febres malignas eo modo ſumpta, quo lapide Bezaar vtimur, ſudoremque facillime mouet. Nos exhibendam iuſſimus in minutiſſimas particulas lima reductas, cum conſerua de acred. citri ad ſeptem granorũ pondus mirabileſque effectus in morbi malignitate ſuperanda ægrotis peperit.

Digitized by Google

Menſtrua in Virginibus maxima prudentia reuocanda.

OBSERVATIO XXXIV.

D. Ioann. Chryſoſt. in ſerm. decollat. D. Ioann. Baptiſtæ, mulieres dictis caſtigans hæc protulit. Quid enim quis dicat, aut quomodo quis enarret mulierem illam crudelem malitioſam. Ego quidem exiſtimo nullam eſſe in hoc mundo beſtiam comparabilem mulieri malæ. Quid inter quadrupedia animalia ſæuius Leone? ſed nihil hac ferocius. Quid in ſerpentibus Dracone acrius? ne hic quidem cum muliere mala conferri poteſt: nam Leo, & Draco in malo inferiores ſunt. Danielem Leones in lacu veriti ſunt; iuſtum vero illum Naboth Iezabel interfecit. Cetus Ionam in ventre cuſtodit; Dalida Samſonem circumuenit ũ illecebris, raſo etiam capite deformatum, alienigenis tradidit. Ioannem Baptiſtam in deſerto viuentem Dracones, & aſpides cornutę ſubdita feritate tremuerunt; Herodias vero eidem caput abſcidit. Mulier mala nil intentatum relinquit dummodo ex voto ſuccedant omnia De impudicis Cicero Rethor nouor lib 4. ſic ait Maiores noſtri, ſi quam vnius peccati damnabant mulierẽ, ſimplici Iudicio multorum maleficiorum conuictam putabant: quo pacto? Quoniam, quam impudicam iudicarant, eam veneficij quoque damnatam exiſtimabant: quid ita. Neceſſe eſt eam, quę ſuum corpus addixerit cupiditati, timere permultos. Quos

iſtos

Digitized by Google

iſtos? viros parentes, ad quos videt ſui dedecoris infamiam pertinere. Quid poſtea? eos quos tantopere timeat neceſſe eſt, vt quoquo modo, poſſit veneficio petat. Cur? quam nulla poteſt honeſta ratio pertinere, quam magnitudo peccati facit timidam, intemperantia audacem, natura faciat neceſſe eſt inconſideratam. Sic ſane ſuccedit virginibus illis, qui rupto honeſtatis vinculo clam amantem admiſerũt. Nam (ſicut facillime euenit) ſi prægnantes reddantur, hoc opus, hic labor eſt. Statim propter dedecus motæ, timentes parentes, aut conſanguineos de abortu faciendo tractant. Et quoniam vexatio dat intellectum, diabolusque cogitationes ſuggerit, aliquando Medicos conſulunt, vt menſtrua retenta iterum appareant, conſiderantes facillime ea remedia, quæ menſtrua prouocant, abortum inducere poſſe; quod veriſſimum eſt nam, & medicamenta purgantia, & menſes cientia, & Phlebotomia hoc efficere poſſunt. Quapropter, quando agitur de menſtruis reuocandis in virginibus, Medicus caueat ne abortum inducat: ſed procraſtinando, adminiſtrando leuia medicamenta, & nullius roboris, interim certus efficitur, ſi prægnantia adſit. Alioquin ſi ſtatim medicamenta menſes reuocantia imperabit facillime in foueam cadet abortum inducendo, reuſque erit mortis. Hoc tamen, quod dixi, non eſt intelligendum de omnibus virginibus, quoniam infinitæ ſunt honeſtiſſimæ ex optimis parentibus ortę: ſed in quibuſdam vbi aliqua poſſit eſſe ſuſpicio. Medicus enim qui familiariter domum ingreditur ex inceſſu, fucis, voce, miniſterio, audacia, alijſque rebus facillime cognoſcere poteſt, ſi id, quod appoſitũ eſt in menſa, ſit caro, vel piſcis.

R. DD. PP. Cappuccini ſcabie nunquam laborantes.

OBSERVATIO XXXV.

CHriſtus, ex D Auguſtino loquente de puero Centurionis, noſtræ religionis caput eſt, noſque eius membra ſumus. Debemus ergo non ſolum eum, ſed & vitam eius cumulatiſſime ſequi. Vita enim Chriſti reſperſa fuit anguſtijs plurimis, ſumma paupertate circundata, à Scribis, & Phariſæis eſt deriſus, tandem propter nos peccatores morti turpiſſimæ traditus eſt: vnde coniectura eſt, cum te Deus immenſis perſecutionibus corripit, te & in electorum ſuorum numero deſtinaſſe, nam ſine huiuſmodi tribulationibus nequaquam ad eum peruenire poſſumus. Omnes enim, qui ad Paradiſum redire deſiderant, oportet tranſire per ignem, & aquam, ſiue fuerit Petrus Apoſtolus, cui datæ ſunt claues Regni Cœlorum; ſiue Paulus vas electionis; ſiue Ioannes, cui reuelata ſunt ſecreta Cœleſtia, neceſſe eſt, vt omnes dicant. Per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei. Hoc ſtimulo moti plurimi ſerui Dei corpus affligunt, vt puriores Chriſto euadant. Inter hos connumerantur RR. PP. Cappuccini qui continua abſtinentia corpus animę ſeruire cogunt, illorumque victus, veſtitus, & aliæ res ad deſtructionem indiuidui tendunt; Circa veſtitum vero duo ſunt conſideranda, vnum bonum, & vnum malum Bonum eſt, quoniam nunquam

ſcabies apparet & ſi aliquis ipſorum, antequam religionem ingrediatur, ſcabioſus exiſtat, facillime poſt ingreſſum, mediante aſperitate veſtimentorum, abſque vllo medicamento ſanatur; cutis enim callum vniuerſalem contrahit, vt ego expertus fui hic Romæ in mortuis, in quibus cutis duriſſima, aciem cultrorum retundere conabatur: comprobat hoc, quod dum iſti Patres febribus corripiuntur, vix inter centum ipſorum vnus ſudorem emittit propter eamdem cauſam; cum enim, vt dixi, cutis vniuerſa callo quodam obuoluta ſit, pori clauſi ſunt, qui ſudoris egreſſum prohibent. Malum autem id eſt, etenim prohibita inſenſibili trrãſpiratione, materia, quæ per poros expurgari poterat, retrocedens ad nobiliores partes, & præcipue ad pectus, pulmoniam, pulmonum hydropem, & pleuritides ſpurias procreat, eoque magis, quoniam victu vtuntur pauperrimo, & ſummopere excrementoſo.

Coli-

Colicis cruciatibus remedium optimum.

OBSERVATIO XXXVI.

TRiſtis res eſt dolor, ſecundum Ciceronem 2. Tuſcul. quæſt. ſine dubio: aſpera, inimica Naturæ ad patiendum, tolerandumque difficilis. Aſpice Philoctetem, cui credendum eſt gementi? ipſum enim Herculem viderat in tota magnitudine dolorũ eiulãtem. De quo dolore Seneca in prouerbijs loquẽs poſteris monumentũ reliquit, videlicet, quod animo dolenti nihil oportet credere, namque etiam innocentes cogit mentiri dolor. ita vt fere prodigioſum ſit, quod de Spartanis refertur à Cicerone ſupracitato in eodem loco, dum aſſerit, quod Spartæ pueri ad aram ſic verberibus accipiuntur, vt multus è viſceribus ſanguis exeat, nonnunquam etiam ad necem, quorum non modo nemo exclamauit vnquam, ſed ne ingemuit quidem. Exemplum quod noſtri tẽporis mollitiem reprehendit, nam ſi quis vel leuiter aliquibus doloribus torqueatur, ſtatim clamores, vlulatus aſtra petunt, & tamen non ignoramus illud D. Gregor. 11. moralium, quod nunquam eſt patientię virtus in proſperis; ille vero patiẽs eſt, qui & aduerſis conteritur, & tamen à ſpecie ſuę rectitudinis non curuatur. Vidi aliquando viros exemplares doloribus correptos puerorum more lugere. Non negamus interim ſæuiſſimos cruciatus homines ſummopere affligere. Sed tanta impatientia in doloribus eſt vituperanda, & præcipue in quibuſdam ægrotis, qui torminibus, aut arteticis languoribus impulſi, nec mo-

modicum temporis expectare queunt, vt Medicus, quodcunque neceſſarium iudicat, adminiſtret; ſed clamoribus omnia implent, quandoque ſic dicentes: Cito cito afferte, me miſerum morior heu amici, heu conſanguinei, heu Medici, heu carnifices ſic me morientem relinquitis, ſiccine medicamenta perſcribitis, & ſimilia puerilia, quæ pudet dicere. Quare ſi Medicus aliquando in hos impatientes incidat, qui colicis doloribus affligi ſint, propinandum adminiſtrent cum vino, vel liquore conuenienti, ſtercus lupinum in ſubtiliſſimum puluerem redactum, ad vnius ſcrupuli pondus. Mirandum dictu! acerbiſſimos dolores cito hoc puluere euanuiſſe vidimus: qui in colicis omnibus doloribus, tam à frigida, quam calida cauſa ortis, ſummopere auxiliatur; non operatur enim qualitate manifeſta, ſed tantum occulta, vt pluries experti fuimus.

Vulnera capitis etiam leuia non contemnenda.

OBSERVATIO. XXX.

SCopulus ille vitandus eſt vbi alter offendit; pecora ipſa vitare norunt, quæ ſe læſiſſe cognoſcunt; itinera illa non repetunt vbi in foueam corruerunt; tenaces laqueos auis capta declinat; retia auis ſuſpecta non incidet, vt refert Iſidorus lib. 4. Epiſtol quoniam naturale inſtinctum id, quod fugiẽdum eſt, indicat, ne denuo in pericula animalia incidant. Sic Medico, & Chirurgo conueniens, eſt ne bis, aut ter corruat in errores, quoniam ignorantia

erit

erit maxima; quæ abſque vituperij nota non incedit. Quare cauendum eſt in prognoſticis;quoniam ſi non ſuccedunt, ridiculus fiet Medicus, & Chirurgus, vt quoſdã noui,qui ab adſtantibus interrogati, nũ ęger ſit in vitæ periculo conſtitutus, abſit, reſpondent, viuite felices; nullum adeſt dubium, & interim ægrotus Morti ſuccumbens, lucem relinquit. Maxima certe ignominia, cum infando dedecore, & quod peius eſt, aliquando miſeri, ſpe bona muniti, vocem inopinate fundunt extremam, ante quam animæ, aut rei propriæ conſulant.

Periculum enim maximopere in capitis vulneribus apparet, in quibus facillime, & leuiſſimo negotio mors ſubſequitur, propter facilitatem inflammationis pericranij, & perioſtij, ex quibus oritur inflammatio membranarum ipſius cerebri, quo facto crebro mors imminet. Quapropter recte conſulit Hippocrates lib. de vulneribus imperãs vulnera capito, etiam leuia, non eſſe contemnenda, experientia edoctus, mortem facillime huiuſmodi vulnera comitem habere, vt pluries experti ſumus & præcipue in quodam coquo, qui cum à puero vulnus leuiſſimum, & nullius fere momenti recepiſſet, ſeptima die conuulſus obijt. Reſerato capite, è directo vulneris paucam nigredinem penetrantẽ duram, & piam menyngem, vidimus, vſque ad corpus calloſum.

Pica

Pica in Virgine duodecim annorum artificioſe curata.

OBSERVATIO XXXVIII.

PLato ſeptimo de legibus ſcriptum reliquit, puerum omni beſtia intractabiliorem eſſe. Nam, cum prudentia careat, eſt inſidioſiſſimus, acerimus, & omnium beſtiarum petulantiſſimus, quare multis frenis cohibendus eſt. Si poſtmodum ſit puella, peius eſt, labitur enim facillime: ob hoc igitur vinum mulieribus Romanis, vt ait Cicero Reth. veterum lib. 1. ignotũ fuit, ne ſcilicet in aliquod dedecus prolaberentur: hinc Heſiodus fœminas ſic loquentes inducit.

Mulieres ſumus ad bona conſilia pauperrimæ.
Malorum autem omnium artifices ſapientiſſimæ

Et alibi ipſe eaſdem ſic dicentes proponit.

Omnium autem, quæ ſunt animata, & mentem habent,
Mulieres ſumus miſerrima planta.

Quapropter non eſt mirum ſi facile corrũt, quoniam mulier labilis, mollis eſt, & ad delinquendum procliuis, & ſi illis locum homines quoad præcedentiam cedere debent, id propter ſexus debilitatem, non autem propter dignitatem fieri aſſerit Petrus Andreas Cannhehorius ſuper Tacitum quæſt. Vtrum fœminæ viris præferri in regnando debeant. Multoties mecum ipſe cogitaui, cur Pica morbus in mu-

Digitized by Google

lieribus (non loquendo de prægnantibus modo, in quibus eſt frequentior) ſæpe,raro in hominibus appareat: Medici dicerent aliqui fortaſſe menſtruorum cauſa,cum non debitam habeant euacuationem. Hoc quidem non nego, ſed multoties à quadam intemperantia ortum habere ſuſpicor, quoniam Pica etiam viſa fuit in mulieribus, cum menſtrua optime fluebant: homo vero,ſicut plenus eſt rationis,& conſilij, abſtinet, & deprauatam appetentiam coercet. Turpi appetitu hoc impulſas mulieres vidimus, quæ terram, calcem carbonem, ſoleas &, ſimilia comedebant, ac ſi Nectare,& Ambroſia nutrirentur,quorum plurimæ poſt huiuſmodi comeſtionem periclitabantur, aliquæ tanquam cadauera ſqualida incedebant. Virginem puellam 12. annorum hoc morbo correptam curauimus. Retulerunt nobis ipſius conſanguinei clam deuorare ſolitam pelles argenteas, & aureas, quæ(corami) hic Romæ vulgo appellantur, ita vt decorticatę apparerent: hoc relato adſtantes monuimus, vt quidquid iubemus perficiant,ſed maxima cum cautela, ne puella noſtram artem inualidam, & nullam redderet: Diximus interim primo loco, vt puellam nullo modo corriperent, vulgatum enim eſt illud adagium.

Nitimur in vetitum ſemper, cupimuſque negata,
Sed fingerent,ac ſi nihil egiſſet, interea tamen, vel in prādio, vel in cœna aliquod ſictũ narraretur exēplũ, alicuius mulieris,quæ comedēs primo res aliquas ingratas,vtputa, carbones,calcē,pelles,ſuo palatui admodũ gratiſſimas,non multo poſt reliquiſſet omnia, nã neſcio quomodo ex abrupto amariſſimum,& fœtidiſſimum omne ſentiens nunquam amplius talem cibum comederat: eamq;eſſe iſtus morbi Naturam,
quod

quod res prius gratiſſimæ, inſuauiſſimæ euadāt Monuimus etiam, vt clam, ſi fieri poſſet, omnia obſeruarentur, & non multo poſt retulerunt puellam, antequam pelles comederet, guſtare prius; quod cum relatum fuiſſet iuſſimus, cum decocto Colocinthidis & parum Aſſæ fœtidæ pelles, omnes crepidas, chirothecas, & ſi quid aliud coriaceum adeſſet domi, imbui, dum ipſa puella per triduum Rus petijt. Reuerſa puella more ſolito ad comedendum pelles, nauſea ita correpta fuit, vt viſu etiam pelles omnes abhorreret: hoc autem non ſubito fecit, ſed quando pelles omnes eodem modo ingratas percepit, & ſaluti priſtinæ reſtituta eſt.

Criſis optima ſexta, & octaua die obſeruata propter lumen, & motum Lunæ, aut maiorem, aut minorem.

OBSERVATIO XXXIX.

HIppocrates in epiſtola ad Dioniſium ſic inquit. Vnuſquiſque iudicat id, quod in ſe non habet, alijs ſuperfluum eſſe: celeberrimum axioma; cum etenim dixiſſet aliquando non minimam partem conferre ad rem Medicam ipſam Aſtronomiam, ſed omnino plurimam, tamen multi noſtrorum temporum Medici, non ſolum in ipſa verſati non ſunt; ſed quod peius eſt, maledictis illam perſequuntur. Quare hoc? quia ſunt ignari: quare hoc? quia ſtudere recuſant: quare hoc quia tempus plerunque in ſo-

phiſmatibus, multiloquio, & nugis puerilibus te-runt. Saltem,ſi aſtronomia prediti non ſunt, ipſam non reprehendant, quę quotidie,præſertim Medicis, noua lumina in medendo ante oculos ponit; ſed de Iatromathematica, ideſt de coniunctione Medicinæ cum Mathematica,alibi differemus. Multi hoc modo reſpondent attendendum eſſe ad id, quod magis vrget; & propter hoc negligenda ſydera. At ſi vrget magis ſyderum influxus,quam morbus, qui multoties occultus incedit, quid agendum eſt? Quoties morbus Medicos fallit? quoties Medici ab adſtantibus interrogati, quomodo ſe habeat ægrotus, benè reſpondent, & ſequenti die in cymba carontis vehitur: quare hoc? quia ſine Anatome poſſunt mederi, quia ſimplicium cognitio ipſis nihil refert, quia aſtrorum ſcientia ijs eſt ſuperflua, & ſic cum ſe optimos practicos eſſe perſuadeant,plurimos interficiūt. Plurima Medico ſunt neceſſaria, & multis facultatibus ille ornatus de morbo victoriam referre poteſt; quod ſi ſit purus practicus, audio Petrum Caſtellum dicentem, quod ſit purus Aſinus. ſed ad rem noſtram; pluries criſim perfectam abſque vlla recidiua obſeruauimus tum ſexta die, tum octaua. Circa quod eſt notandum, quod Luna in duplici re augmentum, & decrementum patitur, primo circa lumen, ſecundo circa motum. De lumine nil eſt dicendum, quandoquidem omnes homines oculis ipſum modo maius modo minus intuentur. De motu reliquum eſt, vt aliqua explicentur, & primo declinatio illa, qua Luna modo tendit ad Aquilonem, modo ad auſtrum, modo latitudinem habet, modo non,nō eſt motus ille,de quo agimus,ſicut,nec ille, quo,raptu quodam, vt & cœteri planetæ, ab Orien-

Oriente in occidentem labitur; ſed obſeruandus eſt motus ille naturalis ab Aſtrologis appellatus, quo Luna ab occidente tendit ad orientem, qui ab ijs, qui Aſtronomia non ſunt præditi, etiam facillime cognoſcitur, dum quolibet veſpere, præſertim poſt nouilunium, eadem prorſus hora, Lunam non reuerti ad priorem locum obſeruatur, ſed quotidie magis, ac magis orientem petit, donec è diametro Solis, ipſa occidente Sole, oriatur, & denuo ad Solem eodem motu accedat, vſque dum alterum perficiat. Hic itaque eſt motus, de quo loquimur, qui ſemper in Luna non eſt idem, ſed variat, fluitque per lucidum expanſum modo tardiori, modo velociori curſu. Igitur ſi infirmitatis tempore Luna maiorem lumen acquirat, & celeriori itinere feratur, facile criſis ſexta eueniet, & erit optima abſque eo quod recidiuam faciat. E conuerſo vero ſi Luna in dies lumen amittat, & motu tardiori per Cœli ſpatiũ excurrat, criſis octaua die apparebit ſine periculo recidiuæ, vt pluries nos experimento comprobauimus; & ratio in promptu eſt, cum enim Luna imperium habeat ſuper elementa, & dies critici à Luna potiſſimum pendeant, nil mirum videri debet, ſi in augmento luminis, & motus, criſis velocior fiat, atq; in decremento eorũdem tardior eueniat. Quãdo vero non coniunguntur augmentum vel decrementũ motus, & luminis, & criſis appareat die ſexta vel octaua, ſemper ægrotantes recidiuam patiuntur: Exempli gratia, ſi Luna velociori curſu fluat, & lumen amittat, aut, ſi lumine creſcat, decreſcente motu naturali, aut etiam ſi creſcente, aut decreſcente lumine, medio motu feratur, nihil horum continget; ſed neceſſe eſt vt, ſi criſis perfici debeat ſexta

Digitized by Google

ta die, coniungatur ſimul augmentum motus, & luminis. Ita etiam ſi de octaua loquimur, coniungi debent tarditas motus, & luminis priuatio, aut decrementum. Hoc autem non ſemper contingit, pro-vt variant etiam temperamentum ætas, regio, tempus anni, & ſimilia. At id ſciendum eſt, quod hoc accidet, ſi Galenicorum more dies numerabimus, non autem Hippocratice iuxta cuius computum criſis perfecta incidit ſemper in ſeptimam diem.

Animi deliquio in febribus malignis remedium vtiliſsimum.

OBSERVATIO. XL.

MOrs vltima rerum linea, audacibus æque, ac timidis inijciciens manus, quæ ſpiritus tenues cogit in auras euaneſcere, quæ ita moleſta eſt vt refert D. Auguſt. 8. de ciuitate Dei, vt verbis explicari non poſſit, nec vlla ratione vitari; eam etenim omnes metuunt, eiuſque tres ſunt nuntij, ſecundum Hugonem de clauſtro animæ lib. 2. videlicet caſus, infirmitas, ſenectus. Caſus dubia, infirmitas grauia, ſenectus certa denuntiat. Caſus nuntiat mortem latentem, infirmitas apparentem, ſenectus præſentem. Ex hac incertitudine, mortis timor; ex grauitate dolor; ex certitudine ſenectutis non obſtinatio, ſed humilitas, & afflictio ſequi debet. Et tamen nobis tam terribilis eſſe non deberet, quoniã, vt retulit Seneca epiſt. 77. Nullus tam imperitus eſt, vt neſciat ſibi quandoque moriendum, tamen cum prope acceſſerit tergiuerſatur, fremit, plorat. Quid fles mi-

miſer? ait ille, quid trepidas? omnes hac neceſſitate ducuntur. Eo ibis quo omnia eunt. Ad hanc legem natus es, hoc patri tuo accidit, hoc matri, hoc maioribus, hoc omnibus ante te, hoc omnibus poſt te. Quantus te populus moriturorum ſequetur, quantus comitabitur, tu autem non putabas te ad id aliquando perventurum, ad quod ſemper ibas.

Lanificas nulli tres exorare puellas
Contigit: obſeruant, quem ſtatuere diem.
Diuitior Criſpo, Thraſea conſtantior ipſo,
Lautior & nitido ſis meliore licet
Nil dicit penſo Lacheſis, ſuſoque ſororum:
Explicat, & ſemper de tribus vna necat.

Nulli datum, vt ſcripſit Martialis lib. 1. epigr. 134. qui poſſit fatum protrahere, & à morte diſcedere, quæ dum vexillum ſuper corpus humanum, tanquã ſuper arcem triumphatrix poſuit, milites prȩcurſores habet, qui ſui aduentum indicent. Inter quos prȩcipue connumeratur animi deliquium, quod cum morte ſimilitudinem aliquam contrahit. Hoc autem prȩſertim in febribus ſemper aliquid maligni, & venenati ſecum gerit, cui, antequam radices figat, occurrendum eſt remedijs, quæ, vitale robur confortantia, putredini reſiſtant. Inter hæc optimum erit, vt à nobis pluries obſeruatum fuit, ſi ſummitates tenellæ frondium Mali Citri, forcipe inciſæ ſupra laminam ferream lento igne moueantur, donec excalefactæ fuerint, quo facto aqua roſacea perfectiori imbutæ, è directo cordis, nempe in medio inter mammas ſupra pectus collocantur, donec frigeſcant, & poſt iterum eodem modo adminiſtrantur. Mirabi-

le

le eſt remedium tam ante, quam in ipſo animi deliquio, vires, caloremque vitalem confortans, & reſtaurans, præcipue vbi aura venenata, & peſtilens cordi aduerſatur. Valet etiam ad ſtomachi debilitatem, ipſiuſque imbecillitatem mirifice reſtaurat, natiuum calorem iuuando.

Spiritus vitrioli in Renum, & Veſicæ arenulis, & calculis tuto exhibetur in principio, abſque vlla euacuatione præcedenti.

OBSERVATIO XLI.

EXperientia ex Menandro inexperientię imperat: quapropter, quod de ſpiritu Vitrioli in calculis renum, & veſicæ obſeruaui referam. Duplicis generis ſunt diuretica, altera aperitiua altera inciſiua. Aperitiua trahunt materiam ad renes, qui ſi ſint affecti, ſunt admodum ſuſpecta; trahimus enim materiam ad partem affectam. Sed inciſiua non deferunt materiam ad renes, ſed tantum ſubtiliant incidendo, & ita ſubtilis reddita materia, per renes egreditur: hinc oritur, vt ſemper feliciſſime vtor, quod ſi in principio ad comminuendos lapillos, vel incidendũ humorem craſſum. ſpiritum vitrioli exhibendum propono, cito felicem exitum video: ſpiritus vitrioli enim, quamuis ſit diureticus, tamẽ tantum incidit, ex qua ſubtiliatione, materiæ dum exeunt, vrina copioſa apparet aliquo modo, & re vera diureticum

eſt

eſt per accidens, non quod deferat aliquid ad renes, ſed quia materia, dum nullum habet impedimẽtum, facili negotio egreditur. Et fruſtra fit poſt tertiam, vel quartam diem id, quod poteſt fieri in prima; abſq; eo quod prorogetur dolor cum magno ægrotantis nocumento vſque ad tertiam, vel quartam; expectandum enim eſt, vt præcedant euacuationes vniuerſales, quæ in hoc caſu non ſunt neceſſariæ in principio, cum poſt commodiſſime, tranſacto dolore, fieri poſſint.

Frigidam quotidie paulo ante prandium bibens, alioquin calido, & ſicco temperamento, Hydropicus factus occubuit.

OBSERVATIO XLII.

P*Ræclarè aureus multa dixit Euripides;*
Vincit me neceſſitas, miſerque meus
Venter, miſerius enim nihil eſt
Ventre; in quem primum omnia conijcias;
At non in aliud vas, in Pera feras
Panes, & non iuſculentum, aut diſperdes:
In ſportam liba inijcies, at non lentem;
In lagenam villum, at non carabum;
In hunc Dijs inimicum inferas
Omnia, ſecum nulla ratione conſentientia

Ex Diphili fragmentis hoc accepimus, in quo præ-

clare voracitas, & ingluuies vituperio afficitur, quæ quinque modis nos tentat ex D. Gregorio in expoſ Iob. Primo, quando indigentiæ tempora præuenit. Secundo, quando tempora non præuenit, ſed cibos lautiores quærit. Tertio, quando, quæ ſumenda ſunt, procurari accuratius expedit. Quarto, quando qualitas ciborum, & tempus congruit, ſed ipſa quantitate ſumendi menſuram refectionis excedit, Quinto, quando nonnunquam abiectius eſt, quod deſideratur, & tamen in ipſo æſtu immenſi deſiderij deterius peccat. Quapropter in rebus omnibus temperantia vtiliſſima eſt; ſine qua mortales aliquando vt ait Cicero lib. 1. de fin. bon. & mal. propter voluptatem, & paruam, & non neceſſariam, & quæ vel aliter pararetur, & qua etiam carere poſſent ſine dolore, tum in morbos graues, tum in damna, tum in dedecora incurrunt.

In grauiſſimum morbum helluonem quemdam incidiſſe vidimus, qui, cum multum biberet ex natura ſua, & miſere ex vna parte intemperantia, ex altera vero auaritia torqueretur, inuentum prima facie pulchrum, ſed proceſſu temporis peſſimum inuenit, etenim paulo ante prandium ingentem aquæ copiam hauriebat in fine vero prandij modicum meri ad ſuauitatem bibebat, & ſic miſer credebat ingluuiei, & auaritiæ remedium ſumpſiſſe. Sed non multo poſt, quamuis optimo temperamento aliquãtulum ad calidum vergente præditus eſſet, tamẽ refrigerato ex huiuſmodi potu hepate, breui Hydropicus redditus, frigidiſſima, & lethæa mortis pocula deguſtauit.

Horæ

Horæ Romanis optimæ ad egrediendum, præſertim Aeſtatis tempore.

OBSERVATIO XLIII.

Herculem duri celebrant labores;
Ille Centauros domuit ſuperbos;
Abſtulit ſæuo ſpolium Leoni;
Fixit, & certis volucres ſagittis;
Poma cernenti rapuit draconi;
Aureo læua grauior metallo
Cerberum extraxit triplici catena;
Victor immitem poſuiſſe fertur
Pabulum ſæuis dominum quadrigis;
Hydra combuſto perijt veneno;
Fronte turbatus Achelous amnis
Ora demerſit pudibunda ripis;
Strauit Antæum libycis arenis;
Cacus Euandri ſatiauit iras;
Quoſque præſſurus foret altus orbis
Setiger ſpumis humeros notauit;
Vltimus Cœlum labor irreflexo
Suſtulit collo, prætiumque rurſus
Vltimi, Cœlum meruit, laboris.

Non de his laboribus, qui à Boetio metro7.lib.8.proponuntur intelligunt Medici, ſed de illo labore, qui exercitationis eſt comes, & ſanitatis conſeruator, vt ait Ariſtotiles lib.5.Metaphiſ dum ait exercitium eſt cauſa ſanitatis, & è conuerſo. Attamen cum moderatione debet fieri ex eodem Ariſtotele 2.ethico-

rum aſſerens exercitium temperatum conſeruare ſanitatē. cum itaque exercitationis gratia exeundum ſit de domo (quia ex Cornelij Celſi lib. 1. ignauia corpus hebetat, labor firmat, illa naturam ſeneſcentem, hic longam adoleſcentiam facit) requirendę ſunt horæ opportunę, præſertim tēpore Aeſtatis, ne ab Aere nocumentum recipiamus. Hæc igitur ſunt horæ quibus ſine vlla moleſtia egredi licebit.

Egredere Aeſtatis tempore vigeſimaprima hora Italica. Reuertere hora vigeſimatertia, & manendum eſt domi vſque ad horam primam noctis cum dimidia, cum feneſtris, ſiue vitriatis clauſis. Egredere ſi lubet hora prima noctis cum dimidia, vel ſecunda vſque ad mediam noctem, & eris, vt vulgo dicitur (Padrone della campagna) A media nocte poſtmodum vſque ad ortum Solis aer eſt peſſimus.

Oleum dulce Vitrioli, ipſiuſque virtutes admirabiles.

OBSERVATIO XLIV.

Seneca de ſe epiſtol. 53. ſic loquitur. Studio me dabo omnia alia negligenda ſunt, vt huic aſſideamus, cui nullum tempus ſatis magnum eſt, etiam ſi à pueritia vſque ad longiſſimos ætatis terminos vita producatur; reſiſtendum eſt occupationibus. Medicis pluſquam alijs fortaſſe optimum eſſet, vt ſecundum hanc ſententiam continuo ſeſe exercerent, etenim agitur de hominum vita, non de vita canis, aut equi, & tamen, dummodo lucrum

adſit nihili faciunt reliqua. Tota in multiloquio, nugiſque puerilibus conſumitur ætas. Si quis Sanitatem acquirit, bonum eſt; ſi vero non, tanto peius illi eſt. Turpe putant aliqui noſtri temporis Medici, ſi tanquam chirurgi manum operi admoueant; fortaſſe Hippocrate maiores erunt, qui chirurgus etiam fuit? Ignominioſum reputant in pharmacis ſeſe exercere; forſitan Galeno, aut alijs ſapientiores erunt? Stulti! Sed parum eſſet ſtultitia, ſi malitiam comitem non haberet. Moriuntur noſtris temporibus quamplurimi: quare? quia aliqui Medici non loquor in communi, ſicut ſunt parum amantes laboris, ita etiam multum verboſi, garruli, ventoſi, & loquaces, & quod peius eſt ſummopere obſtinati; quia dubitant ne veniant Romani, & tollant ipſis Imperium. Ex quo poſtmodum oritur, quod plerique, præcipue, ſi principes fuerint, aut magnates, ita probant Medicos, ſicut Dionyſius Iunior Sophiſtas: de quo Paulus Manutius in Apopht. ſic loquitur. Dionyſius iunior dicere ſolet ſe multo alere ſophiſtas: non quod illos admiraretur, ſed quod per illos admirabilis eſſe ſtuderet. Sciebat populum de illis tãquam de viris doctis magnifice ſentire, hac perſuaſione callida vtebatur ad conciliandum ſibi multitudinis fauorem. In deterius quotidie Medicina ruit; quare hoc? nempe ob ignominiam eorum, qui eam exercent, ſecundum axioma Hippocraticum; cum ſint Medici nomine multi, re vera autem pauci; & libenter labores in exilium eijciantur. Solum intereſt, ſi crumena repleta ſit, & parum refert, ſi medicamenta ſint recte preparata; quoniam hoc Pharmacopœi munus, non autem Medici eſſe cenſent.

Pharmacopæi ſunt Medicorum ſerui, & diligenter

ter Medicis obtemperare debent: ſed durum eſt obtemperare, ac ſimiliter damnoſum, in ijs, quę Medicus ignorat. Non ſufficit dicere, in libris habemus cognitionem, electionem, & præparationem Medicamentorũ, primo, quia tantum diſtant lectio librorum in hoc à viſione oculata, quantum Terra à Cœlo; Secundo, quia ſemper aliquid noui per exercitationem inueniret Medicus, ad propulſandos facillime morbos, quod prę otio negligit. Tantum imperat ſuper id quod neſcit.

Quamplurima remedia noſtris regionibus commoda & ſalutifera habemus, abſque eo quod Aromata ex mari rubro, aut India adſportẽtur, cum magna diuitiarum iactura. Potius induſtria, & ingenio eſſent quotidie examinanda, & interim externa omnia tãquam paupertati inimica omnino fugienda. Inter meliora remedia, quæ Natura nobis offert, vitriolum eſt noſtris temporibus ab vniuerſo Medicorum cœtu comprobatum, videlicet ſpiritus ipſius, & oleum dulcificatum, ſed ſpiritus frequentiſſime eſt in vſu; cum experientia cõpertum ſit quamplurimis ſuccurrere morbis; qui ſpiritus a diligentia, & ſtudio Medicorum Neotericorum repertus fuit. Quod ſi omnes Medici domi otioſi manerent, & Pharmacopœi tantum mandatis parerent, ſemper antiqua eſſent remedia aliquando deteriora, & de recentibus medicamentis ſępe tutioribus, & melioribus nulla adeſſet cognitio. Admiror in hoc ſummam Petri Caſtelli conſtantem doctrinam, & è conuerſo fucatam aliquorum ſui temporis Medicorum ex quorum numero aliqui ſunt ſuperſtites, qui operibus comprobare conati fuerunt, quod ſcriptis impugnauerant, dicendo ſpiritum vitrioli fugiendum eſſe tanquam

quam venenum, cum poſtea experimento tetigerint, non ſolum non eſſe venenum, ſed alexipharmacum mirabile in febribus peſtilentibus, & venenis. Remanet oleum dulcificatum, ſed apud me parum valet, cum empyreuma (aſſationem ſiue combuſtionem dicas) fortiſſime contraxerit, quamquam poſtea ad dulcedinem redigatur. Solum vitrioli oleum dulce rubicundiſſimum probari debet, qui calore conuenienti ſine empyreumate extractum ſit, debetque eſſe dulce ex natura propria, non arte dulcificatum. Oleum hoc, ipſiuſque conficiendi modum dono habuimus à Sereniſſimo Duce Guiſano ab ipſo ſummopere laudatum, cuius vires in imbecillitate ſtomachi, in calculo, & epilepſia mirabiles experti ſumus: duas etenim qualitates poſſidet, nempe gratam adſtringentiam, quo viſcera corroborat, & tutam inciſionem, qua humores craſſos attenuat; fit longiſſima digeſtione igne conuenienti

Ad fungos auxilium mirabile.

OBSERVATIO XLV.

O Miras hominum mentes, o pectora cæca
Qualibus in tenebris vita, quantiſque periclis
Degitur hoc Æui quodcunque eſt! nonne videatur
Nil aliud ſibi naturam latrare, niſi vtque
Corpore ſeiunctus dolor abſit, menſque fruatur
Iucundo ſenſu, cura remota, metuque?
Ergo corpoream ad Naturam pauca videmus
Eſſe opus omnino, quæ demant quemque dolorem,
Delicias quoque vt multas ſubſternere poſſint.

Sic

Sic Lucretius Epicuream Philoſophiam ante oculos ponens homines monuit, & præcipue eos, qui totam in gula ætatem ducunt. Lactantius firmianus lib. 6 diuin. Inſtitut. turpe dixit eſſe ſapienti, ſi ventri, & gulæ ſeruiat. Propter Crapulam, inquit Franciſcus Petrarca de remedijs vtriuſque fortunæ, multi perierunt; qui autem abſtinens eſt adijciet vitam. Ipſe demum profeſſor voluptatis Epicurus tenuem victum, quaſi vnicum auxilium ſuæ profeſſionis, & laudauit, & coluit. Cibus enim tenuis, ac modicus, ſiccos, validos, & aſpectu placidos, ac odore corporis nec ſibi, nec alijs moleſtos facit. Victus autem crapulæ madidos, ęſtuantes, tremulos, & olētes, & (vt Ciceronis vtar verbis) ſudantes, & ructantes facit: vt aſpectu videatur, quid interſit inter frugalitatem, & crapulam. Sed hoc nihil eſſet, niſi etiam ob gulam quamplurimi Vitam cum Morte commutarent, vt paulo poſt videbimus. Interim audiamus, ſi lubet, Antiphanem Smirnæum in catalogo Gulonum hęc dicentem.

Menelaus pugnauit annis decem
Cum troianis propter mulierem facie pulchram,
Ita Phœnicides cum Taurea propter anguillam.
Euthynus autem habens
Sandalium, & ſigillum, olenſque vnguenta
Rationabatur neſcio quam rem:
Phœnicides autem, & Taureas amiciſſimus,
Viri ſenes gulones ſunt huiuſmodi:
Qui deglutire in foro ſalſamenta
Intuentes emoriebantur ob eam rem,

Auiditas tanta homines impellit, vt cibo ancipiti ve-

veſcamur, dubitantes, vtrum Mors poſt cibum ſequatur: de fungis loquor, qui temporibus noſtris hic Romæ plurimos interfecerunt; cui veneno remedium optimũ propoſuimus toties, quoties op us fuit, ſemper cum victoria, videlicet oximellitem cum Theriaca; & in hoc notandum eſt, quod duplici modo fũgi noxij ſunt; videlicet, aut ob prauam qualitatem, quam habent à ſua natura, vel à vicinis, rebus (vt puta ferro, ſolea, ſerpentibus mortuis, & his ſimilibus) contractam; aut ob lentorem, & craſſitiem, ſeu viſcoſitatem quamdam, qua mediante maximopere lædunt. Igitur viſcoſitas inciſione, & praua qualitas indiget Alexipharmaco. Si adminiſtretur theriaca cum oximellite, tam ſimplici, quam ſcyllitico, indicationibus ſatisfacimus, vt pluries experimento comprobauimus. Nullus enim hoc remedio ſumpto interijt; ſed omnes placente Deo conualuerunt.

Diminutiò viſus à Venere, neque purgantibus curanda, neque exſiccantibus decoctis, ſed abſtinentia Venerea, cibiſque optimi ſucci, qui ſemen generant.

OBSERVATIO. XLVI.

O *Amor,*
O nullâ ſuperabilis
Pugna Cupido.

Qui magnificas irruis in opes,
Qui pernoctas mollibus in genis
Tenera Virginis.
Aequora cani per maris ambulas,
Et ſtabula alta ferarum agreſtium.
Nemo tela fugit tua.
Immortalia figunt numina
Humanumque genus.

Sic te deſcripſit Sophocles in Antigone, & ſic Apulæius de Aſino aureo lib. 3: de tua flamma locutus eſt. Flamma ſæui Amoris paruo quidem primo vapore delectat, ſed fomento conſuetudinis exæſtuans, immodicis ardoribus totus adurit homines. Aduris certe; humidum enim radicalem conſumis, & tunc maxime, quando in Venerem præcipites Amantes, libidinis œſtro perciti, nil niſi coitum appetunt. Scimus plantas emiſſo ſemine ſeneſcere. Scimus viuere parum eos, qui multum coeunt. Quoniam temperamentum per libidinem ad ſiccum vergit, non autem ad humidum, in quo vita conſiſtit. Ideo ſi Morbi ab intemperantia Venerea ortum habuerint, in qua plurima ſpirituum fit deperditio, non debent Medici exſiccantibus vti, ſed ea omnia adminiſtrare, quæ vires conſeruent, & ſpiritus recreando ſperma generent, vt ſunt teſtes, & cerebella animalium. Itaque non poſſum non accuſare eos Medicos, qui in viſus diminutione à Venereis congreſſibus orta, ad Medicamenta exſiccatoria, tanquam ad anchoram ſacram confugiunt, ignem igni copulantes, morbumq; in deterius trahentes; cum cibis boni ſucci, qui ſemen generent, & abſtinentia Venerea

facil-

facillime ſuperetur hic morbus, hoc modo veris indicationibus innixus. Quotquot autem, citra hanc methodum, curati fuerunt, vt diximus, per exſiccantia, omnes cæci penitus remanſerunt. Et in hoc aduertendum eſt, quamplurimos, ſiue ſint religioſi, ſiue alterius ordinis, homines, erubeſcere in confitendo carnis errata, ne bonæ famæ iacturam faciant; quapropter, cum Medicus ſummoperè prudens aliquam huius morbi coniecturam habuerit, abſtineat ſicut à peſte ab omnibus decoctis, & exſiccantibus, quoniam deſperata res erit, vt pluries obſeruauimus.

Remedium tutiſſimum hepati calido, ſtomachoque frigido conferens.

OBSERVATIO XLVII.

Lex hominum eſt hæc generi data,
Vt nemo ſine noxijs
Aetatis peragat ſua
Tempora luſtibus

Ex Sophocle in Antigone id habemus. Ex Philomone autem loquendo de Vita, quod breuis ſit, vilis, ac plena curis, monumentum poſteris relictum eſt hoc

Talis eſt ò mulier humana vita;
Paucioribus gaudijs fruimur, quam dolore, & moleſtia.
Nunquam ò domine vllo pacto fieri poterit,
Vt qui homo natus es, non ſis homo, fruſtra igitur clamas;

Viuentem multis affici malis neceſſarium eſt.
Non mare nauigantibus accidit
Solis tempeſtas, vt videtur: ſed etiam
In porticu deambulantibus ò Laches
Et illis, qui intra domos ſe continent.
Et nauigantes quidem, interdum diem vnum,
Aut noctem tempeſtate iactati, mox malo liberati
Salutem conſequuntur, vel vento
Ipſos ſeruante, vel apparente alicubi portu.
Mihi vero id non contingit; non enim per diem
Vnum tempeſtatibus agor, ſed per omnem vitam,
Et magis, magiſque ſemper moleſtia creſcunt.
O beatiſſimas omnes, & feliciſſimas
Belluas, quibus harum rerum nulla ratio habetur,
Nec quicquam earum in repræhenſionem cadit,
Nec huiuſmodi aliud quicquam eis eſt malum
Aliunde aſcitum; ſed, quam quaque naturam attulerit,
Eam ſtatim habet quoque vice legis.
Nos autem indignam vita vitam viuimus homines,
Inuentis legibus opinionibus ſeruimus.

Inter curas vero, difficultates, & miſerias vna maior eſt, quando continuo inquieto ſtatu, & morboſo afflicti ſunt homines. Etenim extera facile forti animo vincuntur; ſed in morbo patientia ſæpe deficit, & tunc præcipuè, quando morbus rebellis diuturnitate temporis, potius alte figit radices, quam remedijs ſuperari poſſit. Inter quos vnus eſt præcipuus curatus difficilis, etſi frequens ſit: Videlicet ſtomachi imbecillitas, cum caliditate hepatis coniuncta. In quo ſi refrigerantia admit-

mittuntur, ſicut hepati conferunt, ita ſtomachi imbecillitatem augent: e contra vero, ſi calidis vtamur, aliquod iuuamen ſtomacho affere poſſumus, dum interim hepar per maiorem calorem efferueſcit. Quare, ſi reperiri poſſet aliquod Pharmacum, quod vno, eodemque tempore ſtomachum foueret, iecurque refrigeraret, maximum eſſet inuentum.

Plinius à nobis pluries citatus lib.24. aſſerit loquendo de remedijs exoticis, quod remedia vera pauperrimus quiſque cœnat: veriſſimum profectò, nam quod plurimis remedijs, cum magna impenſa fieri non poteſt, vnum ſimplex abſque vlla auri, aut argenti iactura mirificè perficit. Cichorium ſilueſtre duas haſce facultates poſſidet in cibis adminiſtratum, nam amaritudine, qua pollet, ventriculum roborat, ſicut reliqua amara, & bilis feruorem compeſcendo, immenſos æſtus ipſius hepatis coercet. Hoc remedio plurimos ſanatos vidimus, quibus tota Pharmacopæa, non ſolum auxilium aliquod non attulerat; immo potius aliquando Natura, irritata diuerſitate aromatum, in deterius ruere coacta erat.

Se-

Sextus digitus, ſeu duo pollices in dextera Fabri Ferrarij obſeruatio.

OBSERVATIO XLVIII.

COelius Rhodiginus antiquarum lectionum lib. 17. cap. 12. de ſexto digito hæc loquitur. Sunt porro in manibus pedibuſq; paraphyſeis, ideſt agnationes, vbi ſuperfluus adnaſcitur digitus ratione materiæ exſuperantis. De qua re ſic Plinius. Membra animalibus agnata inutilia ſunt, ſicut ſemper ſextus in homine digitus. Quod ex illo forſitan Ariſtotelico videatur ſumptū lib. de generatione quarto: Quibus autē habere gemina contingit genitalia, alterū maris, alterum fœminæ, ijs ſemper alterum ratum, alterum irritum redditur. Ipſe vidi Bononiæ quendam de plebe inopem ſenis in manu vtraque digitis, imo in pedibus quoq; ſuperfluens digitus inter annularem, auricularemque inter, ſitus agnoſcebatur, magnitudine ad reliquorum reſponſum, mobilis præterea, & ad omnem vſum, vt aſſolet accommodus. De ſexto digito etiam tractant apud Schenhium Ioan. Poſthius. Iacobus Rueff. de concept. gen. hum. lib. 5. Petrus Crinicus lib. 3. de Poetis cap. 65. immo etiam de ſeptimo loquitur Franciſcus Valleriola lib. 4. obſeruat. 2. Nos hic Romæ ſextum digitum vidimus, nempe pollicem dexteræ manus in Fabro Ferrario, prope Pontem Aurelium degente, in quo, etſi aderat vnguis oſſa, & in reliquis optima conformatio, tamen omni prorſus motu carebat.

An-

Anguillæ Iecur Nyctalopes ſanans.

OBSERVATIO XLIX.

Regem non faciunt opes,
Non veſtis Tyriæ color,
Non frontis nota Regia,
Non auro nitidæ trabes.
Rex eſt, qui poſuit metus,
Et diri mala pectoris,
Quem non ambitio impotens,
Et nunquam ſtabilis fauor
Vulgi præcipitis mouet:
Qui tuto poſitus loco
Infra ſe videt omnia;

Seneca in Thieſte de veri Regis prærogatiuis hæc, quæ ſuperius diximus indicauit. Vltimo autem expreſſit, quod tuto loco poſitus, infra ſe videat omnia. Ex quibus colligere licet, viſum etiam ſummopere eſſe neceſſarium; Nam ſi cæcus fuerit Rex, vtique Regnum corruet, quoniam certitudo mediante viſu, non autem auditu apparet, cum ex Plauto in Truculento, valeat magis, & pluris ſit teſtis vnus oculatus, quam decem auriti, quoniam, vt ipſe rationem reddit, qui audiunt dicunt tantum audita, ſed qui vident, plane ſciunt. Cognationem, & ſimilitudinem quamdam habent Rex & Paterfamilias: Rex enim eſt Paterfamilias in Ciuitate, & Paterfamilias eſt Rex in Domo. Vnuſquiſque imperio, & prudentia regit. Si Rex

cęcus fuerit, difficulter regnabit, ita etiam ſi Paterfamilias eodem morbo correptus ſit, peſſime domum adminiſtrabit. Quendam Patremfamilias nyctalopem factum vidimus, qui poſt occaſum Solis quotidie cęcus redditus, in ludibrium apud domeſticos venerat, cum magna honoris, & domeſticæ rei iactura, qui fere ad deſperationem ductus, tandem conualuit, ſumendo aliquoties ante cibum hepar anguillæ ſuper carbones aſſatum. Hoc remedio poſtea nos ſimili malo laborantes feliciter ad ſanitatem perduximus.

Abuſus aquarum Thermalium in cibis.

OBSERVATIO L.

DVodecim ſunt abuſiones ſeculi, ex Cypriano de 12. abuſionibus ſcilicet.

Sapiens ſine operibus,
Senex ſine religione,
Adoleſcens ſine obedientia,
Diues ſine eleemoſina,
Fœmina ſine pudicitia,
Dominus ſine virtute,
Chriſtianus contentioſus,
Pauper ſuperbus,
Rex iniquus,
Epiſcopus negligens,
Plebs ſine diſciplina
Populus ſine Lege.

Qoan-

Quanquam hæc dicta ſint ad benè, & piè viuendum, dum abuſiones vituperio afficiuntur, tamen de hac vltima, videlicet de Populo ſine lege, aliqua dicenda eſſent, quæ expreſſe reprehendere poſſent Medicorũ Populum, qui ſine lege viuentes plurimos, aut morti tradunt, aut miſerè illorum vitam anguſtis premunt. Sine lege popularis turba Medicorum ſtudet. Nam credunt tranſacto biennio Medicos eſſe perfectos, quare hoc? quia audiunt ab alijs Medicis, etiam ſine lege, plurimas facultates (vt puta Botanicam Aſtrologiam, Anatomem, Pharmaceuticam, Chirurgiam) non eſſe neceſſarias. Sine lege Medicorum turba medetur, immemor iuſiurandi Hippocratici. Sine lege Medici, ex Rectoribus viliſſimi fiunt ſerui. Sine lege remedia adminiſtrant, quæ non cognoſcunt. Sine lege tandem, relictis infinitis erroribus, quos breuitatis cauſa taceo, confundunt cibos cum Medicamentis, ſicut ſunt acetum ſolutiuum, boli, aut pillulę purgantes poſt cœnam, & aquarum thermalium potus in prandio, vel cœna, ſicut ſunt aqua Sancta, & ſimiles, & in hoc ſummopere admiror quorundam leuitatem, qui hunc abuſum fouere deſiderant; neſciunt fortaſſe thermales omnes aquas minerales eſſe, quæ niſi expellantur magna inferunt damna. Quomodo autem expelli poſſunt, dum in cibis, adminiſtrantur? certe vnum ex his fieri debet, aut vis mineralis in aqua reſidens, viſcera offendet, aut concoctio turbabitur; eritque putrefactio, non concoctio. Neſciunt fortaſſe aquam debere eſſe nullius odoris, nullius coloris, & nullius ſaporis. Non ſufficit ipſas bibere ieiuno ventriculo, ſi etiam non adminiſtrentur in cibis? Quid ex hoc poſtmodum ſe-

quitur? certe nihil aliud, quam ſemper miſerè vitā ducere cum Medicis, & medicamentis; ſi prius fortaſſe non moriantur. Deficiunt aliæ res? deficiunt Pharmaca? deficit modus? abſque eo quod in cibis imperentur eæ res, quæ coctionem confundere poſſunt? Non equidem, quoniam innumera ſunt remedia, ſed hoc ex abuſu oritur, & ſicut ſuccedit in veſtimentis hic Romæ; & alibi, vbi plus poteſt abuſus, quam rectus vſus in veſtiendo, vt vulgo dicitur (alla Moda) ita etiam in Medicina contingit, quoniam eodem modo (alla Moda) medicamenta adminiſtrantur. Reperitur ſal Theriacale, omnes id accipiunt; venit ab Hiſpanis aliquod Aroma, ſtatim omnes probant; Aqua acetoſa ab aliquibus ſumitur, omnes indiſcriminatim eo pergunt; Aqua Nuceriæ probatur in refrigeratione hepatis; continuò optima celebratur ab omnibus, etiam in potu, Tabaccum, ex India adſportatur, breuiſſimo tempore nullus fere reperitur, qui in numerum Tabaccantium non ingrediatur; Aqua Vitæ optima in aliquibus morbis probatur, ab omnibus omni tempore ſumitur. Pudet dicere abuſus potentiam à Medicis quandoque, non omnibus tamen, auctoritate firmatam; qua errores populi in deterius ſemper ruere permittunt. Vidi meliorem, & tutiorem operationem ortam fuiſſe à propinato iure, quam ab aquis ſimilibus; à quibus non ſolum non oriri illa miracula, quæ decantata ſunt, vidi; immo è contra plurimos poſt huiuſmodi aquæ potus, in deterius lapſos.

IA-

IATROLOGISMORVM

SIVE

OBSERVATIONVM MEDICINALIVM

Pentecoſte I V.

DOMINICI PANAROLI ROMANI

PHILOSOPHI,

ET

MEDICI.

Digitized by Google

Digitized by Google

QVartam Iatrologiſmorum, ſeu Medicinalium obſeruationum Pentecoſtem lector benigniſſime tibi offero; in qua multa noua, rara, & miranda intueri licet, veriſſima tamen, à nobis diligenter obſeruata, exceptis paucis ab amicis fideliſſimè receptis, in quibus nomen ipſius qui obſeruauit poſuimus, reliqua vero noſtra ſunt, vel in anatome, vel in medendo diligenter animaduerſa. Scio equidem multa opera ampla, docta, grauia per Vrbem vagari; ſed mihi accidit quod Martialis de ſe aſſerit lib 1. epigrammatum, cum quo ego quoque ſic loquor:

Illa tamen laudant omnes, mirantur, adorant.
Confiteor: laudant illa, ſed iſta legunt.

Digitized by Google

Vetula ſæuiſsimis hyſtericis cruciatibus correpta per menſem, poſtmodum perfecte conualuit.

OBSERVATIO I.

MAximinam Vetulam Martialis lib. 2. epigr. 41. dentibus carentem lepidiſſimè hoc carmine erubeſcere cogebat.

Ride ſi ſapis ò puella ride,
Pelignus puto dixerat Poeta;
Sed non dixerat omnibus puellis,
Non dixit tibi: tu puella non es:
Nam tres ſunt tibi Maximina dentes,
Sed planè piceique, buxeique,
Quare ſi ſpeculo mihique credis
Debes non aliter timere riſum,
Quam ventum Spanius, manumque Priſcus.
Quam cretata timet Fabulla nimbum.
Ceruſſata timet Sabella Solem.
Vultus indue tu magis ſeueros,
Quam coniux Priami, nuruſque maior.
Mimos ridiculi Philiſtionis,
Et conuiuia nequiora vita,
Et quicquid lepida procacitate
Laxat perſpicuo labella riſu.
Te mœſtæ decet aſſidere matri,
Lugentiue virum, piumque fratrem,
Et tantum tragicis vacare Muſis.

At

At tu iudicium ſequuta noſtrum
Plora ſi ſapis ò (puella) plora.

Vidimus iſtius vetulæ noſtris temporibus veriſſimam imaginem in muliere quadam deformi, attamen erat iuuenis; nondum enim ſexageſimum annum attingebat, ſed parum deerat, quæ, cum ſic eſſet, ludere inter puellas, ridere, aliaque iuuenilia agere optimum putabat. Stulta, & non videbat ab adſtantibus ironicis verbis eſſe deluſam. Nam,vt ait Cyprianus loquendo de abuſion. Quid ſtolidius fieri poteſt, ſi mens ad perfectionem feſtinare non contendat, quando,totius corporis habitu ſenectute, confectus homo ad interitum properat, dum oculi caligant, aures grauiter, audiunt, capilli fluunt, facies in pallorem mutatur, dentes lapſi numero minuuntur, cutis areſcit, & flatus non ſuauiter olet, pectus, ſuffocatur, tuſſis cachinnat, genua trepidant, talos, & pedes tumor inflat. Hæc omnia fere in vetula, de qua loquimur,copulata aderant, & tamen iuuenis, & formoſa appellari cupiebat, neſcia ſententiæ illius veræ aureæ Io: Chryſoſt. ſuper epiſt. ad hebræos ſermon. 7. quod canities tunc eſt venerabilis, quando ea gerit, quæ caniciem decent,cum vero iuueniliter ſenex conſeruatur, plus iuuenilibus ridiculus erit.

Hæc itaque, cum quotidie per luſus, libidinis œſtro percita,in Amores, tanquam iuuencula eſſet prona, accidit tandem, vt peccati pœnas daret; Etenim atrociſſimis cruciatibus,afflicta, morti proxima fuit;quoniam tetano correpta ſæuiſſimos dolores patiebatur, adeo vt tortura adeſſet oris, &

ma-

manuum, totiuſque corporis mirabilis tenſio, vt vix deglutire, fæceſque excernere poſſet. Elapſo menſe, vtero reſerato, ſeminis profluuio per aliquot dies adiuta, in priſtinam ſanitatem adepta eſt, abſque eo quod vllum ſymptoma præteritum relinqueretur, vnaque cum ſanitate corporis mentem recuperauit. In poſterum enim ſe vetulam eſſe cognouit, & ſapientior (ſi de muliere hoc poteſt dici) facta eſt.

Propter Medici imprudentiam Veſicatorio perperam appoſito ſanguinis profluuio mortuus æger.

OBSERVATIO II.

CRudelem Medicum intemperantia facit; male ſecum agit æger, vt ait Seneca in prouerbijs, qui Medicum hæredem facit. Nos autem non de hac, ſed de alia loquimut intemperantia, qua mediante neſciunt abſtinere à medicamentis, ſed ſemper naturam affligunt, illique nullum tempus ad quietem relinquunt. Hoc optimè nouerunt ij, qui Medici non fuerunt, inter quos pręcipuè Iſidorus lib 4. Etymol. ſic loquitur. Nomen Medicinæ à modo, ac temperamento impoſitum exiſtimatur, vt non ſatis, ſed paulatim adhibeatur: nam in multo contriſtatur Natura, mediocritate autem gaudet. Vnde & qui pigmenta,

& antidota aſſidue biberint, vexantur: immoderatio enim omnis non ſalutem, ſed periculum affert. Quid reſpondetis ad hoc vos, qui quotidie ſemper receptas nouas, medicamentaque noua imperatis? Nonnè hoc genere medendi pluries moriuntur, quã ſanantur? Nonnè melius eſſet incuratos ægrotos relinquere, qui naturę auxilio ſanitatem acquirerent, quam crudeliter hoc modo interficere? Audiamus quid de hoc dicat Petrus Caſtellus aphoriſmi 20. quæſt. 103. de quiete ſeruanda in morbis: ait ille. Non ſemper & continuò debet Medicus moleſtare, & irritare Naturam, vel bene, vel male operantem, ſed ſæpe debet quieſcere, & negotium ipſi ſoli Naturæ committere. Vnde arguendi illi Medicaſtri, qui quotidie, & qualibet hora vexant Naturam, non permittentes, vt abſq; aliquo medicamento per horam quieſcat æger. Sæpè ergo Medicus quieſcere, & ſinere ægrotantem abſque vllo medicamento degere: & ſi verum fateri voluerimus, ægri ſânantur, non ope Medici, ſed Naturę vigore: vnde plures pauperes ægrotantes ſine Medico ſanantur, quam diuites cum Medico, ſic exclamabat ille, Medicorum copia me occidit. Nec Hyppocrates lib. de arte num. 5. negauit abſque Medico plures ſanari. Hæc, & plura in eadem quæſt. affert Caſtellus vbi doctiſſimè, de quiete ſeruanda in morbis loquitur.

Aegrotantem mori vidimus propter ignorantiam cuiuſdam Medici, qui cum mane Phlebotomiam imperaſſet, veſpere veſicantia brachijs applicari mandauit. Media nocte, dum iam veſicans opus ſuum aggrediebatur, propter dolorem, & humorum confluxum, impetuoſiſſimè reſerata vena, quæ

præcedenti die ſecta fuerat, atque orificio ſummopere dilatato, breuiſſimo tempore tanta ſecuta eſt hemorrhagia, vt bouem mactatum exiſtimares lector ſi vidiſſes. Pietate motus ſurrexi è lecto, & cucurri, intelligens ægrotantis miſeriam. Mirandum dictu! fontem ſanguinis emanantem vidi. Soluto veſicante per feneſtram eieci, & faſcia meis manibus vulneri opportunè adhibita, sãguinis profluuiũ cohibui: ſed nihil valuit, quandoquidem debilis redditus propter inſignem euacuationem non multo poſt obijt.

Nympha monſtroſa Torpedinem repræſentans.

OBSERVATIO III.

Meretrix quædã, vt in Phœnicidis comici fragmentis reperitur, de ſe ſic loquitur.

Per Venerem non poſſum amplius,
Pythias meretriciam agere vitam, valeat, ne mihi occinas,
Excidi, nihil ad me, deſiſtere volo.
Statim enim, vt ingreſſa ſum illum quæſtum, amatorem habui
Militem quemdam, hic vſque pugnas
Referebat, oſtendebat inter narrandum vulnera.
Sed nihil afferebat: munus neſcio quod
A Rege ſemper accepturum dicebat, atque eadem ſemper
Dictitabat, pro iſto, quod dico munere

Du-

Ductauit me toto,ſceleſtus,anno gratis.
Dimiſi hunc, & alium quemdam nanciſcor
Medicum: hic plurimos introducens,
Secabat, vrebat, pauper erat, & carnifex.
Grauior hic altero iſte mihi viſus eſt.
Ille enim narrationes exponebat iucundas, hic vero faciebat mortuas.
Tertio copulauit me fortuna Philoſopho
Barbam habenti, & pallium, & ſermonem:
In manifeſtum incidi malum.
Nihil enim dabat, & ſi quid peterem, reſpondebat
Non bonum eſſe argentum. Eſto malum
Propter id da mihi, abijce; non parebat.

Sic omnes ſimili mercede præditę deberēt eſſe,quoniam facillime neglecto meretricio quæſtu, ad alias artes ſeſe conuerterent, nec tanta debaccharetur vndique libido, aut ſaltem notas & defectus in corpore turpes haberent, qui hominem, vel igne libidinis ardentem, coercerent, flammamque impudici concubitus refrigerarent. Sic meretriculam ægrotantem in Noſocomio S.S.vidimus, quæ Nympham vnam tantę magnitudinis habebat,vt piſcem Torpedinem, qui vulgo (Occhiatella) nuncupatur repreſęntaret; Amantes hoc aſpectu in fugam verſi,in paupertatem labi ipſam reliquerunt. Vtinam omnibus hoc factum eueniret.

Clitoridis mira productio in meretrice Picena.

OBSERVATIO VI.

QVod nunquam maribus iunctam te Baſſa videbam:
Quodque tibi mœchum fabula nulla dabat.
Omne ſed officium circa te ſemper obibat
Turba tui ſexus non adeunte viro:
Eſſe videbaris (fateor) Lucretia nobis:
At tu, pro facinus, Baſſa ſututor eras.
Inter ſe geminos audes committere cunnos,
Mentiturque virum prodigioſa Venus.
Commenta es dignum Thebano ænigmate monſtrum:
Hic vbi vir non eſt, vt ſit adulterium.

Martialis lib. primo epigramm. 58.de Baſſa Tribade hæc narrat, quæ, Virum mentiendo, cœteras mulieres fricaret, ſicut Sappho Poetria eodem modo inſultando puellas, ab Horatio maſcula fuit appellata, quam ſic Ouidius in Epiſtola Phaoni ſcribentem inducit ſuper hac re, nempe de amoribus ſui ſexus.

Nec me Pyrrhiades Methymniadeſque puellæ,
Nec me Lesbiadum cœtera turba iuuant.
Vilis Amythone, vilis mihi candida Cydno:
Non oculis grata eſt Atthis, vt ante, meis,
Atque alia centum, quas non ſine crimine amaui:
Improbe, multarum quod fuit, vnus habes

Porro

Porro iſtas mulieres, quæ Tribades ſunt, quæque puellarum ſequuntur amores, & amplexus, credimus nos fere omnes clitoridem productum habere, qui aliquo modo mentulam virilem repræſentans, ad illicitum apriſſimus eſt concubitum. Nos meretricem Picenam aliarum mulierum Tribadem, ſicut ore proprio fatebatur, proprijs oculis vidimus, cui clitoridem ita productum, & tenſum vidimus, vt pueri duodecim annorum mentulam æmularetur, cui tentigo illa continua fricatione ad talem magnitudinem excreuerat.

Abuſus circa dierum criticorum enumerationem.

OBSERVATIO V.

QVid tam temerarium (vt ait Cicero lib. 1. de Nat. Deorum) tamquam indignum ſapientis grauitate, atque conſtantia, quam, aut falſum ſentire, aut quod non ſatis exploratè perceptum ſit, & cognitum ſine vlla dubitatione defendere. Equidem hæc ſententia manifeſtiſſimè apparet in re Medica, & præſertim apud aliquos, qui obſtinatæ ſuæ opinioni adhęrentes nil curant de vita, aut morte ægrotantis, dummodo ſuam opinionē tueantur. Pluries obſeruaui propter abuſum enumerandi dies criticos magnos commiſſos errores, dum Medici aliquando ſumebant decimam quintam diem pro decimaquarta, ſæpe etiam decimamtertiam: ex quo errore grauiſſima inſurgunt damna, nam ſi in computatione criticorim dierum com-

committatur erratum,ſalus ægrotantiũ ſummopere periclitatur. Hippocraticè ſupputandum cenſeo, quoniam Hippocrates loquendo de die non intelligit de artificali, ſed tantum de naturali, videlicet arcu diurno, atque hoc modo criſes ſeptima,vel decima quarta perfectè contingunt. Si Galenicorum more ſupputaueris,criſes aliquando accident in ſexta, aliquando in octaua, vt ſupra dictum eſt: ſed quonia egregiè Petrus Caſtellus de modo enumerandi dies criticos ſcripſit in libello proprio, & in commento Aphoriſmorum libri primi,eo te remitto. Id tantum moneo, quamplurimos Medicos errare, ſi Galenicorum more ſupputauerint, ægroſque ſępius occidere: hoc anno in quodam Medico celeberrimo obſeruaui, qui decimaquarta die mane cucurbitulas ſcapulis applicari iuſſit ſcarificatas, credens eſſe decimamtertiam diem; & hoc modo criſim per vrinam imminentem cohibuit,ægerque vigeſimaprima die propter Medici erratum obijt, dum decimaquarta die criſim iam apparentem cópeſcuit, ex quo mors ſubſecuta.

Vas

Vas Vitreum innocuè comedens

OBSERVATIO VI.

Apes ex Macrobio lib. primo Saturnalium quodammodo debemus imitari, quæ vagantur, & flores carpunt, deinde quæ quid attulerunt diſponunt, ac per fauos diuidunt,& ſuccum varium in vnum ſaporem, mixtura quadam, & proprietate ſpiritus ſui, mutant. Nos quoque quicquid diuerſa lectione quæſiuimus, committamus ſtylo, vt in ordinem eodem dirigente coaleſcat. Nam, & in animo meliùs diſtincta ſeruantur, & ipſa diſtinctio, non ſine quodam fermento, quo panditur vniuerſitas, in vnius ſaporis vſum varia libamenta confundit, vt etiam, ſi quid, vnde ſumptum ſit,aliud tamen eſſe,quam vnde ſumptum noſcatur,appareat. Nos autem auctoritates, vnde ſumpſimus, cum reuerentia ſuo loco diſponimus, ne videamur aliorum gloriæ officere velle, ſed vnicuique ſuum tribuere honorem, qui virtutis præmium eſt.

Legeram apud Zacutum Luſitanum, in praxi Medica admiranda lib. ſecundo obſeruat. 16. quod Adamantem venenum eſſe contendunt plurimi, at experientia contrarium oſtendit, nam plurimi citra noxam ipſum furtim deuorant, & deinde eum excrementis excernunt. Solum ergo nocet, ſi ferra in fruſta diſſectus, vel impolitus deuoretur, tunc enim vitri inſtar aſperitate ſua inteſtina pungit, ferit,vulnerat,& exulcerat. Eamdem rem in Sennert. Paralim.ad lib.3.pract.Med.cap.6.notaui Ex quo facilli-

cillimè concluditur, vitrum intro aſſumptum venenum eſſe; quoniam aſperitate ſua pungit, vulnerat inteſtina, & vlcera lethalia inducat. Sed quid dicendum eſt, ſi quis innocuè vitrum in plurimas fractum partes deuoret? Certè nihil aliud quam Naturam in rebus ludere humanis; nam, quod alicui necem infert, alteri nihil nocet. Obſeruauimus nos proprijs oculis quẽdam Germanum, qui poſt potum, vitreum craterem, dente in ſubtiliſſimas partes reductum, deuorabat ſine vlla noxa. Vnuſquiſque ſuam afferat opinionem ſi lubet. Mihi autem nihil certi affirmare placet.

Signa bina ex ſanguine vt plurimum lethalia.

OBSERVATIO VII.

Poſidippus de ſtatua occaſionis è Græco in Latinum à Thom. Moro verſa hæc protulit.

Vnde erat hic plaſtes? Sicyonius: at quis erat? dic
Lyſippus: tu quis? tempus ego omne domans.
Cur ſummis inſtas digitis? ſemper rotor: alas
Cur pedibus geſtas? vt leuis aura feror:
At dextram cur armat acuta nouacula? ſignum eſt
Quod conferri acies non potis vlla mihi eſt.
Cur coma fronte iacet? quod qui me prendere captat,
Præueniat: caluum eſt cur tibi retro caput?
Quod poſtquam leuibus præceps effugere pennis,
Nil

Nil aget à tergo qui reuocare volet.
Vnde igitur poſſes documentum ſumere talem.
Artificis poſuit me tibi docta manus.

Cum occaſio præceps ſit, vt monuit Hippocrates libro primo,ſeu ſectione prima aphoriſmorum,primo aphoriſmo, eaque breuiſſimè effugiat, oportet Medicum omnia non ſolum videre, & cognoſcere, ſed præuidere, & præcognoſcere; vt vndique optime ſtirpatus, dum occaſio ſeſe offert, de morbo victoriam referat, dummodo tamen ægrotus à morbo victus non ſit, quoniam in hoc caſu luce Meridiana clarius exiſtit Medicinam ipſos ſanare non poſſe. Sunt autem vt plurimum ſigna aliqua, quæ id indicant; nos autem de duobus tantum ſignis hic mentionem facimus, quæ vt plurimum imminentem ægroti perniciem, in febribus continuis ſignificant. Primum eſt ſi dum ſecta rectè fuerit vena, ſanguis non egreditur fontis modo, ſed tanquam fex ex dolio: id quoties vidi,toties ægri mortem timui. Secundum ſi dum ano hirudines applicari debent, ipſę, aut cum hauriunt ſanguinem, attrahere relinquant, aut attracto ſanguine cito pereant; nam ſi hoc contingit, magis de morte, quam de infirmi vita iudicandum erit: Si vero hæc duo ſigna copulata fuerint, deſperata res eſt, plurimam enim ſanguinis corruptionem indicant.

Anno 1649. infiniti ægroti propter quorundam Medicorum crudelitatem ſiti exuſti, & enecati.

OBSERVATIO. VIII.

Viſquis Medium deſugit iter
Stabili nunquam tramite currat.
Dum petit vnum præbere diem,
Patrioſque puer concitat axes,
Nec procul ſolitum percurrit iter,
Sed Phœbeis ignota ſecat
Sydera flammis errante rota,
Secum pariter perdidit orbem.
Medium Cæli cum peragrat iter
Tenuit Latias Dœdalus oras,
Nullique dedit nomina ponto.
Sed dum volucres vincere veras
Icarus audet, patriaſque puer
Deſpicit alas, Phœboque volat
Proximus, ipſe dedit ignoto
Nomina Ponto.

Ex hoc Senecæ monumento in Hercule Octæo illud conſideratione dignum elicitur, mediocritatem in rebus omnibus optimam eſſe, in ipſa etenim ſicut in medio conſiſtit virtus, cum extrema omnia ſint vitio propinquiſſima Verum, ſi mediocritas vlla in rebus ſublunaribus eſt vtilis, in Medici

dicina eſt neceſſaria; ne abuſus aut in exceſſu, aut in defectu, vt plurimum oriantur. Frigidæ potus ſicut in febribus ardentibus, æſtate media, in iuuenibus optimà temperie præditis, furentibus, optimus communi Medicorum conſilio approbatur, ita etiam in febribus, vbi humores ſunt mixti tanquam inutilis, & inſalubris exiſtimatur: quare diligenter aduertat Medicus ne ipſum, adminiſtrando, aut auferendo, ægrotum morti exponat. Sunt quidam, qui eamdem fere legem in omnibus febricitantibus ſeruant, nimirum; vt caueant maximopere à frigidæ potu, quam ob cauſam anno 1649. infinitus propemodum ægrorum numerus è viuis ſublatus, eſt, cum tamen febres eſſent continuæ cum mixtione diuerſorum humorum; & præcipue bilis non tamen ſolæ, qui, cum ſiti maxima torquerentur, exuſti obibant. Sectis cadaueribus ventriculus, cor, pulmones, & reliquà viſcera tanquam exuſta apparebant, quapropter refrigerando, & humectando ſequenti modo miſeros ægrotantes, conſilio Excellentiſſimi viri Gabrielis Fonſecæ INNOCENTII X. D.N. Medici. & Cubicularij intimi, ſanitati reſtituimus, cum vbique cadauera per vrbem deferrentur, cum ingenti luctu, & calamitate. Inter alios prope meam domum in via clauariorum vndecim in eadem domo ægrotantes intra menſis ſpatium curaui, qui omnes Diuino fauente Numine conualuerunt; fuerunt autem iſti Pater vnus cum filijs, alijſque conſanguineis, qui artem exercent Fabri Ferrarij, quique circulos conficiunt ad tuendam prægnantiam vulgari vocabulo (guarda infanti) appellatos. Sequenti autem modo omnes è mortis laqueo erepti ſunt. Primo ptiſanam

 hor-

hordeaceam, non quinque, aut ſex vnciarum, ſed duodecim, & quindecim imperabam: ſecundò immediatè ante prandium, vel cœnam octo, aut decem vncias aquæ hordeaceæ adminiſtrabam; quo facto in omnibus, aut vrina copioſa, aut alui fluore oborto, ſurdi, & fatui paulatim abſque febre remanſerunt, & diligenti poſtmodum cura adhibita, fatuitate, & ſurditate fugata, integræ fuerunt reſtituti ſanitati, non neglectis interim alijs, quæ ad morbum debellandum neceſſaria erant: ſed in hoc ſalus tantum conſiſtebat. Aquæ iſtæ hordeaceæ impoſuimus, aut frondes, aut cortices citri inciſos, cum ſucco limonum; qua mediante nullus ex his, qui hoc modo curatus fuit, perijt: ſed omnes morbo profligato vero Apollini ideſt Deo gratias retulerunt.

Catapotia in oculorum morbis ex medicamentis acribus potius obeſſe, quam prodeſſe.

OBSERVATIO IX.

Extat Agathiæ Græci ludricum epigramma à Vincentio Obſopœo è Græco in latinum verſũ.

Alcymenes, miſera, correptus febre iacebat,
Murmura concluſo gutture rauca ſonans.
Ictibus, & duris lateris percuſſus, vt enſe,
Spirabat grauiter totus anhelus agens.
Hunc Callignotus Cous nugator adiuit,
Quo non Pœoniæ plenior artis erat.

No-

Nouerat exactè morbis quæcunque futura
Dicere, poſthabitis ille ſuperuacuis
Accubitum Alcymenis ſpectans, faciemque iactis.
Explorat pulſum, vimque ſciente manu.
Ac demum Alcymeni memorat præcognita vultu
Auſtero, & nimium mente placente ſibi.
Si raucedo gulam dimiſerit, & latera ictus,
Deſieritque febris igneus ille calor.
Pleuritide haud vnquam morieris: ſigna futura
Namque tua Alcymenis, cerno ſalutis ego:
Eſto animo intrepido, ſcriba diſpone vocato
Res properè, & vitam deſere ſollicitam.
Et bona me Medicum propter reſponſa bonorum
Hæredem quarta parte relinque tuum.

Credo equidem, quod ſi Agathias præcognoſcere potuiſſet noſtrorum temporum calamitates, nunquam meliori carmine redarguere poſſet aliquorũ petulantem ignorantiam; ſicuti Medico cuidam ſucceſſiit temporibus noſtris,qui cum ægrotnm pectoris morbo afflictum curaret, ſibi aliquid relinqui curauit, & vt Agathias loquitur ita illi miſero ſucceſſit; non multo poſt etenim obijt,Medico prę-mium ſuæ occiſionis relinquens. Verum ad rem noſtram nos non Callignoto ſimiles eſſe debemus, ſed in morbis omnibus,ea quæ vtilia;aut quæ damnoſa ſunt præuidere,proſpicere debemus. Nos hic Romę pluries obſeruauimus in oculorum morbis ſuſpecta eſſe medicamenta,quæ acredinem,& mordacitatem quamdam habent,acria enim, & mordacia ſurſum petunt,feriuntque oculos mirificè,quod ſi proueniat morbus à frigidis humoribus, aut vaporibus, ſurſum aſcendendo alios vapores, humoreſque

reſque ſecum defert ad partem affectam: Si vero humores fuerint calidi, & ignei, ignem igni addimus; etenim natura exuſta non ſuffert eam quę à medicamentis purgantibus prouenit, acrimoniam iuxta illud Galeni in commento aphoriſmi, ſub cane & ante canem &c. Experimento obſeruaui catapotia ex ſcammonio, & ſimilibus ſuſpecta eſſe.

Plumbago, qua ratione dentium doloribus aliquando conferat.

OBSEVATIO X.

QVoduis vitæ iter inſiſtas. Si rura voluptas,
Tecta quies habitet, fama, decuſque forum.
Rem mare ſuppeditat, comitatur gloria ditem,
Si peregrè it: nemo conſcius eſt inopi:
Felix vita toris genialibus adſtat: es expers.
Coniugis, & curæ pondere liber eris.
Delitiæ patrum ſoboles: minus angeris orbus:
Robuſta eſt Aetas prima, ſecunda pia.
Commoda cum vitæ tot ſint, vota vtraque damna
Non naſci, aut hauſta luce, repente mori:

Metrodorus è directo contra Poſidippum, vel, vt alij ſentiunt, contra Cratetem Cynicum, in latinum verſus à Georg. Buchanano monumentum hoc reliquit, in quo luce meridiana clarius apparet, in hac vita ſi anguſtiæ homines præmant, tamen quamplurima reperiri commoda; atque ita non re-

ctum putat, aut voluiſſe non naſci, aut poſt ortum voluiſſe mori.

Verum hoc intelligendũ de aliquibus fortunæ bonis, non autem de ſalute, aut morbo, in quo mortales aliquando miſerrimè excruciantur, ob ſæuitiã accidentium, quæ ſicut vmbra corpus, ita ſequuntur morbum. Vidimus enim aliquando doloribus oppreſſos ſummopere mortem appetere, iucundius cogitantes ceruicem fato tandem ſubijcere, quam miſerrimè torqueri, & per crebras viciſſitudines ſine morte mori.

Si quis dolor immanis, ſæuus, pertinax, & rebellis mortales obruit, vnus is eſt dentium, qui tam crudeliter homines torquet, vt quaſi canes præ dolore in rabiem agi videantur. Ad quem fugandum quamplurima auxilia reperiuntur; ſed præſertim noſtris temporibus radix quædam vſurpatur, quæ in carpo, aut in vola manus, contuſa poſita per noctem integram, matutino tempore maculam plumbeam relinquens, dum aufertur, dolorem euaneſcere cogit: atque ideo ab effectu Plumbago appellatur, quæ annis elapſis tanquam ſecretum mirabile per Magnates habebatur, credentes fortaſſe radicem peregrinam ex Arabia, aut India, aut ex rubro allatam fuiſſe, cum tamen hic Romæ ingens extet ipſius copia; nam quotidie pedibus ipſam calcamus. Et in hoc duo animaduertenda, an hæc radix facultatem quamdam peculiarem, occultam, aut ſympathicam habeat, an vero manifeſta ſit ipſius vis, deinde in quo dentium dolore apta ſit.

Circa primum manifeſta eſt ipſius operatio, dum materiam fluentem ad dentium radices reuellit vi cauſtica, qua pollet, vt faciunt etiam ſecundum ſenten-

ten-

tentiã Sennerta Med. Pract.lib.2.part.1.cap.11.flammula, vel ranunculus flammeus impoſitus manui, quæ eſt è regione, & latere doloris; atque ob hanc cauſam, etiam veſicatoria brachijs, ceruici, vel poſt aurem imponuntur.

In quo vero dolore conferre poſſit, animaduertendum eſt, in eo tantum auxiliari, in quo materia aliqua fluit ad dentes, ſed quando dens eſt corroſus, dolorque à vermiculis excitatur, in hoc caſu nihil valet, ſed confugiendum ad alia remedia, quæ vermes interficiant, & corroſionem vlterius procedere prohibeant. Inter quæ primum obtinet ignis locum, quod ſi nec igne ſuperari poſſit, dens tandem euelli debet, non tamen in intentione doloris, ſed quando iam dolor remiſerit, alioquin in deterius laberetur ægrotans.

Lien in medio tam arctè ſtrictus, vt intuenti duos Lienes repræſentaret.

OBSERVATIO XI.

IVxta Senecę ſententiam epiſt.53.ſtudio me dabo, omnia alia negligenda ſunt, vt huic aſſideamus, cui nullum tempus ſatis magnum eſt, etiamſi à pueritia, vſque ad longiſſimos ætatis terminos vita producatur, reſiſtendum eſt occupationibus, & toto conatu totis viribus incumbendum, vt ſtudendo quotidie, & obſeruando ſemper aliquid noui, & rari eluceſcat. Duos Lienes obſeruauit antiquitus Ariſtoteles lib.4.cap.4.de gen.animalium, vt nos ſupra

pra retulimus in obſeruatione ſecunda primę Pentecoſt, attamen hoc eſt mirũ, quod retulit mihi Io. Preſſius, inter Romanos Medicinę proceres diligentia, & prudentia inſignis, nempe ſe in anatomica ſectione lienem quaſi vinculo quodam ita cinctum vidiſſe, vt geminum Lienen repræſentaret. Vinculum vidimus nos in ileo leui inteſtino, de quo inuoluulorum obſeruatione tractauimus. In ſtomacho audiui repertum fuiſſe in fratre Aduocati Cittadinij præcipiti fato è viuis ſublato.

Vnde vero hi circuli oriantur, an à mala compoſitione in ipſo ortu, an vero à morbo Medicis contẽplandum relinquo. Tamen in Liene, ex primo ortu eueniſſe exiſtimarem, non ſic in ſtomacho, & inteſtinis, vbi villi circulares ob ingentem caliditatem, & ſiccitatem contracti cingulum effingunt. Exemplum habemus in Lyrę neruis, qui prope ignem poſiti ſtatim contrahuntur.

Vermes loco menſtruorum apparentes.

OBSEBVATIO XII.

PHryges, ac Pontici, vt refert Cælius antiquarum lectionum, vermes albidos, obeſoſq; capite nigricante, qui è carioſis, præmuntur materiis inter delicias habent, ac Xilophagia comidiſſe luxuria eſt.

Certe ſi noſtris temporibus iſti populi hoc modo veſcerentur, vt antea, fœmina de qua obſeruationem ſtatuimus, maximis honoribus apud eos ornata exiſteret. Quolibet enim menſe abſque vllo la-

bore cibum tam ſuauem reperire liceret: quoniam, cum menſes inſtant, non ſanguis, ſed quamplurimi vermes per vuluam expelluntur. Putredinis equidem inſignis vis, quæ in muliere viuente vermes procreat.

Sanguis fontis modò per mammas ſcaturiens menſtruorum loco.

OBSERVATIO XIII.

MIramur cum Hugone de operatione trium dierum, quare Crocodilus manducans, inferiorem molam non mouet & quomodo Salamandra in igne illæſa permanet. Quis dedit Ericio ſpinas, & docuit eum, vt ſe pomis turbine diſcuſſis inuoluat, quibus onuſtus incedens ſtridet, quaſi plauſtrum? Et formica, hyemis ſuperuenturæ præſcia, granis horrea ſua replet. Aranea quoque de viſceribus ſuis laqueos nectit, vt prædam capiat. Iſti ſunt teſtes Sapientiæ Dei. Addere huic poſſumus incompræhenſibilem Naturæ prouidentiam in ſeruando indiuiduo, quę infinitam ſummi opificis ſapientiam indicat; quapropter cum à poſteriori aliqua ipſius opera cognoſcere liceat, non tamen à priori ipſius Naturam, vel eſſentiam intueri poſſumus; quoniam, vt refert Lactantius Firmianus lib. de ira Dei. Deus tantus eſt, vt ab homine non poſſit, aut verbis enarrari, aut ſenſibus æſtimari: vnus enim eſt Princeps & origo rerum Deus, ſicut Plato in Timęo, & ſenſit, & docuit, cuius maieſtatem tantam eſſe declarat, vt nec mente comprehendi, nec lingua expri-

mi poſſit. Tantum, vt diximus ipſius opera, tanquam per gradus, mente, ad Creatorem aſcendere datum eſt, qui ſicut omnia fecit, ita omnia miriſice gubernat,

Quod Mundus ſtabili fide
Concordes variat vices.
Quod pugnantia ſemina
Fœdus perpetuum tenent.
Quod Phœbus roſeum diem
Curru prouehit aureo,
Vt, quas duxerit Heſperus
Phœbe noctibus imperet,
Vt fluctus auidum mare
Certo fine coerceat,
Ne terris liceat vagis
Latos tendere terminos:
Hanc rerum ſeriem ligat
Terras, ac Pelagus recens,
Et Cœlo imperitans Amor.

Ille, ille eſt ex Boetio lib. 2. met. 8. qui ſolus gubernat, cui omnia ancillantur: quare Optimus quoad pietatem, & bonitatem, Maximus propter potentiam, & Maieſtatem appellatur. Bonitas autem ipſius tanta eſt, vt nec minima ipſius pars enarrari poſſit. Quid dicendum in noſtri corporis conſeruatione, relinquendo cætera Theologis; quas vires in hac natura exercet? quos conatus efficit? Certe nihil aliud quam obſtupeſcere, Deumque adorare cum ſilentio licet.

Vidimus Naturã in anguſtijs poſitã vias incognitas inuenire; audiuimus monſtroſa, & ferè incredibilia;

legimus obſeruationes, quę miraculo proximæ exiſtunt. Omnia hæc tamen ab immenſa ipſius bonitate proueniunt.

Menſes ex pluribus auctoribus, quorum pleroſq; indicat Sennertus lib. 4. practicæ. ſection. 2. partis ſecundæ cap 11. nempè apparuiſſe per nares, hæmorrhoydes, os, aluum, vrinam, oculos, aures, dentes, vmbilicum, per manuum digitos, atque per mammarum papillas, vt ſanguis quolibet menſe creſcens (ne quantitate obruere calorem naturalem poſſit) exitum habeat.

Ex papillis mammarum retulit mihi D. Franciſcus Maſtinus, ita fortiter menſes erupiſſe in quadam muliere, vt aliquando ſanguinis fontem repræſentaret, cui poſtmodum erumpentibus menſtruis per inferiora, loca ipſis conuenientia, ſanguis in mammarum pupillis nullo modo apparuit.

Pleuritidi remedium optimum, inter ſecreta Magnatum celebratum.

OBSERVATIO XIV.

Tametſi quis ſit beatus, vt videtur, expectandum
Eſt ſemper quippiam, & fortunæ minime fidendum.
Vita, res, eſt teſſerarum aleæ ſimilis.
Non eadem ſemper cadunt: neque vitæ.
Eadem permanet figura, ſed mutationes habent.

Sic cum Alexide in Comœdijs dicere poſſent, qui ge-

genio indulgentes,cum ſuauitate maxima in repentinos, importunos, atroceſq; morbos incidunt; fit enim in hoc caſu miſera hominis conditio, lachrymoſa rerum humanarum cataſtrophe, infeliciſſima mortalium vita. Sed quid importunius, aut quid Pleuritide periculoſius? in qua ægrotantes, nec reſpirare, nec ſomnum capere poſſunt, imo ſemper quaſi enſe acutiſſimo tranſuerberati, ac ſi in pectore gladium haberent,vociferantur, torquentur in medio mortis diſcrimine, iam iam lethoproximi. Ex hac tamẽ miſeria ereptos audiuimus,adminiſtrato cum iure, aut aliquo conuenienti liquore, columbino ſtercore, in puluerem redacto drachmę dimidię pondere: Hoc tamen apud aliquos Magnates inter ſecreta principalia celebratur.

Vrinæ fallaces, quando prauitas circa ſpiritus vitales vagatur.

OBSERVATIO XV.

IGnorantia ex Platon. in Alcib. eſt malorũ cauſa & quando eſt circa maxima, tunc eſt deterrima. At quod maius in corpore humano poteſt eſſe excepta ſanitate? Pyrrhus Epirotarum Rex,vt alias dixi, immolaturus, Templa inuiſens, non regni ampliorem potentiam, non de hoſtibus triumphos, non diuitias, non glorias, non denique quidquid aliud Fortuna elargitur; ſed medica ope acquiſitam ſanitatem tantum ſupplex poſcebat. Hinc ſanitas communi omnium conſenſu inter felicitatis ſpecies con-

connumeratur. Attamen audias Lector,quod diuinus ſenex in lib. de lege,hæc quaſi ex Apollinis Tripode pronunciauit. Quiſquis Medicinæ ſcientiam ſibi verè comparare volet, eum his ducibus voti ſui compotem fieri oportet Natura, Doctrina, Moribus generoſis, Loco ſtudijs apto, Inſtitutione à puero, Induſtria, & tempore, nempe, vt his ducibus ignorantiæ tenebras omnino Medicus in fugam vertere conetur. Quapropter ad indagandam veritatem,vt inquit Septalius animaduerſ 10.lib.primi Ne ſe Medici alicuius ſectæ tanquam mancipium addicant, nec iurent in alicuius Auctoris ſententiam, ſed nudam tantum ſectentur veritatem, illique ſoli ſubſcribant. Dixi hoc,etenim Medicorum aliqui ita ſunt obſtinati in vrinis examinandis in vnoquoque morbo, vt prognoſticum, niſi inſpecta vrina, conficiant. Hos tamen errare, & grauiter, ſæpe animaduerti,cum vrina non ſemper Morbi ſtatum indicet. Hac de cauſa huiuſmodi Medici ſæpius irriſi expelluntur. Hos Vropotas, ac ſi diceres Vrinæ potatores, per vituperium. Gul. Adolphus Scribonius in opuſculo de Vrinæ inſpectione appellat, hæc proferens. Quouſque tandem Medici Vropotæ,qui ex vrinis omnium morborum cognitionem petitis,abutemini ſilentio noſtro? Quã diu omnem populum ignorantia illa veſtra eludet? Quem ad finem ſe iactabit, & quid quæret animus veſter audaciſsimus? Nihil ne vos commune periculum Imperij? Nihil rerum publicarum ordinationes, quæ omnem fallaciam prohibent? Nihil ne calamitates, nihil damnum Populi? Nihil peritiorum, qui fucum veſtrum vident Autoritas? Nihil eorum, quos decepiſtis, grauioribuſq; morbis afflixiſtis

xiſtis

xiſtis, ora, vultuſque mouebunt? Patere veſtram inertiam non putatis? Manifeſtam iam omnium bonorum animis veſtram temeritatem non videtis? Quo fructu huc vſque vrinas inſpicitis, quem ignorare arbitramini? O tempora ò mores! Magiſtratus intelligit: Principes vident: hi tamen in ſua malignitate pergunt? pergunt: immo verò etiam ſuam inſcitiam defendunt; ab alijs nihilominus vocantur, & conſuluntur, & interim tamen fallunt vnumquemque ægrotum. Hæc, & plurima contra Vrinæ inſpectores proponit ille. Verum etiam ſi continuas in vnoquoque morbo vrinæ inſpectiones vituperamus. Tamen & in plurimis morbis ſūmopere eſt neceſſaria, & præſertim illis, qui in partibus naturalibus ſedem fixerunt. Sed quando morbus eſt in ſpiritibus, & præcipuè vitalibus, tunc vrina fallax eſt, & vana illius inſpectio, quandoquidem in iſtis morbis, vt plurimum, dum ſpiritus in Arce cordis, à putredine, ſeu aliqua vi venenata, & deleteria ſuperantur, partes naturales ſuo funguntur munere. Hinc aliquando vrinæ optimę videntur; ęger autem breui moritur. Multas vrinas anno 1649. in febribus ſæuiſſimis optimas vidimus, quæ, Medicos decipientes, ſanitatem pollicebantur, & interim, dum Medicus procraſtinabat ſpe imminentes ſalutis, Morbus poſtea, abſque vllo remedio patefactus, ægros enecabat.

Fœtidiſſimum Corpus in Voluulo.

OBSERVATIO XVI.

ISta decens facies longis vitiabitur annis,
Rugaque in antiqua fonte ſenlis erit,
Iniјcieſque manus forma damnoſa ſenectus,
Quæ ſtrepitum paſſu non faciente venit.

Ita triſtia canens lib.3.de triſtib. Ouidius propoſuit. Sed hoc commune omnibus: infirmæ ſenectuti colla ſubijcere omnibus datum eſt. Hac lege natura iuuenes creat, vt ſeneſcant. Sed in ipſo iuuentutis flore miſerimè perire, hoc miſeriarum eſt compendium. Iuuenem ſatis formoſum ex voluulo mortuum obſeruaui ſecando, qui tam fœtidus erat, & tantam graueolentiam,non ſolum in vomitu, in ructu,reſpiratione, ſed toto corpore habebat, vt teterribus odor fere ſuffocaret adſtantes. Similem graueolentiam nunquam obſeruaui. Huiuſmodi voluulus aliquando à Galeno fuit obſeruatus,vt refert Sennertus Medic. Pract.lib.3.p.2. ſect.2.lib.1.& etiam Maſſaria lib. 3. cap. 19. Practic. Medic. his verbis. Voluulus graueolens pernicioſus cenſendus eſt: fieri autem poteſt, vt graueolens intelligatur vt dicit Galen.3. comm.1. progn. textu 66. primum quidem, in quo ſtercus euomatur ſignum plane lethale: deinde ſi graueolens fuerit reſpiratio, tertio ſi ructus graueolens: quarto ſi flatus fuerit talis: & quinto ſi graueolens fuerit corpus, nempe inquit Galenus huiuſmodi voluu-

lus

lus aliquando à nobis viſus eſt. Hæc omnia in dicto ægrotante tantum fœtorem emittebant, vt cadaueris putrefacti graueolentiam ſuperarent.

Mutus duodecim annorum à Natiuitate, non autem Surdus.

OBSERVATIO XVII.

Scilicet eſt cupidus ſtudiorum quiſq; ſuorum,
Tempus, & aſſueta ponere in arte iuuat,
Saucius euitat pugnam gladiator, & idem
Immemor antiqui vulneris arma capit.
Nil ſibi cum Pelagi dicit fore naufragus vndis,
Et ducit ad remos, qua modo nauit aqua.

Ita ex Ouidio lib. 4 de Ponto habemus. Etenim vnumquemq; ſtudia ſua delectant, & ipſorũ captus Amore ſtudens laborum omnium obliuiſcitur, Quæ tamen longo ſunt tempore obſeruata, ea fideliter Memoria conſeruat. In Medicina quotidie nouæ obſeruationes Medicum peritiorem efficiũnt. Non enim leges eternæ, & conſtantes ſemper ſunt, quandoquidem variante natura, loco, tempore, conſtitutione, mutantur leges, variant theoremata. Axioma omnium fere Medicorum eſt, Mutos etiam Surdos eſſe, quoniam Neruus auditorius in Palatum, & Laryngem delabitur, conſenſum aurium cum dentibus Larynge, & pulmonibus communicans. Tamen Mutum à natiuitate duodecimum agentem annum vidi, qui ſurdus non erat, ſed interroga-

rogatus à tergo,faciem voluebat. Id triplici cauſa euenire poſſe credimus; Primo, ex læſione ſolum neruorum vocalium, vt puta recurrentium. Secundo ex conformatione neruorum diuerſa. Poteſt etenim à Natura fieri, vt Neruus auditorius in aurem ſolam, & non alibi ingrediatur, & ſic poteſt eſſe Mutus tantum,& non Surdus,nempe læſis neruis, qui in fauces labuntur, auditorio illæſo neruo. Secundo à fatuitate quadam, qua mediante nihil didicit, & ſic non loquitur, cum audiat, & iratam Matrem ex voce cognoſcat. Hoc autem poſtremum crediderim, etenim aliquando fatuus in actionibus apparet, & vt plurimum, fæces tanquam animal ſine vllo pudore excernit. Nomen non ponimus, vt fit à nobis fere in omnibus obſeruationibus, quandoquidem pauci gaudent miſerias ſuas, aut conſanguineorum typis committi.

Pinguibus, & Obeſis Remedium optimum, & infallibile.

OBSERVATIO. XVIII.

HOratius, quamuis non eſſet Medicus, tamen Abſtinentiam Satyr. 2. lib. 2. ſummopere hoc carmine laudat.

Accipe nunc victus tenuis, quæ quantaque ſecum
Afferat, in primis valeas bene; nam variæ res
Vt noceant homini credas, memor illius eſcæ,
Quæ ſimplex olim tibi ſederit: at ſimul aſſis

Mi-

Miſcueris elixa, ſimul conchilia Turdis.
Dulcia ſe in bilem vertent, ſtomacboque tum ultum
Lenta feret pituita.

Abſtinentia autem à ſuperfluo cibo, & præſertim potu, aliam ſecum vtilitatem affert, nempe hi, qui hoc modo veſcuntur, pingues, & obeſi non fiunt, & qui fuerint tales ſubtracto victu agiles redduntur. Hoc pluries expertus ſum in huiuſmodi hominibus, qui cautè in bibendo priſtinæ agilitati reſtituti fuerunt. Nulla enim res minuit maiori celeritate, & ſecuritate pinguedinem, quantum ſubtractio humidi. Carnes etenim, ſi id non habeant, humiditatem trahunt à pinguedine, & ſic macer homo redditur. Pinguedo namque inter plurima officia id habet, vt in priuatione victus venas alat per conueniens tempus, atque hinc oritur; quod in fame ingenti corpora macreſcant, & exſiccentur. Comprobat hoc Excellentiſſimus D. Thomas Bartholinus in ſua Anatom. reformata lib. 1. cap. 3. his verbis. In inedia (loquendo de pinguedine) vertitur in alimentum, nam dulci, ſeu nobis, Naturæque familiari, & pingui nutrimur, ſi Galeno, & aliorum authoritatibus credimus.

Digitized by Google

Dens inciſor ſuperior in Nobiliſſima Muliere poſt vigeſimum annum regeneratus.

OBSERVATIO XIX.

Sola pulchritudo ex Platone in Phœdro hanc habuit ſortem, vt maximè omnium, & perſpicua ſit, & amabilis,

Quapropter fœminæ hoc ſcientes nulli labori parcunt, nil intentatum relinquunt, dummodo ſpecioſæ, & pulchræ appareant, quamuis ſæpe cum dedecore, & irriſione, præſertim vetulæ, laruatæ incedant, ſi Lucillij epigramma à Paulo Stephano Latinè translatum audiamus.

Inficis ò dilecta comas, ſed nulla ſenectam
Tinxerit ars, rugas expuleritque tuas.
Ceruſſa vultum noli perfundere multa,
Ne Laruam intuear tunc ego non faciem.
Quid redit hinc lucri: fucus, ceruſſaque nunquam
Formoſam ex Hecuba reddiderint Helenam.

Si poſtmodum dentes decidant hoc opus hic labor.

Si niger, aut ingens, aut non erit ordine natus
Dens tibi, ridendo maxima damna feres.

Ait Ouidius lib 3. de arte amandi; quando dentes deficiunt eodem erit ordine agendum. Attamen facile captura proceſſu temporis cognoſcitur; hinc eſt, quod mulieres cum dentibus animum quoque & pulchritudinem amittant, dummodo obrepat tacitè,

Digitized by Google

citè, vt ait ille, non intellecta ſenectus; ſed in iuuenibus dentis alicuius priuatio minus eſt malum. Nos tamen in nobiliſſima muliere, quæ ſummopere torquebatur in hac iactura, quoniam per ſcalę gradus in anteriorem partem inopinato cadens, in colliſione, dente vno inciſore ex ſuperiori maxilla fracto, in terram cecidit; ipſa tamen, quamuis vigeſimum ſuperaſſet annum, tamen non longum poſt tempus exultauit, obſeruans à Natura reproductum fuiſſe dentem, ſine quo triſtis, & melancholica diù vixerat.

Hydropicorum ſectio, in quibus pituita craſſa albumen oui coctum repræſentans Lienem, & Iecur circum circa obuelabat.

OBSERVATIO XX.

Ex Homero libro ſeptimo Iliad.

Non potuit Parcam quiſquam vitare virorum,
Fortis, vel timidus, cum viſit luminis auras.

Poteſt tamen diuerſas propter lethi ſpecies, aut placida morte quieſcere, aut miſerè ſubire funus acerbum. Hydropici inter miſeros connumerantur, quoniam perpetua, & intolerabili ſiti torquentur, & quaſi ſuffocati vocem fundunt extremam.

In ſectione aliquorum ex hydrope mortuorum, aperto abdomine, & maxima aquæ quantitate egreſſa vi-

ſa, vidimus primò intuitũ hepar, & lienem candidiſſimum in ſuperficie, quoniam pituita alba incraſſata, albumen oui coctum repreſentans, vndequaque hæc duo viſcera cingebat, intacto pancreate, renibus, inteſtinis, & alijs omnibus partibus in imo ventre contentis.

Ex fonticulo in Tibia corrupto Mors ſubſequitur.

OBSERVATIO XXI.

Dicunt homines cum Alexide in ſententijs, quod Magnum certamen nuptiæ homini adferunt &c.

Voluptates enim
Non ipſe ſolæ ingrediuntur, ſed earum comites ſunt
Dolores, & labores.

Sed cum eodem Alexide poſſent reſpondere ibidem mulieres, nuptias ipſis infortunium magnum afferre, & præter cætera, ſi naſcuntur liberi.

Curis iam omnia plena, & eijcitur iuuenilis
Vigor ex animo, & non iam idem, qui fuit, vultus eſt.

Nec vultus idem, nec vigor, ſi fœcunditas adſit, in mulieribus diu perſiſtit; quoniam dum fœtus in Matris vtero meliore, & puriore ſubſtentatur ſanguine, hinc oritur, quod fœminæ cito ſeneſcant, & quandoque multis ſubiectæ morbis reddantur;

vt

Digitized by Google

vt ſunt Cachexia, Enterocele, Hydrops, Aphonia, Atrophia, & ſimiles.

Mulier quædam vxor artificis, qui calculos precarios effingunt, ob inſignem fœcunditatem (gaudebat etenim numeroſa filiorum, & filiarum ſobole, quibus vndique ſtipata incedebat) miſerrimam vitam degens, ex fonticulo in tibia corrupto, in Atrophiam tranſiens, è viuis ſublata eſt; cum enim humores praui in toto corpore redundantes, maximo impetu ad fonticulum quotidie ruerent, ex prauitate, & copia corruptio orta fuit, ex qua Mors.

Ad ſtrumas remedium rarum, & facile.

OBSERVATIO XXII.

EX Menandro in ſententijs hoc legitur.
Bona valetudo, & mens, bona ſunt vitæ duo:

Quamuis alias homo ſit feliciſſimus, tamen, ſi aliquo morbo torquetur, infelix poteſt appellari. Strumæ tanquam Hydra ſeptemplex, & fœcunda Medicā opem ſæpius contemnit, cū maximo ægrotantis mœrore; aſpectum etenim ſtrumæ intuētium ſummopere lædunt. Nos pluries vidimus præmiſſis vniuerſalibus, breui tempore, & faciliter curatas, non alio medicamento, quam Aloe, ſi nempe ipſius folia (præſertim æſtate; tunc enim abundant copioſo humore) ſub cineribus calidis aliquātiſper poſita, per longum, & per medium diſſecta ſuper ſtrumas quotidie apponantur. Mundant etenim

nim, & abſtergunt vlcus, humorum putredini ſummopere reſiſtunt, & vulneraria facultate prædita, citiſſimè vlcus ad ſanationem perducunt.

Furunculus ferus, & prauus circa lumborum vertebras breui hominem interficiens.

OBSERVATIO XXIII.

SI fures fortunæ bona clam nobis arripiunt, ita alios experimur fures ſalutem deprædantes. Ipſi nocturni, peruigiles, taciti, rapaces, opibus noſtris inſidiantes, fracta domo, vel arca captant aliena; hi maleſidi, occulti, non intellecti, vagantes, ex abrupto, non opes, ſed, diuitijs meliorem, ſanitatem ſurripiunt.

Apoſtemata aliqua parua in corporis ſuperficie oriuntur, nempe in cute vernaculo ſermone hic Romæ (Cicolini) appellati: Medici vero hoſce furunculos, quaſi paruos fures, nuncupant: Hi vero ſæpe ſunt ſalubres, & in iuuenibus temperamento ſanguineis, vt plurimum, oriuntur: attamen aliquando virulentiam, & prauitatem maximam contrahunt, vt vidimus in Monacho S. Franciſcæ Romanæ, qui ex furunculo immani, & maligno circa lumborum vertebras orto breui putrida, lethalique febre interijt. Duo aderant, prauitas furunculi, & loci nobilitas. Prauitas putredinem fouebat; & loci dignitas erat conſiderabilis, non quod ex ſui natura ſit talis, ſed quoniam tria nobiliſſima ad vitam, ex tali apoſtemate in parte poſtica è directo

rectò ſpinæ lumborum, coinquinabantur; medulla ſpinalis ſcilicet, vena caua deſcendens, & arteria magna. Et ſic prauitatem contractam vnaquæque pars ſuperiori communicabat, medulla ſpinalis ſiquidem cerebro, vena caua iecori, & arteria magna cordi; quis autem erit ille, qui tribus infectis principalibus membris viuere poſſit? certe nullus. Ideo à furunculo ſanitate ſimul, & vita ſpoliatus, breui, nempe intra decimamquartam diē lucem reliquit.

Hepar Monſtroſæ magnitudinis.

OBSERVATIO XXIV.

DEmocrates his Stratonis carminibus ad bibendum eſt monitus, vt nempe viuens quam maximè vinum bibat, mortuum vero corpus à Deucalione tumidis mergatur aquis; nè tumulo vinum ferentes amici ſuperſtites, defuncto corpori irrita præbeant munera, quandoquidem miſcendo vinum cum cineribus fit lutum. Hæc ſunt carmina.

Sis lætus bibe Democrates: nam corpora nobis
Pocula non ſemper, deliciaſque dabunt.
Cingamuſque caput ſertis, vngamus, & ante
Corpora, quam tumulo condat amara dies.
Nunc mea, dum viuo, plus vini viſcera ſumant.
Mortua Deucalion vendicet oſſa ſibi.

Sic aiebat quidam helluo, qui quotidie inter potationes, & commeſſationes vitam degebat. Hydropicus perijt. Mirandum dictu! hepar in tantam mo-

lem excreuerat, vt vniuerſam fere diaphragmatis cauitatem repleret tam in dextera, quam in ſiniſtra parte, totus durus, & in magnitudine monſtroſus.

Durities arenularum albarum, & rubrarum in vitro corrodendo experta.

OBSERVATIO XXV.

ANdreas Laurentius hiſtor. Anatomicæ lib. 1. cap. 2. hæc profert, dum corpus humanum ſublunari ſimilem facit regioni;nempe inteſtinorum rugitus,borboygmi, obmurmuratus, ſtrepentes crepitus, & ructus mille tonitruum ſpecies exhibent. Ingruentem flatuum vim, ventorumque tempeſtates turbidas, cruditatum exhalationes, aurium ſibili, & tinnitus prænuntiant. In faucium ſpatia,laryngem, thoracem decumbens fluentis inſtat humor, pluuias, atque imbres inſinuat: coacta, rotundaque ſputa grandinis gerunt ſimilitudinem;lachrymæ rori aſſimilantur: concuſſiui, conuulſiui. tremuli, & palpitantes motus, terræ motus deſignant. Reperiuntur in corporibus noſtris fodinæ, è quibus metalla, & lapides eruuntur, non ad ædificandam, ſed diruendam domum. Renum itaque & veſicæ calculi foſſilium, ac mineralium ſpeciem præſeferunt. Hæc microcoſmi eſt meteorologia, in quo plurima cum macrocoſmo conueniunt. Arenulas renum,tam albas, quam rubras præcipuè in calculoſis quamplurimi obſeruarunt.

runt, & obſeruant. Duritiem autem ipſarum, quod ſciam, nullus obſeruauit, quę in aliquibus eſt tam valida, vt Vitrum, & Cryſtallum corrodat: expertus enim ſum in ijs, qui ſpecilla conficiunt, ipſiſq; figuram, quam cupiunt imprimunt, beneficio arenularum minutiſſimarum quarumdam: quibus mediantibus vitrum, aut ferrum corrodunt; experientia etenim vidi ſpecillum ex magna arenularum humanarum duritie efformatum.

Quomodo autem poſſint fieri, ſeu poſſint iſtæ arenulæ lapidoſæ reperiri in noſtro corpore, dupliciter poſſumus affirmare. Primo nullo modo gigni in corpore humano, ſed ingredi, in cibis &c. Secũdo re vera intus oriri creſcere, & perfici. Ad primum eſt impoſſibile hoc affirmare; non poſſent etenim iſtæ arenulæ tranſire, & penetrare per venulas ſubtiliſſimas. Patet ergo ſecundo modo fieri dum materia aliqua aquoſa igne mediante induratur, & hæc eſt vera fiſsatio Mercurij, ſcilicet humoris alicuius ab igne: videmus etenim ex ſemine, in quo latet vis ignea, produci oſſa, & lapides dentes proceſſu temporis. Vis ignea congelat humorem in lapides, humores in metalla, & pari paſſu in homine humores in arenulas lapidoſas, & lapidos ipſos.

Colon Monſtroſè à flatibus dilatatus.

OBSERVATIO XXVI.

FErnelius Pathologiæ lib. 6. cap. 10. aſſerit animaduertiſſe in diſſectione, Colon inteſtinum dilatatum ita, & taliter, vt brachij amplitudinem

Digitized by Google

adęquaret Nos etiam pluries vidimus, ſed aliquando hanc magnitudinem in iuuene febre putrida mortuo obſeruauimus ſuperaſſe, in quo vincula, ſeu faſciæ ipſius inteſtini relaxatæ ad immenſam molem Colon creſcere reliquerunt.

Vermes per aures in immenſo dolore egreſſi.

OBSERVATIO XXVII.

LEgeram apud Eccleſiaſt.c.10 quod cum morietur homo hereditabit ſerpentes, & beſtias, & vermes. Hoc tamen accidit in morte non autem dum viuit, ſed quid dicendum de illis, in quibus, dum aura fruuntur vitali,vermibus in diuerſis corporis partibus abundant;equidem reſpondere poſſumus. cum Homero.

Non quidem certe eſt aliquid miſerius homine
Omnium quæ ſpirant, & per terram ſerpunt.

Iuuenis quidam cum intenſiſſimo aurium dolore torqueretur, &, fruſtra applicatis quamplurimis rebus, æger in deterius rueret admoto, videlicet intus inſtillato,humano lacte ad ſedandum dolorẽ, ſtatim ipſius mitigatio incepit, & cum in aurem affectam decumberet, obſeruauit æger motum aliquem in aure, adſtantes propere conclamati accurrunt,vident vermem apparuiſſe figura, & ſimilitudine vermium, qui in Caſeo corrupto reperiuntur, quo egreſſo, & alij egredierunt, & ſedato dolore breui conualuit.

Solo

Digitized by Google

Solo medicamentorum purgantium odore quidam pluries purgatum.

OBSERVATIO XXVIII.

AD confirmationem opinionis Quercetani doctiſſimi viri, qui in ſua Pharmacopœa ex mẽte Galeni aſſerit ex medicamento purgante, dum eſt in ſtomacho, eleuari partem ſubtiliſſimam, quaſi ſpiritualem, quæ per corporis partes permeans ſuo fungitur officio, ad hoc, vt ritè, & rectè purgatio ſuccedat. Ad confirmationem itaque ipſius poſſemus dicere non omnem partem medicamenti efficere ſuum opus, ſed tantum partem puriorem, & ſubtiliorem; quoniam videmus in aliquibus, & bis in memetipſo expertus ſum, nempe ſolo odore medicamentorum purgantium aluum exonerari. Ego experientiam habui dupliciter in manna, cum in iure me præſente diſſoluta fuit. Quare non exiſtimarem omnino eſſe vituperandos Chymicos (de doctis intelligo, non de circulatoribus, ſeu alijs abiectæ conditionis hominibus) qui Medicamenta puriora, tutiora, & ſalubriora præparant, reijcientes fœces, parte puriori, & nobiliori per artis excellentiam præparata. Verum tamen eſt, quod in omnibus rebus debet eſſe modus, nec chymica medicamenta niſi à perito, & probato artifice adminiſtrari debent. Nec Medicina, chymica reſpuit Medicamenta, vt aquas diſtillatas, theriacalam aquam, ſpiritus vitrioli, & ſimilia, ſed tantum abuſum vituperat, videntes, aut mulierculas, aut circulatores,

aut

aut deceptores alios cum magna ſanitatis iactura talia exhibere Pharmaca. Sed vt ad rem redeam. In odore ſolum adeſſe vim purgatiuam comprobant ex Schenchio in obſeruationibus Alexander Benedic. in lib.de Peſte, Bar Maranta Meth. cogn. ſimpl lib.3. Eraſtus cap.60. lib de occult.Pharmac.& Io.Poſthius in obſeruationibus proprijs.

Vermis niger, ſquamoſus, cornutus, cauda bifida, viuus per excreatum expulſus, & quomodo interfectus.

OBSERVATIO XXIX.

Marſilius Ficinus in Platon. conſtanter affirmat, quod nemo vnquam aliquam artem, aut inuenire, aut diſcere poteſt, niſi inueſtigationis oblectamento, & inueniendi deſiderio excitetur. Hinc poſtea ortę obſeruationes, præſertim in medicina, quibus Medicus tanquam ſolidiſſimis fundamentis innixus prudenter poſtmodum, cum magna ſui nominis gloria de morbis triumphat. Obſeruando igitur quotidie, ſi noui morbi apparent, ita etiam noua remedia inueniuntur.

Vermem in Veſtali Capuccina Menſe Martij labentis anni 1652. obſeruaui, qui ſurſum ad guttur aſcendens abſque magna moleſtia per excreatum viuus fuit expulſus, cum prius prædicta animi deliquio aliquando corriperetur, obſtructioneſque tum in Liene, tum in Meſenterio, quamuis non magnas haberet.. Ipſe porro vermis; cuius imaginem habeo

erat

erat niger, ſquamoſus, cornu duplex in capite gerens, ſicut limaces, ambulabat partim ſex pedum, partim ſquamarum beneficio, caudam bifurcatam gerebat; atque ipſa ſicut cancer ad appræhendendũ aliquid, vel ad ſui ſuſtentationem vtebatur; figura erat rotunda, oblonga, non tamen duos vltra digitos excedente. Ortum hunc crediderim ex humore melancholico corrupto. Id tamen alta mente ſeruandum puto, videlicet, quod à me varia experta ad ipſum interficiendum fuerunt quibus fruſtra tentatis, Vermis per quatuordecim dies vixit, & tandem oleo quodam (vt infra dicendum) ſtatim perijt. Primo itaque, antequam vllum Pharmacum adminiſtrarem obſeruaui nũ vita ipſius prorogari poſſet, & facillimè expertus ſum nucleo pineo veſci: hoc itaque peracto ad remedia confugio, & animalculo bellum indico. Primo probaui Theriacam: Secundo Theriacam cum vino; Tertio Theriacam cum aceto fortiſſimo, vulgo dicto, acerrimo: Quarto Cepam; Quinto, Allium Ruſticorum, Theriacam; Sexto aquã Theriacalem; Septimo Spiritum Vitrioli cum aqua Graminis, Octauo Hydrargirum, ſiue Argentum viuum. Nono ſal, quoniam incorruptas ſolet aquas conſeruare. His autem omnibus rite peractis tamen Vermis, comedendo quotidie de nucleo Pini, vixit per treſdecim dies; donec rogatus à prudẽtiſſima D. Siluia de Caualerijs vxore Illuſtriſſimi Marchionis Fabritij Nari, vt oleum quoddam contra vermes probarem, experientiam feci, & Vermis ſolo odore illius olei occubuit. Eſt autem hoc medicamentum externum in pueris, vt aiunt, pluries feliciter expertum. Præparatur Ferrariæ, vbi celeberrimi illius Ciuitatis Moderatores Magnatibus dono mittunt,

Olea

aut deceptores alios cum magna ſanitatis iactura talia exhibere Pharmaca. Sed vt ad rem redeam. In odore ſolum adeſſe vim purgatiuam comprobant ex Schenchio in obſeruationibus Alexander Benedic. in lib. de Peſte, Bar. Maranta Meth. cogn. ſimpl lib. 3. Eraſtus cap. 60. lib de occult. Pharmac. & Io. Poſthius in obſeruationibus proprijs.

Vermis niger, ſquamoſus, cornutus, cauda bifida, viuus per excreatum expulſus, & quomodo interfectus.

OBSERVATIO XXIX.

Marſilius Ficinus in Platon. conſtanter affirmat, quod nemo vnquam aliquam artem, aut inuenire, aut diſcere poteſt, niſi inueſtigationis oblectamento, & inueniendi deſiderio excitetur. Hinc poſtea ortę obſeruationes, præſertim in medicina, quibus Medicus tanquam ſolidiſſimis fundamentis innixus prudenter poſtmodum, cum magna ſui nominis gloria de morbis triumphat. Obſeruando igitur quotidie, ſi noui morbi apparent, ita etiam noua remedia inueniuntur.

Vermem in Veſtali Capuccina Menſe Martij labentis anni 1652. obſeruaui, qui ſurſum ad guttur aſcendens abſque magna moleſtia per excreatum viuus fuit expulſus, cum prius prædicta animi deliquio aliquando corriperetur, obſtructioneſque tum in Liene, tum in Meſenterio, quamuis non magnas haberet. Ipſe porro vermis, cuius imaginem habeo

erat

erat niger, ſquamoſus, cornu duplex in capite gerens, ſicut limaces, ambulabat partim ſex pedum, partim ſquamarum beneficio, caudam bifurcatam gerebat; atque ipſa ſicut cancer ad appræhendendũ aliquid, vel ad ſui ſuſtentationem vtebatur; figura erat rotunda, oblonga, non tamen duos vltra digitos excedente. Ortum hunc crediderim ex humore melancholico corrupto. Id tamen alta mente ſeruandum puto, videlicet, quod à me varia experta ad ipſum interficiendum fuerunt quibus fruſtra tentatis, Vermis per quatuordecim dies vixit, & tandem oleo quodam (vt infra dicendum) ſtatim perijt. Primo itaque, antequam vllum Pharmacum adminiſtrarem obſeruaui nũ vita ipſius prorogari poſſet, & facillimè expertus ſum nucleo pineo veſci: hoc itaque peracto ad remedia confugio, & animalculo bellum indico. Primo probaui Theriacam: Secundo Theriacam cum vino; Tertio Theriacam cum aceto fortiſſimo, vulgo dicto, acerrimo: Quarto Cepam; Quinto, Allium Ruſticorum, Theriacam; Sexto aquã Theriacalem; Septimo Spiritum Vitrioli cum aqua Graminis, Octauo Hydrargirum, ſiue Argentum viuum. Nono ſal, quoniam incorruptas ſolet aquas conſeruate. His autem omnibus rite peractis tamen Vermis, comedendo quotidie de nucleo Pini, vixit per treſdecim dies; donec rogatus à prudẽtiſſima D. Siluia de Caualerijs vxore Illuſtriſſimi Marchionis Fabritij Nari, vt oleum quoddam contra vermes probarem, experientiam feci, & Vermis ſolo odore illius olei occubuit. Eſt autem hoc medicamentum externum in pueris, vt aiunt, pluries feliciter expertum. Præparatur Ferrariæ, vbi celeberrimi illius Ciuitatis Moderatores Magnatibus dono mittunt,

Olea

Olet theriacam, ſed cum quadam odoris fragrantia, & facillimè in auras euolat, ex quo ſuſpicamur nos eſſe extractum aliquod fortaſſe, ex theriaca optimè præparatum. Quidquid ſit maximas vires poſſidet. Leuin, Lemnius lib.2 de occult. Nat. mir. cap.40 vermiculos caudatos, beſtiolaſque inſolita forma vomitu eiectas obſeruauit.

Puer Septennis, Aphonus, Stolidus, Epilepſia ſæpe correptus, Veſicatorio in ſutura Coronali appoſito, perfectè ſanatus.

OBSERVATIO XXX.

EX Menandro mortalia omnia mutationes multas habent poſt triſtitiam voluptas; poſt voluptatem penitentia, poſt luctum riſus, & iocus; atque extrema gaudij luctus occupat: morbus ſanitatem ſequitur, ſanitaſque morbum. Septennem puerum boni habitus alioquin aphonum, ideſt ſine voce, ſtolidum, & Epilepſia obnoxium vidimus, qui abſque vllo iuuamine, quamuis optime remedijs adminiſtratis; in deterius ruebat, tandem præmiſſis vniuerſalibns, quæ purgationem perficiunt, Veſicante ſuturæ coronali appoſito, conualuit, & ſtoliditate, atque Epilepſia liber, locutus eſt. Magna aquæ, ſeu ſeroſi humoris quantitas egreſſa eſt quotidie, & vapores manifeſtè aſcendentes conſpiciebãtur copioſiſſimi eò, fere modo, quo aqua in lebete

bete igni proximo in vapores ſurſum aſcendendo conuertitur. De Veſicante in capite ad curandam epilepſiam rectè loquitur Septallius animadu. Medic lib.6.animadu. 55.

Portentoſa Vreterum dilatatio ad Lapidis exitum.

OBSERVATIO XXXI.

Sola Hominum Vitam, præceps fortuna gubernat:
Inter diuitias, pauperiemque locans.
Quos prius euertit, rurſum ſublimè volutat:
Quos leuat ad nubes, hos ad Auerna trahit.

Ex hoc Palladæ Græci epigrammate, quod inſignis vir Natalis Comes in latinum tranſtulit, Fortunæ viciſſitudo eleganter elicitur. Nam ſæpe ex humili ortos conditione ad ſydera vſque extollit,& Potentes, ac Magnates pro ludibrio viuentium aliquando miſerrimè comprimit. Non hoc ſolum illius teli meta eſt, ſed omnia ſuo parent Imperio, ita vt Medici ſæpè in ſanitate perfecta miſerandam humanæ conditionis Cataſtrophem obſeruent; ac non raro penè deploratos, & iam iam præcipiti lapſu ſtygias petentes (vt Poeticæ loquar) aquas, è manibus Libitinæ ereptos videant, & mirentur. Hoc à Natura, ſeu à Deo (cuius nutu fortuna Mundum moderatur) vt melius dicam, oritur. Axioma etiam ab antiquis ApollineæArtis Coryphæis probatum, dum conſtanter affirmare auſi ſunt, Deum, & Naturam

KK ſæpe

ſæpe etiam deploratos à morte vindicare. Tanta, non ſemper, ſed interdum eſt, Naturæ vis ad indiuiduum conſeruandum, vt quaſi limites ſuos egredi conetur, attamen non ſemper proſpero euentu, ſed multoties, fruſtra tentatis omnibus tandem corruit. Bis in vrinæ ſuppreſſione mortuos, & à me ſectos, obſeruaui Vreteres ad exitum lapidis ita dilatatos vt digiti circumferentiam ſuperarent. Id tamen conſpiciebatur à rene ad Veſicam vſque; cum Vreteres æqualiter eſſent ampli; ſed dum Vreteres inter Veſicæ tunicas inſeruntur, conſtrictos inuenimus cum lapide, qui pertranſire nullo modo poterat, ex vtraque parte, & ſic mortui ſunt. Sed primo intuitu portentoſum apparebat; inteſtina etenim aliqua parua æmulabantur.

Pinguedo in Nobili quadam Romana, ita aucta, & collapſa, vt ad genua laberetur, triginta circiter libras (vt ex coniectura apparebat) & amplius excedens.

OBSERVATIO XXXII.

Tres graciles ineunt tenui de corpore pugnam,
Quis magis ipſorum ſit leuiore leuis.
Hermon ergo artem cupiens oſtendere magnam,
Traxit per plenum membra foramen acus;
At Demas media progreſſus, & ipſe caverna,
Aſtitit ad telam nentis araneoli.

Quem properè implicitum ſuſpendit Aranea, tamquam
Demas, non homo, ſed paruula muſca foret.
Mox hic Soſipater ſertis me cingite clamat:
Si videor vincor: ſum niſi Ventus ego.

Ex hoc ludicro Nicarchi epigrammate, tenuia corpora facetè exagerantur. Certè ſi à contrario ludere liceret, mulierem, de qua obſeruationem propoſuimus, cum ſit ſummopere pinguis, & vaſtiſſimi corporis inter hyperbolicos iocos, & facetias referrem. Sed Medicæ maieſtati non conuenit.

Nobilis quædam Romana vltra quinquageſimũ, ſummopere pinguis, aduentante ſenio, & calore viſcerum aliquo modo refrigerato, pinguedo infra vmbilicum ad genua vſque prolapſa, & pendens, tantæ erat molis, vt, ex coniectura, triginta circiter libras, & fortaſſe amplius excederet. Nos autem prouocati, & tantam molẽ mirantes, inter alia duo propoſuimus remedia. Primum faſciam latam ad regendam immodicam molem, quæ collo, & humeris firmabatur. Secundum potum modicum neceſſarium duximus; quibus peractis in deterius non labitur, attamen in ventre inferiori ſemper pendẽs, & prolapſa conſpicitur, & præſertim, quoniam in potu errata committit aliquando.

Cancer horrendus in principio multos fallens, Verrucæ ſimilis ſub Axilla.

OBSERVATIO XXXIII.

AVdi Amator. Dum inſano vreris igne, tales, Amaſiam verſus, voces imo pectore cum Ruphino effundis.

O, ſi eſſem leuis aura, & aperto pectore, te ſol
Flatibus aduerſam cogeret ire meis.
Aut fierem Roſa, quam tua dextra reconderet inter
Pectora Sarmatica non minus alba niue.
Aut Lilij fierem flos, vt tua dextra reſectum,
Marmorea poſſet vix ſaturare cute.

Sed ſtulte audi, quæ Argentarius poſteris, & præſertim amantibus reliquit.

Quæ nunc ecce virent mox marcida facta videbis
Mane.

Ita eſt, & ſic Plato ex Diogene Laertio libro tertio ſingua facunda puellas monuit.

Eſſe breues formæ diſce puella dies.

In formoſa muliere ſub axilla cancer in principio apparuit, & pro verruca ab ipſa receptus, quoniam ſicut Verruca extuberabat, dolariſque erat expers. Elapſo anno, non amplius Verruca, ſed cancer viſus fuit, qui breui exulceratus ad brachium, pectus, & ſcapulas miſerrimè radices tendens, poſt annum interfecit, & ſic ab ortu cancri ad interitum mulieris duo anni præterierunt.

Ca-

Digitized by Google

Capilli Hominum perforati cum Microſcopio obſeruati.

OBSERVATIO XXXIV.

EMptis, quod libris tibi Bibliotheca referta eſt,
Doctum, & Grammaticum te Philomuse putas.
Hoc genere, & chordas, & plectra, & barbita conde,
Hodie Mercator, cras Citharœdus eris.

Hoc ex Auſonij epigrammate dici poſſet contra eos, qui vbere librorum congerie abundantes, ſine ſtudio tamen, & experientia, doctos ſeipſos reputant; cum vtriuſque beneficio plurima noua, & incognita in qualibet ſcientia quotidie emergant; Neotericorum ſtudio multa innoteſcunt. Experiatur, qui velit inſtrumentum illud, quo mediante paruæ res magnæ apparent (de Microſcopio loquor) ſanè diligenti ſtudio, & prudenti experientia multa antiquis incognita perſcrutabitur; præſertim ſi Microſcopio quis vtatur, vt ego vidi, nempe, vt poſſit obiectum ita amplum in viſione reddere, vt millies, & amplius obiecti quantitatem excedat; tunc enim videmus Vermiculos Serpentes referre, Pulicem Elephantem æquare, pilum trabem, & vnguem fornicem æmulari: Hoc inſtrumento obſeruaui capillos in medio verè perforatos, & vermes in aceto copioſiſſimos, de quorum obſeruatione infra. Huius rei nuper meminit doctiſſimus vir Thomas Bartholinus in ſua Anatom. reformat. lib. 4. cap. 1. de Pilis his verbis. Sunt, & poroſi, ſeu concaui; quod plica

ca Polonica nos docet, & Alcis pilus. Quomodo autem creſcant, id Philoſophis contemplandum relinquo: ſufficiat mihi pro nunc, quod proprijs oculis vidi, obſeruaſſe. Aliquando de hoc, vt & de alijs rebus placente Deo fortaſſe diſſerendum.

Arenulæ albæ, & rubræ in Calculoſis cum Microſcopio examinatæ.

OBSERVATIO XXXV.

SVpra in obſeruatione 25. huius libri tractauimus, de duritie arenularum albarum, & rubrarum in Calculoſis, modo verò loquimur de ipſarum colore, & ſubſtantia, quæ duæ res optimè cum Inſtrumento optico ſuperius dicto, ſeu Microſcopio, obſeruantur. Sciendum eſt igitur arenulas albas, hoc modo viſas opacas eſſe, non autem diaphanas aſperrimas, & pungentes, extremitates etenim ſunt acuminatę, &, vt vno verbo loquar, ſi quis videat hic Romæ lapidis Tiburtini fragmentum, is arenulas albas Microſcopio obſeruaſſe cogitet. Arenulę vero rubræ, ſeu flauæ differentes ſunt à prædictis, quandoquidem, vbi illlæ lapidem ruſticũ, nempe Tiburtinum, hæ lapides pretioſos, nempe Sardonicum repręſentant; vbi figuram illæ poſſident aſperam, hæ ſunt leues; vbi illę extremitates habent acuminatas, hę figura gaudent ouali, aut rotunda, ſed leui; vbi illę duriores, hæ friabiliores. Hæc quoad arenulas albas, vel rubras in calculoſis obſeruaſſe ſat erit.

Ver-

Vermium in Aceto copia mirabilis, Microſcopio viſa.

OBSERVATIO XXXVI.

DIximus iam in ſuperioribus obſeruationibus aliqua de Microſcopio, cuius ope vltra noſtrá oculorum poſſibilitatem, plurima abſcondita rimari, ac ſcrutari licet, quæ alioquin nullo modo conſpici poſſent, ſed inter Naturæ arcana conſeruarentur. Modo dicendum eſt de vermibus, qui in aceto copioſiſſimi exiſtunt, quorum, quæ ex induſtria obſeruaui, hic refero.

Primo vermes in Aceto copioſiſſimi ſunt tum viuentes tum mortui. Secundo viuentes per acetũ, vt piſces, vagantur, mortui vero in fundo reſident. Tertio mortui, qui ſunt in fundo, paulatim corrumpuntur, & tanquam nubem, ſeu goſſipium efficiunt. Quarto ex hac nube, quæ multa mortuorum vermium cadauera putrefacta complectitur (quæ à quibuſdam vulgariter Madre dell'Aceto appellatur) vermes naſcuntur, & ſic Lector beniguiſſime in hiſce animalculis Phœnicis hiſtoriam renouatam vides. Quinto, quo Acetum eſt acrius, eò copioſiores habet vermes. Sexto copioſiſſimi ſunt in aceto, & viuentes, quando Acetum eſt in Dolio; quãdo vero eſt in vaſe aliquo paruo, copioſiores ibi ſunt mortui, quam viuentes. Septimo vermes ſunt figuræ oblongę, tenues, cum paruo capite, & tamquam anguillæ conſpiciuntur. Octauo, ſi Acetum coletur, aut filtretur, habebimus limpidum abſque vllis vermi-

mibus fere per triduum, ſed triduo tranſacto vermes denuò oriuntur. Nono, ſi vini quantitas etiã exigua quatuor, aut quinque guttarum, in librã aceti infundatur, omnes vermes interficit. Decimo infuſo vino & vermibus mortuis, per triduum ſic remanet; tranſacto vero triduo denuo regenerantur, Vndecimo, ſi in Aceti libras duas circiter miſceas Theriacæ drachmam vnam, omnes interficit. Duodecimo ſi mixta Theriaca, cum aceto in vaſe clauſo; exponatur vas Soli per menſem, ſemel in die Vas agitando, & poſtmodum relinquendo, vt Theriaca in fundo remaneat, quo peracto diligenter coletur, aut, Chymicè loquendo decantetur, habebimus acetum non ſolum ſemper ſine Vermibus, ſed ſummoperè vtile ad peſtem, & febres malignas. Decimotertio, etiam ſi Soli non exponatur Acetum theriacale, tamen nunquam vermes oriuntur. Decimoquarto tandem, & vltimo copioſiores vermes in aceto roſaceo obſeruaui, quam alibi. In quibus omnibus luce meridiana clarius exiſtit, Acredinem aceti, ex quantitate vermium prouenire, acetum ex corruptione fieri; quandoquidem oriuntur vermes ex putrefactione aliqua. Vides hic aceti, & vini contrarietatem. Obſeruas antidotum contra ipſos, nempe Theriacam, & alia, quæ diligentioribus Phyſicis obſeruanda ſimul, & contemplanda relinquo.

Abuſus cauterij in nucha, in puerorum per conſenſum Epilepſia.

OBSERVATIO XXXVII.

Ferreus aſſiduo conſumitur annulus vſu,
Interit aſſidua vomer aduncus humo
Quid magis eſt durum ſaxo, quid mollius vnda?
Dura tamen molli ſaxa cauantur aqua.

Vides lector humaniſſime ex Ouidij lib. primo de arte amandi, tempus, & vſus quid præſtent. Hæc autem poſſunt, vt fere impoſſibilia producant, paulatim enim introducuntur multa, quæ vix creduntur.

Noſtris temporibus tantum inualuit in pueris curandis cauterium in nucha, vt indiſcriminati multi quamplurimi, nihil animaduertentes, ſit nè Epilepſia per eſſentiam, vel conſenſum, videntes aliqua etiam leuia Epilepſiæ indicia, ſtatim ad ignẽ confugiunt, & cauterium imperant; hoc fundamento innixi, videlicet, quod, ſi puer poſtmodum moritur, mortuus intelligatur propter aduerſam fortunam, non autem culpa Medici; quod ſi ſine huiuſmodi Cauterio pueri lumen vitale acerbo funere deſererent, ipſi ob defectum Medici mortui intelligerentur: Et interim dum Cauterium adminiſtrant, infinitos interficiunt Pueros, & poſtmodũ iſti à plebe, & quandoque ab alijs, Medici medentes canonicè, & optimi Practici appellantur. Deus bone: ſi recenter addictus eſſem Medicinæ,

videns tot abuſus, tot abſurda, Medicinam linquerem. Trahere materiam ad partem affectam, hoc eſt dogma optimi Practici? Non inquam; ſed ignauia, ſed Malitia, ſed crudelitas. Nam ſi ex vermibus, aut materia putreſcente in abdomine, motus aliquis epilepticus excitetur, debemus ipſam materiam alio vertere, nempe per aluum, per Clyſteres & ſimilia, & non ſtatim ad ignem confugere. Ignis enim dolorem in tenello corpore maximum excitat. Ignis timorem validiſſimum inducit, ex quibus ſolis epilepſia poſtmodum deſperata oritur, & non amplius pueri per conſensũ, ſed per eſſentiam laborantes, cito pereunt. In reliquis, nempe in Epilepticis per eſſentiam, laudarem magis ſetaceum, vt proponit Hyldanus obſeruatione de Epilepſia, quam Cauterium; videat qui velit ſupradictum Hildanum centur. 1. obſeru. 42.

Hydrops, potus abſtinentia per ſex menſes, curatus.

OBSERVATIO XXXVIII.

Quamquam ventris erat gurges nimium vſque moleſtus,
Hunc mihi ſubieci ſobrietate tamen.
Cumque ſit inferior venter ratione magiſtra,
Nonnè queat facili vincier ipſe manu?

Ita cum Pallada ruſticus quidam in ſignum deuicti morbi pronunciare poterat; nam cum ille triginta

Digitized by Google

ginta quinque circiter annorum, in Hydropem, eumque importunum, & fere inſanabilem incidiſſet, rogaſſetque aliquod remedium, reſpondi, vnicum dari, ſi cum ſua fieri poſſet voluntate. Iurauit omnia facturum, dummodo poſſibilia, idque promptiſſimo animo, ſola viuendi ſpe fretus. Tunc potus cuiuſcunque abſtinentiam indicaui, ſaltem per tres, vel quatuor menſes, & ſic humorem in ventre contentum paulatim à Natura diſſipaturum. Hilariter reſpondit, ſi hoc iuuat, ſanus ſum, quandoquidem in mea eſt poteſtate, promiſitque etiam tempore tranſacto nullo modo ſine licentia bibiturum. Elapſo ſemeſtri, huius rei oblitus, video hominem ſanatum licentiam bibendi, ſi mihi videbatur, expoſcentem; quam dedi: ſed curioſitate motus interrogaui quomodo feciſſet tamdiu ſine potu? Reſpondit arduum fuiſſe primis quindecim diebus ita vt difficillime reſiſtere poſſet. Tranſactis verò dictis diebus, & diminuta aqua ſitis non ita torquebat, & quo magis in dies aqua minuebatur, ſitis deficiebat. Tutum eſt hoc remedium, ſed requiritur immutabilis voluntas. Scio multos hoc ſcripſiſſe videlicet Hydropem ſanatum potus abſtinentia. Sed illud legi, & hunc caſum egomet obſeruaui.

Muſculus Pentagonus, ſiue Pectoralis duplex repertus.

OBSERVATIO XXXIX.

LVdere Naturã in homine ſæpius obſeruauimus, etenim ipſa aliquãdo addit, aliquando detrahit. Plura de hoc diximus, & plura dicẽda ſuperſunt. Muſculum Pectoralẽ, brachium ad anteriora triplici villorum genere trahentem (quem Græci à figura quinque angulorum Pentagonum appellant) duplicem vidimus, non quod verè, & realiter Natura alterum appoſuiſſet, ſed quod ſuperiores fibræ deſcendentes apertè à tranſuerſalibus ſeparatæ erant, & ſic Muſculus duplex apparebat. Non ſic ſeiunctæ aſcendentes à tranſuerſalibus obſeruabantur, ſed vnicum muſculum efficiebant.

Medici quidam adulando in Pharmacis adminiſtrandis ægros occidunt.

OBSERVATIO XL.

AVdias Lector iocoſam Agathiæ Scholaſtici Epigrammatis inuentionem, quemdam ſui temporis irridentem Medicum.

Romanus quidam Medicus procul ibat Athenas,
Vt Græcè Latio diſceret ore loqui.

Pri-

Prima noua linguæ, qui quum præcepta teneret
Iam rude Grammatices, & ſuperaſſet opus,
Mæonium vatem ſibi mox proponit Homerum,
Talia ſunt cuius carmina ſcripta libri,
Iram Pelidæ memora mihi, diua, ſuperbi
Peſtiferam, Græcis quæ mala multa dedit,
Et fortes animas ſub triſtia Tartara miſit
Heroum, quos nunc pallidus Orcus habet.
Scilicet hæc Medicus, cum primum carmina legit,
Edidit inſigni dicta faceta ioco.
Si meruit laudis tantum bellator Achilles,
Hæcque ſua fama gloria magna fuit.
Quod Stygio multas animas Acheronte ſubegit.
Pro Danais quando fortiter arma tulit.
Me (reor) & ſimili celebrabit Græcia laude,
Ars mea, nam quiddam grandius inſtar habet:
Non quia ſic gladijs, rigido nec denique ferro,
Eſt vnquam cædes vlla peracta mihi.
Herbis ſimplicibus tantum curator, ad Orcum
Multorum medica corpora mitto manu.

Somniauerat fortaſſe Agathias, dum hoc epigramma, poſteris reliquit, noſtrorum temporum calamitatem. Præuidit fortaſſe neſcius, & prædixit Reipublicæ Medicæ iacturam. Indicauit, tot mortes, nõ à morbis, ſed à Medicis quibuſdam patratas. Sed audias lector, dum Medicos iniurijs verbero, intelligas de illis, qui in Caſtris contra morbos non militarunt, de illis, qui artes, nec coluerunt, nec colunt, de illis, qui lucro innixi omnia ſubuertunt, de illis, qui Anatomen reſpuunt, qui Botanicam negligunt, qui Aſtronomiam ignorant; qui Pharmaca ritè parata damnant, qui adulantur, non medentur,

qui ſe bonos Practicos eſſe contendunt. Hos male-dictis laceſſo, hos ferio, in hos inuectiuas ſtruo. Medici autem re vera tales ſummopere laudandi, honorandi, exiſtimandi. Sed Nebulones, Sicophantas, Ardeliones, vbique caſtigabimus.

Inualuit apud quoſdam conſuetudo in Pharmacis adminiſtrandis, vt ſenſui indulgentes Diagridium, Scialappam, Chryſoppum cum conſeruis adminiſtrent, quoniam iniucunda non ſunt. Verum, ſi ſenſus fallitur, non fallitur morbus: multos etenim hiſce conſeruis ſcammoneatis, aut ſimilibus medicamentis mortuos breui vidimus. Non negauerim tamen multa dari chymica medicamenta: quæ ſi optimè ſint præparata tutò poſſunt exhiberi, vt Scammonium Hiacynthinum, extractum Aloes, & alia plurima, ſed id nullo modo abſque Phyſici cõſenſu fieri debet, nè venena potius, quam medicamenta adminiſtrentur. Quapropter in Chymica, vt inquit Caſtellus in Optimo Medico verſatus eſſe debet, vt optima eligat, inualida, aut noxia reſpuat

Pulmo ſiniſter Diaphragmati adhęrens.

OBSERVATIO XLI.

SAepius pulmones villis quibuſdam mediantibus coſtis adhærentes ab alijs, & à me etiam reperti fuerũt, pulmonem vero ſiniſtrum, in ſuffocato per laqueum homine, diaphragmati adhærentem inueni, abſque eo, quod coſtis per villos alligati eſſent. Credimus nos huiuſmodi rem ortam ex longo carcere fuiſſe, quandoquidem Rei diuturno tempore,

ibi-

ibi retenti morboſi efficiuntur, & vix vllus reperiatur, qui poſtmodum ſuffocatus membra rectè in ſe habeat diſpoſita; ſed omnes in aliqua corporis parte morbum contrahunt. Reliqui verò, qui breui tempore carcerati ſtrangulantur, membra ſana & ſine aliqua labe in Anatome oſtendunt. Morboſi in longo carcere illi efficiuntut. Primo ex aeris corruptione, vita otioſa, victu peſſimo, animi paſſionibus, vigilijs continuis, quæ omnia, licet homo perfectam haberet ſanitatem; tamen longinquo temporis ſpatio infirmitatem afferrent, quod optime apparuit in dicto cadauere, vbi pulmones diaphragmati adhærentes inuenimus.

Epilepſiæ Romanæ in Magnatibus frequentia.

OBSERVATIO XLII.

CVm das conſilium non laboras, nihil perdis, & alios iuuas ex D Auguſt. in pſal. 125. At quod iuuamen poteſt eſſe maius eo, vbi de vita plurium hominum conſultatur, certè nullum. Romæ epilepſias, & præcipuè in Magnatibus frequenter videmus; quare id accidat facillimæ eſt coniecturæ, nimirum, ex parentum otio, dum parum ſe exercent, & hoc modo humiditatibus multis ſcatent, atque etiam ex ignauia nutricum, quæ ſedentariam vitam agunt. Aduertite igitur, & reſpicite pauperes, vbi maritus labore firmatur, vbi mater lactans modo huc, modo illuc neceſſitate coacta verè comedit panem, cum labore manuum ſuarum, & videbitis

in-

qui ſe bonos Practicos eſſe contendunt. Hos male-dictis laceſſo, hos ferio, in hos inuectiuas ſtruo. Medici autem re vera tales ſummopere laudandi, honorandi, exiſtimandi. Sed Nebulones, Sicophantas, Ardeliones, vbique caſtigabimus.

Inualuit apud quoſdam conſuetudo in Pharmacis adminiſtrandis, vt ſenſui indulgentes Diagridium, Scialappam, Chryſoppum cum conſeruis adminiſtrent, quoniam iniucunda non ſunt. Verum, ſi ſenſus fallitur, non fallitur morbus: multos etenim hiſce conſeruis ſcammoneatis, aut ſimilibus medicamentis mortuos breui vidimus. Non negauerim tamen multa dari chymica medicamenta, quæ ſi optimè ſint præparata tutò poſſunt exhiberi, vt Scammonium Hiacynthinum, extractum Aloes, & alia plurima, ſed id nullo modo abſque Phyſici cōſenſu fieri debet, nè venena potius, quam medicamenta adminiſtrentur. Quapropter in Chymica, vt inquit Caſtellus in Optimo Medico verſatus eſſe debet, vt optima eligat, inualida, aut noxia reſpuat

Pulmo ſiniſter Diaphragmati adhærens.

OBSERVATIO XLI.

SAepius pulmones villis quibuſdam mediantibus coſtis adhærentes ab alijs, & à me etiam reperti fuerūt, pulmonem vero ſiniſtrum, in ſuffocato per laqueum homine, diaphragmati adhærentem inueni, abſque eo, quod coſtis per villos alligati eſſent. Credimus nos huiuſmodi rem ortam ex longo carcere fuiſſe, quandoquidem Rei diuturno tempore,

ibi

ibi retenti morboſi efficiuntur, & vix vllus reperiatur, qui poſtmodum ſuffocatus membra rectè in ſe habeat diſpoſita; ſed omnes in aliqua corporis parte morbum contrahunt. Reliqui verò, qui breui tempore carcerati ſtrangulantur, membra ſana & ſine aliqua labe in Anatome oſtendunt. Morboſi in longo carcere illi efficiuntur. Primo ex aeris corruptione, vita otioſa, victu peſſimo, animi paſſionibus, vigilijs continuis, quæ omnia, licet homo perfectam haberet ſanitatem; tamen longinquo temporis ſpatio infirmitatem afferrent, quod optimè apparuit in dicto cadauere, vbi pulmones diaphragmati adhærentes inuenimus.

Epilepſiæ Romanæ in Magnatibus frequentia.

OBSERVATIO XLII.

CVm das conſilium non laboras, nihil perdis, & alios iuuas ex D Auguſt. in pſal. 125. At quod iuuamen poteſt eſſe maius eo, vbi de vita plurium hominum conſultatur, certè nullum. Romæ epilepſias, & præcipuè in Magnatibus frequenter videmus; quare id accidat facillimæ eſt coniecturæ, nimirum, ex parentum otio, dum parum ſe exercent, & hoc modo humiditatibus multis ſcatent, atque etiam ex ignauia nutricum, quæ ſedentariam vitam agunt. Aduertite igitur, & reſpicite pauperes, vbi maritus labore firmatur, vbi mater lactans modo huc, modo illuc neceſſitate coacta verè comedit panem, cum labore manuum ſuarum, & videbitis in-

qui ſe bonos Practicos eſſe contendunt. Hos male-dictis laceſſo, hos ferio, in hos inuectiuas ſtruo. Medici autem re vera tales ſummopere laudandi, honorandi, exiſtimandi. Sed Nebulones, Sicophantas, Ardeliones, vbique caſtigabimus.

Inualuit apud quoſdam conſuetudo in Pharmacis adminiſtrandis, vt ſenſui indulgentes Diagridium, Scialappam, Chryſoppum cum conſeruis adminiſtrent, quoniam iniucunda non ſunt. Verum, ſi ſenſus fallitur, non fallitur morbus: multos etenim hiſce conſeruis ſcammoneatis, aut ſimilibus medicamentis mortuos breui vidimus. Non negauerim tamen multa dari chymica medicamenta. quæ ſi optimè ſint præparata tutò poſſunt exhiberi, vt Scammonium Hiacynthinum, extractum Aloes, & alia plurima, ſed id nullo modo abſque Phyſici cõſenſu fieri debet, nè venena potius, quam medicamenta adminiſtrentur. Quapropter in Chymica, vt inquit Caſtellus in Optimo Medico verſatus eſſe debet, vt optima eligat inualida, aut noxia reſpuat

Pulmo ſiniſter Diaphragmati adhærens.

OBSERVATIO XLI.

SAepius pulmones villis quibuſdam mediantibus coſtis adhærentes ab alijs, & à me etiam reperti fuerũt, pulmonem vero ſiniſtrum, in ſuffocato per laqueum homine, diaphragmati adhærentem inueni, abſque eo, quod coſtis per villos alligati eſſent. Credimus nos huiuſmodi rem ortam ex longo carcere fuiſſe, quandoquidem Rei diuturno tempore,

ibi

ibi retenti morboſi efficiuntur, & vix vllus reperiatur, qui poſtmodum ſuffocatus membra rectè in ſe habeat diſpoſita; ſed omnes in aliqua corporis parte morbum contrahunt. Reliqui verò, qui breui tempore carcerati ſtrangulantur, membra ſana & ſine aliqua labe in Anatome oſtendunt. Morboſi in longo carcere illi efficiuntut. Primo ex aeris corruptione, vita otioſa, victu peſſimo, animi paſſionibus, vigilijs continuis, quæ omnia, licet homo perfectam haberet ſanitatem; tamen longinquo temporis ſpatio infirmitatem afferrent, quod optimè apparuit in dicto cadauere, vbi pulmones diaphragmati adhærentes inuenimus.

Epilepſiæ Romanæ in Magnatibus frequentia.

OBSERVATIO XLII.

CVm das conſilium non laboras, nihil perdis, & alios iuuas ex D Auguſt. in pſal. 125. At quod iuuamen poteſt eſſe maius eo, vbi de vita plurium hominum conſultatur, certè nullum. Romæ epilepſias, & præcipuè in Magnatibus frequenter videmus; quare id accidat facillimæ eſt coniecturæ, nimirum, ex parentum otio, dum parum ſe exercent, & hoc modo humiditatibus multis ſcatent, atque etiam ex ignauia nutricum, quæ ſedentariam vitam agunt. Aduertite igitur, & reſpicite pauperes, vbi maritus labore firmatur, vbi mater lactans modo huc, modo illuc neceſſitate coacta verè comedit panem, cum labore manuum ſuarum, & videbitis in-

qui ſe bonos Practicos eſſe contendunt. Hos maledictis laceſſo, hos ferio, in hos inuectiuas ſtruo. Medici autem re vera tales ſummopere laudandi, honorandi, exiſtimandi. Sed Nebulones, Sicophantas, Ardeliones, vbique caſtigabimus.

Inualuit apud quoſdam conſuetudo in Pharmacis adminiſtrandis, vt ſenſui indulgentes Diagridium, Scialappam, Chryſoppum cum conſeruis adminiſtrent, quoniam iniucunda non ſunt. Verum, ſi ſenſus fallitur, non fallitur morbus: multos etenim hiſce conſeruis ſcammoneatis, aut ſimilibus medicamentis mortuos breui vidimus. Non negauerim tamen multa dari chymica medicamenta. quæ ſi optimè ſint præparata tutò poſſunt exhiberi, vt Scammonium Hiacynthinum, extractum Aloes, & alia plurima, ſed id nullo modo abſque Phyſici cōſenſu fieri debet, nè venena potius, quam medicamenta adminiſtrentur. Quapropter in Chymica, vt inquit Caſtellus in Optimo Medico verſatus eſſe debet, vt optima eligat inualida, aut noxia reſpuat

Pulmo ſiniſter Diaphragmati adhærens.

OBSERVATIO XLI.

SAepius pulmones villis quibuſdam mediantibus coſtis adhærentes ab alijs, & à me etiam reperti fuerūt, pulmonem vero ſiniſtrum, in ſuffocato per laqueum homine, diaphragmati adhærentem inueni, abſque eo, quod coſtis per villos alligati eſſent. Credimus nos huiuſmodi rem ortam ex longo carcere fuiſſe, quandoquidem Rei diuturno tempore,

ibi

ibi retenti morboſi efficiuntur, & vix vllus reperiatur, qui poſtmodum ſuffocatus membra rectè in ſe habeat diſpoſita; ſed omnes in aliqua corporis parte morbum contrahunt. Reliqui verò, qui breui tempore carcerati ſtrangulantur, membra ſana & ſine aliqua labe in Anatome oſtendunt. Morboſi in longo carcere illi efficiuntur. Primo ex aeris corruptione, vita otioſa, victu peſſimo, animi paſſionibus, vigilijs continuis, quæ omnia, licet homo perfectam haberet ſanitatem; tamen longinquo temporis ſpatio infirmitatem afferrent, quod optimè apparuit in dicto cadauere, vbi pulmones diaphragmati adhærentes inuenimus.

Epilepſiæ Romanæ in Magnatibus frequentia.

OBSERVATIO XLII.

CVm das conſilium non laboras, nihil perdis, & alios iuuas ex D August. in pſal. 125. At quod iuuamen poteſt eſſe maius eo, vbi de vita plurium hominum conſultatur, certè nullum. Romæ epilepſias, & præcipuè in Magnatibus frequenter videmus; quare id accidat facillimæ eſt coniecturæ, nimirum, ex parentum otio, dum parum ſe exercent, & hoc modo humiditatibus multis ſcatent, atque etiam ex ignauia nutricum, quæ ſedentariam vitam agunt. Aduertite igitur, & reſpicite pauperes, vbi maritus labore firmatur, vbi mater lactans modo huc, modo illuc neceſſitate coacta verè comedit panem, cum labore manuum ſuarum, & videbitis

in-

ibi recenti morboſi efficiuntur, & vix vllus reperiatur, qui poſtmodum ſuffocatus membra rectè in ſe habeat diſpoſita; ſed omnes in aliqua corporis parte morbum contrahunt. Reliqui verò, qui breui tempore carcerati ſtrangulantur, membra ſana & ſine aliqua labe in Anatome oſtendunt. Morboſi in longo carcere illi efficiuntur. Primo ex aeris corruptione, vita otioſa, victu peſſimo, animi paſſionibus, vigilijs continuis, quæ omnia, licet homo perfectam haberet ſanitatem; tamen longinquo temporis ſpatio infirmitatem afferrent, quod optime apparuit in dicto cadauere, vbi pulmones diaphragmati adhærentes inuenimus.

Epilepſiæ Romanæ in Magnatibus frequentia.

OBSERVATIO XLII.

CVm das conſilium non laboras, nihil perdis, & alios iuuas ex D August. in pſal. 125. At quod iuuamen poteſt eſſe maius eo, vbi de vita plurium hominum conſultatur, certè nullum. Romæ epilepſias, & præcipuè in Magnatibus frequenter videmus; quare id accidat facillimæ eſt coniecturæ, nimirum, ex parentum otio, dum parum ſe exercent, & hoc modo humiditatibus multis ſcatent, atque etiam ex ignauia nutricum, quæ ſedentariam vitam agunt. Aduertite igitur, & reſpicite pauperes, vbi maritus labore firmatur, vbi mater lactans modo huc, modo illuc neceſſitate coacta verè comedit panem, cum labore manuum ſuarum, & videbitis

in-

infantulos Vento, & Soli abſque vlla cura expoſitos firmos, & robuſtos.

Pſoas paruus, ſeu pſoas alter in Anatome inuentus.

OBSERVATIO XLIII.

IOannes Riolanus inſignis noſtri temporis Anatomicus loquendo de muſculis femoris lib. 5. cap. 40 Encheiridij Anatomic. hæc protulit, loquendo de Pſoa, ſiue Lumbari. Sępiſſimè in viris paruum muſculum huic ſuper extenſum inueni, qui in exortu ſuo minimi digiti longitudine, & craſſitie carnoſus, gracili, & plano tendine ſuper Pſoā delatus, cum peruenit ad Iliacum in aponeuroſim latam, ac firmiſſimam lateſcit, quæ Iliacum & Pſoam firmiſſime amplexatur. Ideoque in robuſtis hominibus additus fuiſſe puto, vt Pſoan arĉte complectatur, & in ſua ſede retineat. Non vt refert Riolanus ad vnguem inuenimus, principium enim facile apparebat ſed finis confuſionem ferebat in latiſsima aponeuroſe, aut faſcia tendinoſa, qua mediante non Pſoam, ſiue Lumbarē magnum amplectebatur, ſed inſerebatur in oſſis Ilij marginem. Obſeruauimus in publicè ſtrangulato hoc anno 1652. Hunc Pſoam vidit etiam, & obſeruauit maxima cum diligentia celeberrimus, & diligentiſsimus Anatomicus Thomas Bartholinus in ſua Anatom. reformata lib. 14. cap. 11.

Na-

Natus Ictericus.

OBSERVATIO XLIV.

CVm puer egreditur Matris de corpore, plorant,
Cum moritur, Thraces, gaudia læta colunt:
Cur genitos plorant, cur gaudent morte peremptis?
Illos Vita malis donat, at hos adimit.

Recte Ioannes Lauterbachius Archiæ Græci Poetæ epigramma imitatus miſerandam infantium conditionem, cum in lucem egrediuntur, deplorat; nam in ipſo vitæ principio incipiunt mori.

Infantem Barbitonſoris filium Ictericum natum vidimus cum magno ſtupore, qui poſtea placente Deo euaſit, & nunc optima fruitur valetudine.

Gallicus morbus fortuito nimio ſanguinis fluxu ſanatus.

OBSERVATIO XXXXV.

NVnc ſaluere iubes, tua cum te forma reliquit,
Marmoreum Lygdi, quæ ſuperabat ebur.
Nunc quoque me alludis, cum tecto crine vagaris,
Errabat collo, qui vagus ante tuo.
Parce igitur poſthac mihi adeſſe, aut obuius ire:
Nam mutare roſas, inuida, nolo rubis.

Ita cum Luca Fruterio Amantes ſecum de tranſacta

iuuentute loquuntur. Sed quid dicam de illis, qui Gallica lue affecti Aether clamoribus implent. Magna eſt miſeria, qua mediante homines miſerrimi fiunt, quare ſi aliquis ſalutem accipiat, tanquam è faucibus Orci ereptus dicitur.

Nobiliſſimum, & pulcherrimum Iuuenem lue Venerea affectum vidimus, cui, cum in purgatione vniuerſali applicatæ fuiſſent Hirudines ano, & Chirurgus diſceſſiſſet, breui tempore fere duo libræ ſanguinis egreſſæ ſunt, & ſtatim abſque alio medicamine, aut Laconica ſudatione conualuit; ipſe tamen temperamento erat ſummopere ſanguineo.

Mola exigua in muliere Hebræa, paruum Bulbum repræſentans.

OBSERVATIO XXXXVI.

ZEno, vt refert Cicero lib. 2. de Natura Deorum Naturam ſic diffinit, vt eam dicat eſſe ignem artificioſum, ad gignendum progredientem viam Itaque ſi hoc potiri fine non poteſt, nil intentatum relinquit, nulli labori parcit, vt aliquid faciat directè ad generationem; ex quo videmus, & ſæpius probamus, ipſam, ſi in vtero mulieris fœtum formare non poſſit, ſtatim aliquod, ne ſit otioſa, moliri. Hinc oriuntur Molæ, de quibus Medici, tum antiqui, tum Neoterici multa ſcripſere. Ideo in hac obſeruatione de ortu illarum tacendum erit: tantum proponam figuram, & ſtructuram Molæ cuiuſdam paruæ, quæ ex Vtero fœminæ Hebrææ egreſſa

eſt; non quod ego hebræorum Medicus ſim, erubeſcit enim Chriſtianus Medicus, ſi hoc faciat, ſed quia à Barbitonſore ipſorum ad me delata fuit, vt quid eſſet contemplarer. Molam obſeruaui bulbum omnino referentem in parte exteriori; diſſecta vero per medium, carnem quamdam ſpongioſam, ſicut parenchyma Lyenis habebat, exterius vero membrana forti, & carnoſa cincta erat.

Epilepſię curioſæ Hiſtoria.

OBSERVATIO XXXXVII.

Nam quod iter Vitæ ſectabere? plena moleſtis
Sunt fora litigijs: anxia cura domi.
Rure labor: terrent medio diſcrimina Ponto
Si peregre es, partis, rebus vbique times.
Ac rurſum triſtaris egens: Vxorius autem
Angeris: es vita calibe, ſolus eris.
Sollicitant nati: non viuis; & integer orbus
Corde iuuenta caret, robore canities
Alterutrum idcirco, eſt vobis optabile, nunquam
Aut naſci, aut natos occubuiſſe cito.

Sic Gaſpar Velius Vrſinus humanæ vitæ miſerias, & animi inquietitudinem, quamquam aliquo modo impiè, deplorat. Quid dicendum de morbis? ipſi etiam infelicitatem augent: inter quos vnum vidi, attamen curioſum, nempe Epilepſiam, ſed mitem, nam raro ægrotantem inuadit, nempe per quatuor anni tempora, & quando inuaſio futura

 eſt

eſt, paulo ante ſentiens ægrotus inuaſionem imminentem, tempus habet idoneum ad hoc, vt poſſit ad locum tutum confugere. Reliquos epilepticos vidi, qui ſtatim cadunt, in hoc tamen hoc non accidit, ſed tempus habet, quapropter placente Deo ſperamus ſalutem priſtinam recuperaturum, cum ex ſupradictis duo ſint manifeſta; primo morbum profundas radices adhuc non poſuiſſe. Secundo Naturam eſſe robuſtam, & vires validas, quæ duæ res breui ſalutem in iuuene pollicentur.

Pulſus peſſimi in mulieribus febricitantibus Medicos quandoque fallunt.

OBSERVATIO XLVIII.

QVæ timuimus pueri, adoleſcentes riſimus. Militem inexpertum ſtrepitus omnis examinat; duratus bellis nullo fragore concutitur; rudis nauta primo Ventorum murmure terretur. Gubernator antiquus, qui toties fatiſcentem, & exarmatam puppim perduxit in portum, ex alto deſpicit iratum Mare. Egregie Franciſcus Petrarca variar. Epiſtol. lib. epiſtol. 20. ad Gerardum fratrem ſuum hæc ſcripſit. Inexperti etenim homines cum Iuuenale motæ ad Lunam trepidabunt arundinis vmbram. Sic propemodum aliquando in Medicina ſuccedit; vidi enim quoſdam Medicos in mulierum curatione abſurda aliquando, & digna riſu proponere, & hoc totum pendebat, ex vtero, qui, vapores eleuans, paroxiſmos æmulatur, qui non cor aut caput

caput petens (ut quidam credunt, quandoquidem moueri vltra certum terminum non poteſt) ſed fumis ſurſum aſcendentibus, per communionẽ arteriarum pulſus ſubuertit, ita vt peſſimi appareant, diſſipatis vero vaporibus pulſus regrediuntur. Itaque omnia aduertenda, antequam prognoſticum fiat, ne ridiculus Medicus cum irriſione habeatur.

Phrenitici cuiuſdam robur admirabile.

OBSERVATIO XLIX.

QVorumdam vitam, vt ait Seneca epiſt. 67. Mors in medio flore præcidit, Aliorum interrumpit ipſa principia, alius inter cenandum ſolutus eſt, alterius ſomno continuata mors eſt, aliquem concubitus extinxit. His addere licet, alios ſanè mentis, alios è contra vltimum clauſiſſe diem, vt ſunt Phrenitici, qui tanquam belluæ, vt plurimum moriuntur. Sed quod mirandum exiſtit id eſt, nempe in vigore febris, vis ingens, & robur validiſſimum, quo mediãte Phrenitici aliquando portentoſa peragunt. Vnum inter cæteros obſeruaui, qui in furore morbi cancellos ferreos, ac ſi cerei fuiſſent, tractabat, pondera ingentia facillimè eleuabat, cum tamen tranſacto morbi vigore debilis, ita eſſet, vt ſurgere non poſſet. Ratio huius facilis eſt, nempe ſpiritus ignei, videlicet calidi, & ſicci, qui neruorum capita titillantes roboris huius cauſa erant. Diſſipatis ſpiritibus languor in corpore propter vim morbi ſummus aderat.

Co-

eſt, paulo ante ſentiens ægrotus inuaſionem imminentem, tempus habet idoneum ad hoc, vt poſſit ad locum tutum confugere. Reliquos epilepticos vidi, qui ſtatim cadunt, in hoc tamen hoc non accidit, ſed tempus habet, quapropter placente Deo ſperamus ſalutem priſtinam recuperaturum, cum ex ſupradictis duo ſint maniſeſta; primo morbum profundas radices adhuc non poſuiſſe. Secundo Naturam eſſe robuſtam, & vires validas, quæ duæ res breui ſalutem in iuuene pollicentur.

Pulſus peſſimi in mulieribus febricitantibus Medicos quandoque fallunt.

OBSERVATIO XLVIII.

QVæ timuimus pueri, adoleſcentes riſimus. Militem inexpertum ſtrepitus omnis examinat; duratus bellis nullo fragore concutitur; rudis nauta primo Ventorum murmure terretur. Gubernator antiquus, qui toties fatiſcentem, & exarmatam puppim perduxit in portum, ex alto deſpicit iratum Mare. Egregie Franciſcus Petrarca variar. Epiſtol. lib. epiſtol. 20. ad Gerardum fratrem ſuum hæc ſcripſit. Inexperti etenim homines cum Iuuenale motæ ad Lunam trepidabunt arundinis vmbram. Sic propemodum aliquando in Medicina ſuccedit; vidi enim quoſdam Medicos in mulierum curatione abſurda aliquando, & digna riſu proponere, & hoc totum pendebat, ex vtero, qui, vapores eleuans, paroxiſmos æmulatur, qui non cor aut

caput

caput petens (ut quidam credunt, quandoquidem moueri vltra certum terminum non poteſt) ſed fumis ſurſum aſcendentibus, per communionẽ arteriarum pulſus ſubuertit, ita vt peſſimi appareant, diſſipatis vero vaporibus pulſus regrediuntur. Itaque omnia aduertenda, ante quam prognoſticum fiat, ne ridiculus Medicus cum irriſione habeatur.

Phrenitici cuiuſdam robur admirabile.

OBSERVATIO XLIX.

QVorumdam vitam, vt ait Seneca epiſt. 67. Mors in medio flore præcidit, Aliorum interrumpit ipſa principia, alius inter cenandum ſolutus eſt, alterius ſomno continuata mors eſt, aliquem concubitus extinxit. His addere licet, alios ſanè mentis, alios è contra vltimum clauſiſſe diem, vt ſunt Phrenitici, qui tanquam belluæ, vt plurimum moriuntur. Sed quod mirandum exiſtit id eſt, nempe in vigore febris, vis ingens, & robur validiſſimum, quo mediãte Phrenitici aliquando portentoſa peragunt. Vnum inter cæteros obſeruaui, qui in furore morbi cancellos ferreos, ac ſi cerei fuiſſent, tractabat, pondera ingentia facillimè eleuabat, cum tamen tranſacto morbi vigore debilis, ita eſſet, vt ſurgere non poſſet. Ratio huius facilis eſt, nempe ſpiritus ignei, videlicet calidi, & ſicci, qui neruorum capita titillantes roboris huius cauſa erant. Diſſipatis ſpiritibus languor in corpore propter vim morbi ſummus aderat.

Co-

eſt, paulo ante ſentiens ægrotus inuaſionem imminentem, tempus habet idoneum ad hoc, vt poſſit ad locum tutum confugere. Reliquos epilepticos vidi, qui ſtatim cadunt, in hoc tamen hoc non accidit, ſed tempus habet, quapropter placente Deo ſperamus ſalutem priſtinam recuperaturum, cum ex ſupradictis duo ſint manifeſta; primò morbum profundas radices adhuc non poſuiſſe. Secundo Naturam eſſe robuſtam, & vires validas, quæ duæ res breui ſalutem in iuuene pollicentur.

Pulſus peſſimi in mulieribus febricitantibus Medicos quandoque fallunt.

OBSERVATIO XLVIII.

QVæ timuimus pueri, adoleſcentes riſimus. Militem inexpertum ſtrepitus omnis examinat; duratus bellis nullo fragore concutitur; rudis nauta primo Ventorum murmure terretur. Gubernator antiquus, qui toties fatiſcentem, & exarmatam puppim perduxit in portum, ex alto deſpicit iratum Mare. Egregie Franciſcus Petrarca variar. Epiſtol. lib. epiſtol. 20. ad Gerardum fratrem ſuum hæc ſcripſit. Inexperti etenim homines cum Iuuenale motæ ad Lunam trepidabunt arundinis vmbram. Sic propemodum aliquando in Medicina ſuccedit; vidi enim quoſdam Medicos in mulierum curatione abſurda aliquando, & digna riſu proponere, & hoc totum pendebat, ex vtero, qui, vapores eleuans, paroxiſmos æmulatur, qui non cor aut

caput

caput petens (ut quidam credunt, quandoquidem moueri vltra certum terminum non poteſt) ſed fumis ſurſum aſcendentibus, per communionẽ arteriarum pulſus ſubuertit, ita vt peſſimi appareant, diſſipatis vero vaporibus pulſus regrediuntur. Itaque omnia aduertenda, ante quam prognoſticum fiat, ne ridiculus Medicus cum irriſione habeatur.

Phrenitici cuiuſdam robur admirabile.

OBSERVATIO XLIX.

QVorumdam vitam, vt ait Seneca epiſt. 67. Mors in medio flore præcidit, Aliorum interrumpit ipſa principia, alius inter cęnandum ſolutus eſt, alterius ſomno continuata mors eſt, aliquem concubitus extinxit. His addere licet, alios ſanè mentis, alios è contra vltimum clauſiſſe diem, vt ſunt Phrenitici, qui tanquam belluæ, vt plurimum moriuntur. Sed quod mirandum exiſtit id eſt, nempe in vigore febris, vis ingens, & robur validiſſimum, quo mediãte Phrenitici aliquando portentoſa peragunt. Vnum inter cæteros obſeruaui, qui in furore morbi cancellos ferreos, ac ſi cerei fuiſſent, tractabat, pondera ingentia facillimè eleuabat, cum tamen tranſacto morbi vigore debilis, ita eſſet, vt ſurgere non poſſet. Ratio huius facilis eſt, nempe ſpiritus ignei, videlicet calidi, & ſicci, qui neruorum capita titillantes roboris huius cauſa erant. Diſſipatis ſpiritibus languor in corpore propter vim morbi ſummus aderat.

Co-

eſt, paulo ante ſentiens ægrotus inuaſionem imminentem, tempus habet idoneum ad hoc, vt poſſit ad locum tutum confugere. Reliquos epilepticos vidi, qui ſtatim cadunt, in hoc tamen hoc non accidit, ſed tempus habet, quapropter placente Deo ſperamus ſalutem priſtinam recuperaturum, cum ex ſupradictis duo ſint manifeſta; primò morbum profundas radices adhuc non poſuiſſe. Secundo Naturam eſſe robuſtam, & vires validas, quæ duæ res breui ſalutem in iuuene pollicentur.

Pulſus peſſimi in mulieribus febricitantibus Medicos quandoque fallunt.

OBSERVATIO XLVIII.

QVæ timuimus pueri, adoleſcentes riſimus. Militem inexpertum ſtrepitus omnis examinat; duratus bellis nullo fragore concutitur; rudis nauta primo Ventorum murmure terretur. Gubernator antiquus, qui toties fatiſcentem, & exarmatam puppim perduxit in portum, ex alto deſpicit iratum Mare. Egregie Franciſcus Petrarca variar. Epiſtol. lib. epiſtol. 20. ad Gerardum fratrem ſuum hæc ſcripſit. Inexperti etenim homines cum Iuuenale motæ ad Lunam trepidabunt arundinis vmbram. Sic propemodum aliquando in Medicina ſuccedit; vidi enim quoſdam Medicos in mulierum curatione abſurda aliquando, & digna riſu proponere, & hoc totum pendebat, ex vtero, qui, vapores eleuans, paroxiſmos æmulatur, qui non cor aut

caput

caput petens (ut quidam credunt, quandoquidem moueri vltra certum terminum non poteſt) ſed fumis ſurſum aſcendentibus, per communionẽ arteriarum pulſus ſubuertit, ita vt peſſimi appareant, diſſipatis vero vaporibus pulſus regrediuntur. Itaque omnia aduertenda, ante quam prognoſticum fiat, ne ridiculus Medicus cum irriſione habeatur.

Phrenitici cuiuſdam robur admirabile.

OBSERVATIO XLIX.

QVorumdam vitam, vt ait Seneca epiſt. 67. Mors in medio flore præcidit, Aliorum interrupit ipſa principia, alius inter cęnandum ſolutus eſt, alterius ſomno continuata mors eſt, aliquem concubitus extinxit. His addere licet, alios ſanè mentis, alios è contra vltimum clauſiſſe diem, vt ſunt Phrenitici, qui tanquam belluæ, vt plurimum moriuntur. Sed quod mirandum exiſtit id eſt, nempe in vigore febris, vis ingens, & robur validiſſimum, quo mediāte Phrenitici aliquando portentoſa peragunt. Vnum inter cæteros obſeruaui, qui in furore morbi cancellos ferreos, ac ſi cerei fuiſſent, tractabat, pondera ingentia facillimè eleuabat, cum tamen tranſacto morbi vigore debilis, ita eſſet, vt ſurgere non poſſet. Ratio huius facilis eſt, nempe ſpiritus ignei, videlicet calidi, & ſicci, qui neruorum capita titillantes roboris huius cauſa erant. Diſſipatis ſpiritibus languor in corpore propter vim morbi ſummus aderat.

eſt, paulo ante ſentiens ægrotus inuaſionem imminentem, tempus habet idoneum ad hoc, vt poſſit ad locum tutum confugere. Reliquos epilepticos vidi, qui ſtatim cadunt, in hoc tamen hoc non accidit, ſed tempus habet, quapropter placente Deo ſperamus ſalutem priſtinam recuperaturum, cum ex ſupradictis duo ſint manifeſta; primo morbum profundas radices adhuc non poſuiſſe. Secundo Naturam eſſe robuſtam, & vires validas, quæ duæ res breui ſalutem in iuuene pollicentur.

Pulſus peſſimi in mulieribus febricitantibus Medicos quandoque fallunt.

OBSERVATIO XLVIII.

QVæ timuimus pueri, adoleſcentes riſimus. Militem inexpertum ſtrepitus omnis examinat; duratus bellis nullo fragore concutitur; rudis nauta primo Ventorum murmure terretur. Gubernator antiquus, qui toties fatiſcentem, & exarmatam puppim perduxit in portum, ex alto deſpicit iratum Mare. Egregie Franciſcus Petrarca variar. Epiſtol. lib. epiſtol. 20. ad Gerardum fratrem ſuum hæc ſcripſit. Inexperti etenim homines cum Iuuenale motæ ad Lunam trepidabunt arundinis vmbram. Sic propemodum aliquando in Medicina ſuccedit; vidi enim quoſdam Medicos in mulierum curatione abſurda aliquando, & digna riſu proponere, & hoc totum pendebat, ex vtero, qui, vapores eleuans, paroxiſmos æmulatur, qui non cor aut

caput

caput petens (ut quidam credunt, quandoquidem moueri vltra certum terminum non poteſt) ſed fumis ſurſum aſcendentibus, per communionē arteriarum pulſus ſubuertit, ita vt peſſimi appareant, diſſipatis vero vaporibus pulſus regrediuntur. Itaque omnia aduertenda, ante quam prognoſticum fiat, ne ridiculus Medicus cum irriſione habeatur.

Phrenitici cuiuſdam robur admirabile.

OBSERVATIO XLIX.

QVorumdam vitam, vt ait Seneca epiſt. 67. Mors in medio flore præcidit, Aliorum interrumpit ipſa principia, alius inter cęnandum ſolutus eſt, alterius ſomno continuata mors eſt, aliquem concubitus extinxit. His addere licet, alios ſanè mentis, alios è contra vltimum clauſiſſe diem, vt ſunt Phrenitici, qui tanquam belluæ, vt plurimum moriuntur. Sed quod mirandum exiſtit id eſt, nempe in vigore febris, vis ingens, & robur validiſſimum, quo mediāte Phrenitici aliquando portentoſa peragunt. Vnum inter cæteros obſeruaui, qui in furore morbi cancellos ferreos, ac ſi cerei fuiſſent, tractabat, pondera ingentia facillimè eleuabat, cum tamen tranſacto morbi vigore debilis, ita eſſet, vt ſurgere non poſſet. Ratio huius facilis eſt, nempe ſpiritus ignei, videlicet calidi, & ſicci, qui neruorum capita titillantes roboris huius cauſa erant. Diſſipatis ſpiritibus languor in corpore propter vim morbi ſummus aderat.

Co-

Colicus dolor primo leuis, deinde maior, decem horarum ſpatio interficiens.

OBSERVATIO L.

PAtritium Romanum anno 1637. colica paſſio interfecit. Statim poſt prandium leuis dolor inuaſit, & per plures horas quaſi neglectus, aduentante veſpere maior factus, tandem decem horarũ ſpatio virum quinquagenarium circiter occidit. Caueant igitur Medici in doloribus, & præſertim colicis, quoniam ingens ſolutio cõtinui in inteſtinis admodum neruoſis, & propter hoc ſummopere ſenſitiuis Mortem inducit: quamquam in dicta curatione ritè omnia adminiſtrata fuiſſent, clyſteres, boli, fotus, & ſimilia, ſed crudelis morbi truculentia Patritium Romanum breui interfecit.

FINIS.

IA-

Digitized by Google

IATROLOGISMORVM
SIVE
OBSERVATIONVM MEDICINALIVM
Pentecoſte Quinta.

DOMINICI PANAROLI ROMANI
Philoſophi, & Medici.

Digitized by Google

Digitized by Google

AD LECTOREM.

ARISTIPPVS inter Græcos Philoſophiæ proceres præclarus, qui, cum Athenas profectus ad Antiſthenem, à quo ſæpè repulſus eſt, ſe contuliſſet, & importunè hæreret, adeo, vt cum baculo ipſum expellere tentaret, ipſe tamen conſtanter caput baculo ſic loquens ſubiecerit. Cæde ſi vis; at nullum inuenies baculum tam durum, quo me abs te abigas, dum aliquid dixeris; iſte inquam Ariſtippus rogatus aliquando, quę nam potiſſimum adoleſcentibus eſſent diſcenda, præclarè reſpondit; quæ viris vſui futura ſunt. Medici itaque ſi diſcere debent ea, dum ſunt adoleſcentes, quæ ipſis viris vſui futura ſunt, vtique obſeruationes ipſis neceſſariæ ſunt, quarum in præſenti quintam Pentecoſtem propono. Hilariter, vt nos offerimus, accipias. Id tamen alta mente Lectori liuido ſeruandum puto, quod Martialis epigramm. 8 lib. primi propoſuit.

Si qua videbuntur chartis tibi Lector, in iſtis,
Siue obſcura nimis, ſiue Latina parum:
Non meus eſt error, nocuit librarius illis,
Dum properat verſus annumerare tibi.
Quod ſi non illum, ſed me peccaſſe putabis:
Tunc ego te credam cordis habere nihil.
Iſta tamen mala ſunt, quaſi nos manifeſta negemus.
Hæc mala ſunt: ſed tu non meliora facis.

Arteriæ Cœliacæ monſtroſa diaſtoles.

OBSERVATIO L.

Dolia, ſi fundum guſtu tentaris, aceſcunt,
Protinus, vt dulci ſunt vacuata mero.
Et ſpacijs exhauſta ſuis annoſa ſenectus,
Iam præter fæcem nil habet, & choleram

Ex Othomari Luſcinij epigrammate optima Senectutis inſurgit comparatio, Senectus etenim, vt ait Seneca epiſt. 109. eſt morbus inſanabilis, quare non eſt mirum, ſi vt plurimum ſenes morboſi exiſtant. Vetulam ſexagenariam vidimus hic Romę apud forum Neruæ, quæ quotidie aſſumpto cibo poſt duas, aut tres horas ingentem fluctuationem in toto ventre patiebatur, nullã aliam ob cauſam, niſi ob maximam arteriæ Cœliacę diaſtolem, qua mediante totus venter eleuatus apparebat. Attamen admota manu mirum in modum ipſam venter eleuabat in arteriæ dilatatione: hæc autem fluctuatio, cum dolore, per horam circiter durabat, qua elapſa omnia ad ſtatum naturalem reuertebantur. Nos credimus ortum habuiſſe à flatibus in arteria poſt cibum contentis; quibus diſſipatis, fluctuatio euaneſcebat. Breui tamen lenta febre correpta occubuit.

Se-

Senes, & præcipuè ſeptuagenarij febricitantes, vt plurimum ſine febre exiſtimantur, & cito moriuntur.

OBSERVATIO II.

SEnes ex Hippocrate Iuuenibus ægrotant minus; frigidum enim eorum eſt corpus, ideo raro etiã febribus acutis corripiuntur, quoniam incendium nequit fieri in corpore, qui contrariam habeat diſpoſitionem, quando autem ardor penetrat, periculum maximum adeſt, tum quia indicat cauſam morbi fuiſſe validiſſimam, tum quia vires in ſene ſunt debiliores, tum quia Natura difficilè vires tentat. Sed difficillimum eſt in aliquibus exitum morbi prænunciare, cum pulſus, qui indicare ſtatum poſſent morbi, ſepulti ſæpè ſint, vt quandoque ab abſtantibus ſine febre exiſtimentur, cum tamen valde febricitent. Ex quo oritur inſperatus exitus, nimirum morientibus ſenibus dum amici, & familiares ipſos ſanatos omnino credunt. Sed hoc expertum non fallit Medicum.

Digitized by Google

Contra Vermes putredinemque in febribus malignis inſignem.

OBSERVATIO III.

INter mortales peſtis non tetrior vlla eſt,
Illo, fictitia eſt cuius amicitia.
Non vt ab hoſte caues, ſed fido ſicut amico:
Vnde ſolet damnis pluribus eſſe locus.

Hæc Paulus Meliſſus Biſantini interpres, e Græco in Latinum contra adulatores tranſtulit, qui aſſentationis artificio gratiam quærentes, fictè ad colligendam beneuolentiam loquuntur, quique ſicuti more ſolito minuunt maxima, ita è conuerſo augent minima. Hi adulatores, & præſertim Medici ſecundum axioma Plinianum compoſitiones, & mixturas inexplicabiles decantant, inter quæ primum ſibi vendicat confectio Hyacinthina, locum, de qua cum aliquas propoſuerit Septalius lib. 9. animaduerſ. 39. & 40. difficultates, tandem ſic loquitur, poſſe illam, & vtiliter in vſum duci, vt de electuario de gemmis diximus, facilè concedemus, at tot, tantaque præſtare poſſe, vt recentiores, iſti, & Principum Adulatores profitentur, non facile cōceſſerim, cum multa alia ſint Medicamenta ab antiquis tradita, & longa ſæculorum experientia probata, quæ paſſionibus illis cordis poſſunt auxilio eſſe, vt hac ſine detrimento Medicinæ carere poſſimus. Sunt equidem plurima medicamenta tutiora, et cum parua impenſa inuentu facilia.

Nos

Nos.ſi verum confiteri licebit, ſummopere abuſum damnamus in iſta confectione, qui eo altè radices iecit, vt nullus homo abſque confectione Hyacinthina mori poſſit. Nos feliciter abſque magna impenſa vtimur ſonco, tormentilla; ruta capraria, ſcorzonera, biſtorta, Carduo benedicto, Dictamno, Petaſite, Scordio, Vincetoxico, malo citrio, aqua theriacali, ſpiritu vitrioli, & his ſimilibus. Sed in febribus, vbi adeſt maxima prauitas, qualitas occulta, & venenata, aut copia vermium, ſæpè aquam ex Citrio malo diſtillatam vtiliſſimam inueni. Diſtillatur per Mariæ balneū, prius Citrio malo ſerra ferrea in minutiſſimas partes redacto, hoc facto ponitur totum malū Citrium ad diſtillādum, nempè cortex, pulpa, ſemina, & aciditas ſimul cōfuſa: habebimus aquam pretioſiſſimam omni Hyacynthina confectione nobiliorem. Doſis ipſius ſit per horam ante cibum ab vncijs duabus ad yncias quatuor, quinque, atq; etiam ſex. Vermes necat, putredini reſiſtit, cor mirifice tuetur, & vires fouet; poteſt etiam, vel ſola, vel cum iure, aut alijs aquis miſceri.

Puer ſecundum agens annum, inſomnis omnino per ſex menſes remanſit, nunc vero 13. annorum cum ſit fatuus eſt.

OBSERVATIO IV.

EX Ouidio lib.2. Amor.

Stulte quid eſt ſomnus, gelidæ niſi mortis imago?
Longa quieſcendi tempora fata dabunt.

Hinc ſomnus mortis frater ab antiquis eſt appellatus, nō quod cum Morte vinculum habeat aliquod; ſed quia ex Ariſt. de gener. anim. ſomnus talis ſua natura eſſe videtur, vt viuendi, & non viuendi ſit medium, & neque omnino ſit, qui dormit, neq; non ſit: hic vero homini neceſſarius ex Seneca de ſuperb. quoniam, vt ipſe aſſerit, ſomnum Dij nobis dederunt requiem, & laborum obliuionem. Vidimus tamen puerum decem, & octo menſium, per ſex integros menſes omnino inſomnem manſiſſe, ſine vlla, vel minima requie, ſed ſemper aut eiulabat, aut volis manuum ſtrepitum faciens, domeſticos ad ſurgendum impellebat. Qua cauſa id factum neſcimus, ni fortaſſe à fatuitate ortum ducere hoc dixerimus, etenim modo, cum ſit annorum tredecim, fatuus feralem, & vt melius dicam, brutalem infelix ducit vitam.

Digitized by Google

Mulier formoſa, ſed ſummopere in vultu lanuginoſa.

OBSERVATIO V.

FAſtus ineſt pulchris ſequitur ſuperbia formam. Ex Ouid. lib. 1. Faſt. formæ etenim mulieres, quaſi ſolidiſſimo fundamento innixæ, nimium ſibi placent, arrogant pluſquam liceat, altiuſque quam oporteat ſeſe extollunt. Non fuit autem ſic quædam, attamen formoſa noſtri temporis mulier, quæ potius erubeſcebat, dum ſe lanugine copioſiſſima coopertam in facie intuebatur, quæ lanugo ſubtiliſſimum ſericum æmulabatur. Gratum oculis, & aſpectu mirabile, & præſertim in fœmina.

Lapides carbones repræſentantes per lotium expulſi.

OBSERVATIO VI.

CVnctarum nouitas gratiſſima rerum. Semper fuit vt cecinit Ouid lib. 3. de Ponto. quæ ita animum voluptate perfūdit, vt homines hoc perciti ſtimulo nil aliud, quam res nouas, quærant. Hinc obſeruationes ſummopere, præſertim in re Medica, delectant, cum in illis ij, qui nouitati ſtudent, recreentur.

De

Digitized by Google

De calculis plurimi plurima ſcripſere, ſcilicet de ipſorum ortu, cauſis, differentijs; & nos etiam aliqua ſuper hac materia aliquando tetigimus. Nunc vero pulchrā oſtēdimus obſeruationē nobiscōmunicatā a diligētiſſimo viro Marcello Luccio totius ſtatus Eccleſiaſtici, atque almæ Vrbis in præſenti Prothomedico Generali.

Monialis quædam nobilis diu doloribus nephriticis vexata, expulſit tandem per vrinarios meatus lapides, qui abſolutè figura, ſubſtantia, colore carbones repræſentabant Sic humanum corpus, vt priſci ſcripſere, Macrocoſmum æmulatur. Fortaſſe in renibus Vulcani antrum aderat; aut potius Aethna furens, è ſuo gurgite carbones euomebat. Miranda obſeruatio, vt & ſequens, quæ ab ipſomet D. Marcello proprio calamo exarata, vt tibi propono, mihi miſſa fuit.

Hepar in ſiniſtris, & Lien in dextris.

OBSERVATIO VII.

Die 17. Decembris 1643 hora circiter 2. noctis acceſſit in noſtro Xenodochio Beatiſſime Virginis Conſolationis Antonius quond. Franciſci Palazzi annorum 57. famulus Eminentiſſimi D. Card. Columnæ vulneratus ab Inſtrumento bellico, vt vulgo dicitur Scloppetro, ſiue Terzarolo in ventre Inferiore, vulnus autem erat huiuſmodi. A dextera parte prope ſpinalem medullam, quatuor digitis ſub regione renum ingreſſus erat, & tranſibat per [illegible] ad partem ſiniſtram

ſtram exitus erat, ita vt neceſſario colligatur in dicto Inſtrumento adfuiſſe ſaltem duos globulos, quia vnus inuentus intus fuit, figura vitiatus ſuper reſiſtentiam oſſium, & alter ratione orificij ſiniſtri, exitum petierat, & hoc totum vidimus ex ipſius diſſectione poſt mortem. Vixit tantum horas triginta circiter, obijt enim die 18. hora circiter ſeptima noctis: qua occaſione ſtatim obſeruatum fuit Hepar in ſiniſtra parte, & Lien in dextra: nec non etiam obſeruauimus ventriculos cordis, ſitum, & venam Azygos omnia mutata: non eſt mirum, quia Schenchius etiam obſeruauit, vt libro ſuarum obſeruationum, & ab alijs ſcriptum etiam refertur in eiſdem ſuis obſeruationibus, in quorum fidem hac die 19. Decembris 1644.

Marcellus Luccius Phyſicus eiuſdem Xenodochij manu propria.

Pleuriticus quadraginta puris vncijs per vrinam excretis iudicatus eſt.

OBSERVATIO VIII.

QVamuis ex Græco Palladæ Epigrammate.

Omnes ſeruamur Morti, nutrimur eidem.
Vt porci, quibus eſt mox obeunda dies:

Tamen huius lucis vſuram amittere, & de hac decedere vita omnes timent. Omnibus impendet Mors; hac lege creata ſunt omnia, vt extinguantur; ſed vt ſcripſit Boetius lib. 3. proſa ij, omne animal tueri

ſalutem laborat, mortem verò, perniciemque deuitat. Hinc etiam videmus toto conatu, totis viribus Naturam ſemper indiuiduum conſeruare. Exemplum proponant Pleuritici, qui in ſumma deſperatione per criſim expellunt materiam morbificam per vrinarios meatus. Religioſus quidam Pleuriticus ferè deploratus, noctu quadraginta puris fœtidi vncias per vrinam excreuit, & ſtatim iudicatus eſt. Vrina autem egrediebatur cum dolore, & ſtranguria. Hoc rectè animaduertit, & poſteritati conſignauit Hippocrates ſection.2.lib.primi Epidemiorum. Multi vrinas profundebant cum dolore, bilioſas, aqueas, purulentas, abradentes, ſtrangurioſas, quæ tamen non erant nephriticæ. Per quas autem vias profluat pus à Thorace ad renes, mirè explicat Galenus. lib.6.de locis affectis, cap. 4. dum inquit quod leuis arteria pulmonis, quantum puris, ex rupta vomica ſuſcipit, id in ſiniſtrum cordis ſinum deferre poteſt, quod inde per arteriam magnam in renes fluit. Quomodo autem id fiat abſque mortis periculo, egregie explicat Andr. Laurent. hiſtor. Anatom. lib.9.quæſt.7. qui mirificè Galenum tuendo rem totam pandit, & examinat.

Mu-

Digitized by Google

Mulier in Cute ſquamas vndique repręſentans citra morbum.

OBSERVATIO IX.

Non Amor eſt, quando pulchra quis amante potiri.
Ardet, in hoc oculos mente ſequente duces.
Quiſquis ad informem, furijs agitatur, & œſtro,
Deperit, inſani cordis ab igne calens:
Hic amor, hic ignis, quod pulchrum eſt, afficit omnes,
Iudicium formæ ſi modo ferre queant.

Eleganter Ruphinus in hoc epigrammate quorumdam Amorem caſtigat, qui Cœco Cupidinis igne inflammati, non propter formam, ſed propter inſaniam, incendia pharetrati pueri patiuntur. Forma verò nil aliud eſt, quàm mirabilis partium omnium diſpoſitio, ita vt ſi alicubi deficiat, forma ea in parte pereat. Vidimus nos pulchram mulierem, ſi eam è longinquo aſpicias, ita vt nil formoſius intueri poſſit, ſed ſi forte amator aliquis accedebat, inueniebat miſer, quod roſę inter ſpinas, & mella inter aculeos degunt. Quoniam cutis, piſcium, aut ſerpentum more, ſquamas minutiſſimas repræſentabat, quę tanquam acutiſſimè ſpinæ, tactum mirificè lædebant. Hoc autem nullo modo credas lector ortum habuiſſe ab aliquo morbo, vt puta Scabie, Elephantiaſi, & ſimilibus, ſed res erat abſolutè naturalis. Si omnes mulieres ſimile haberent tegumentum, fortaſſe homines plurimi laude pudicitiæ

celebres, laſciui cœtus turpia fugientes conſortia, puros ſe conſeruarent. Videas modo lector 4. ſequentes obſeruationes clariſſimi doctiſſimique viri Antonij Vitagliani proprio conſcriptas calamo.

De Morbo ſtrangulatorio D. Antonij Vitagliani Ceperanenſis, ad Excellentiſſimum Dominicum Panarolum Condiſcipulum cariſſimum.

OBSERVATIO X.

OBſeruationes, quas mihi retexendas, & conſcribendas petijſti, vt in tuis, quos literis commiſiſti ſermonibus excudendis immiſcere, valeas excellentiſſime Muſarum, atque Apollinis alũne Panarole, non longè, lenteque, nec diu elaboratas, ſed celeriter, & infra quatriduum currenti exaratas calamo tibi mitto, etſi meaptè natura tardiuſculus, & moroſior ſim in ſcribendo; benè, an malè, tuum eſto iudicium ſincerum, rectum, minimeq; fucatum. Et primo mixtam de morbo ſtrangulatorio obſeruationem, de quo ſcio diligenter te ſcribere Pentecoſte 3. obſeruat.4. cui nomen Anthracoſæ, ſeu Carbunculoſæ Anginæ ipſe indidi; vtpotè, quæ à Carbunculi, ſiue Anthracibus ſuum excubat ortum, quemadmodum in enarratione 4. lib.9. mearum enarration.& curat.Medic. ſuſiſſimè diſſerui, & doctè Anginam à contagio peſtilentem appellaſti.

Mul-

Multis iam ab hinc annis peruagatus hic morbus, contagio pollens contermina noſtra hæc oppida penitus depopulauerat, quando Franciſcus Filius Santorij de Angelis è Caſtro Fabrateriæ, puerulus annorum fere quatuor eodem hoc angebatur affectu, & cum ſuffocari, ac ſtrangulari quodammodo videretur, ad feretrum prope vicinus, Armellina illius oppidi obſtetrix acceſſit illico, & immiſſis in gulam digitis ad ſtrangulatorios amphractus reſerandos, tres ex illis fuerunt à dicto patiente ſæuiter præmorſi, & ſtatim in ſinguli cuiuſq; morſu ſubortus fuit Carbunculus, peſtiferum Anthrax, quod illius guttur, peſtilenti iam communicato viru, ruenter petijt.

Ad ipſam accitus remedio, quod longa experientia præſentaneum aduerſus haſce ſæuientes faucium labes obſeruaueram præſcripto Pharmaco, non multum ab aſſumptione poſt feliciſſimo cum ſucceſſu probe conualuit.

Puerulum item immediatè expurgaui, nulla intercedente Nutrice, vt Antiqui ſenſere, quia, antequam lac rectificetur, moritur æger acutiſſimo hoc correptus morbo, quemadmodum ſupradicta enarrat. 3. lib. perdocuimus in lactentibus puerulis, quibus exhibebamus Guttigamm, vel Guttigummā, quam Doctiſſimus Petrus Caſtellus communis doctor peculiari quodam ſuo tractatu Chryſopum appellauit, papillis vberum grano vno, vel altero illius iam conſperſis de noſtro inſtituto, & ſaluberrimo cum euentu.

De

294

De Mola ſtomachi Antonij Viragliani Ceperenſis, ad D. Dominicum Panarolum virum Excellentiſſimum.

OBSERVATIO XI.

RErum nouarum aliquid vacat audire erudi-tiſſime Panarole, quod obſeruationum tuarum volumini feliciori cataſtrophe intercludere valeas; mirandum eſt dictu, ſed multo prodigioſius viſu. Iuuenis quidam nomine Bonifacius Vallis Coccia à Ceperano annorum fere triginta ſeptẽ, complexionis Melancholicæ, habitu corporis gracili; pilis nigris, & hirſutis ſcatens, tempore Autumnali anno 1646. cum alias conqueſtus eſſet de copioſi ſanguinis vomitu ad plures vices emanati, propter hemorrhoydarum retentionem, vexabatur tunc intenſiſſimo ventriculi dolore, qui nec anodinis, neque Narcoticis ſedari poterat medicaminibus, ad cauſæ remotionem accitus, me contuli vomitorio elleborato exhibito, & poſt vnius heminæ, atri ſanguinis retenti, deiectionem, coadiuuante iam arte, molam carneam, ſiue carunculam quamdam damaſceni magnitudine, & figura ſubſequenter à ſtomacho reiecit.

Erat caro hæc otioſa informis inſtar molæ deſcriptæ à Galeno 14. de vſu part. habebat nihilominus quaſdam rudes delineationes in rotunditate, & in figura Pruni, cum eiuſdem pedicillo; erat duarum vnciarum pondere, ſpongioſa, carnem hepatis colore, & conſiſtentia præſeferens; in ſuperficie

cie erat dura, quemadmodum Plinius, & Ariſtoteles de mola annuunt, & hoc nonniſi, quia pellicula, ſeu membrana foriнſecus circumpoſita, mediam fere caruncul am iſtam obuallabat; nam, quod glutinoſum, & pingue ſupererat, aſſabatur à calido, & membrana, ſeu tunica iſta, efficiebatur, vt docuit Hippocr. lib. de carnib.

Cauſas crederem fluxus hemorrhoydales retentos, & in ſtomachum regurgitantes, ſicut in vtero menſes, ex Hippocrat ſententia lib. de ſterilibus. Stomachus enim, & Vterus ita pari modo alliciunt ſanguinem ex Gal. lib de ſemine cap. 4. vt conſimilia ſymptomata producere ſint apta. Quare opus fuiſſet hic Thomã Bartholino Dano, viro doctiſſimo, qui hanc molam, & calamo pingere, & ſermone explicare potuiſſet in ſua Anatomia reformata.

De

Digitized by Google

De Calculo Inteſtinorum Clariſſimi viri Antonij Vitagliani Ceperanenſis ad D. Dominicum Panarolum in Almæ Vrbis Archigymnaſio Anatomes, & Pharmaciæ Profeſſorem.

OBSERVATIO XII.

OBſeruationes tuas doctiſſime Panarole, cuiuſcunque tandem illæ generis ſint, ſeu ſtrictiore, ſeu laxiore manu conſcriptas, Pindum redolere, illiuſque amœna vireta nemo non nouit; meas autem illis commiſcere, quà inſipidas, quà fœtidas, nefas ſanè videbitur, vtpotè quas Calliope, & Minerua minimè aluit, vt eminere, & gloriari valeant.

Lapides in inteſtinis geniti nonniſi in hirundinibus (quod ſciam) meminit Galenus lib. de incantat. quamuis vir eximius Vincentius Alſarius Crucius olim Gregorij XV. Pont. Max. Medicus intimus, præclariſſimus Doctor meus, vna mecum obſeruaſſet exeuntem ex ano lapidem, qui ob duritiem in excretione ſcaphium confregit, id quod & ipſe poſtmodum, cum Medicinam facerem anno 1630. in quadam Ceperanenſi Matrona Eliſabetta Goffredi nomine duos obſeruaui lapides, ab inteſtinis eiectos, duriſſimos, ponderis ſingulorum, vnius vnciæ, ex materia, quam nos vulgari noſtro idio-

mate

mate (Calciarenam) dicimus, ita inteſtinorum muco compactos, & in ſuperficie cruſtatos, vt vix malleo confringi potuiſſent.

Lapideſcit materia iſta in inteſtinis, quemadmodum in abſceſsibus, ex Gal. 14. Meth. lib. de tremor, & ſecundo ad Glaucon, aut ſicut in articulis ex eiuſdem Galeni ſententia eodem 14. cit. quia eſt craſſa, & terrea ex 4 de ſimplic. Medic. facult. Cũque requiratur iſta craſſities adhoc, vt generetur lapis ex lib de renum affection. ob ſiccitatem, & frigiditatem conſtans, ita ſimul requiritur mucus, vt ſcoaleſcat in vnum, quemadmodum in lapide Veſicæ fieri videmus.

Si arridet opinio ſuſcipe Panarole, ſin minus excipe, noſtræque obſeruantiæ ſemper memineris, & vale.

De lumbricis roſtratis Antonij Vitagliani ad Dominicum Panarolum Condiſcipulum.

OBSERVATIO XIII.

Obſeruationem aliam addam ſcribentium fere omnium Archetype Panarole, vt planè perſpicias me omnem daturum operam, vt mei tibi debitum, ſtudium, & obſeruantiam numquam deſideres. Anno 1643. quo tempore canebatur diſſidium, pedites noſtri milites ſub Frenſanelli vexillo, militiæ tyrocinium exercentes, ab Vrbis Veteris præſidio iam reuerſi, ſæuiſſimam peſtilentiam

contagioſamque cędem, cum putridiſſima febri ad nos met adduxerunt, vt propterea communicata labe, centum triginta, & vltra ægrotantes quotidie viſitauerim, ipſe licet feliciori cum euentu, eoque omnium ferè ſalubri, detecto more, morbique ſæuitie, mei obſeruatione, quam maximè accurata. Cumque vermes cuiuſcumque generis in abundantiſſima excreuiſſent copia, ex his vno Antonio de Polito, è Caſtro Strangulagalli mixturam ex corallina, ſantônico, contrahierua, & melle roſaceo exceptam ſumendam exhibui, à cuius aſſumptione vnica tantum vice vltra mille deiecit, ſine alijs recrementis, vermes, non maiores cucurbitæ ſemine, ſed rotundiores, & piloſos, habentes roſtrum acutiſſimum nigrum in ore inſtar Animalium, quæ vites conuoluunt, & Muſculæ à Ruſticibus noſtris vocantur, vt expleta ex illis patina grandiori Arpinenſi, mihi in platea illius Caſtri, populo coram, per vxorem videndos miſit, quos cum non ſine admiratione, tunc obſeruaſſem, ita non ſine horripilatione, nunc tibi recogito. Hęc ſatis dixiſſe ſufficiant Amice cariſſime præ temporis anguſtia, cum mens præcipiat Muſas euocare Romanas, & Rauuiuatum meum concinnare Cepranum: ideo votum reponens me tibi commendo.

Spi-

Spina triceps lapidea inter duram, & piam meningem reperta.

OBSERVATIO XIV.

Quam barbam credas mentem formare beatam,
Quà muſcas poſſis pellere, barba tibi eſt.
Rade cito barbam, ſpecie deceptus honeſti es.
Non mentes, lendes nutriet illa magis.

Hoc Lucillij epigramma acerbè repræhendit quorundam temeritatem, qui non in ſtudio, & exercitatione, ſed in barba ſpem collocant. Nec barba, nec Aetas Philoſophos facit; ſed diligentia, Natura, ſtudium; & exercitatio. Qui maiorum Medicorum laudibus reſpondere ſtudent, Virtuti incumbant; non licet ipſam negligere; hoc conuenit; hoc poſtulatur, & tamquam debita res exigitur.

Antonius Vitaglianus condiſcipulus noſter cariſſimus virtutis gratia, quæ ſola perennis triſtia extremi rogi fata effugit, in hoc ſemper ſeſe exercuit, & plurima poſteritati doctè,& luculenter conſignauit, qui,cum de abuſu Tabacchi ſcribens, quid de hoc ſentirem, quæreret, Epiſtolam noſtram præcipiti exaratam calamo recepit,in qua, quia mirandã obſeruationem oſtendi,hic fortaſſe non iniucundum erit eandem epiſtolam repetere.

Perill. & Excellentiſſimo D.
D. ANTONIO VITAGLIANO
Condiſcipulo diligentiſſimo, & Scriptori
eruditiſſimo,
DOMINICVS PANAROLVS ROMANVS S.

QVamuis dura ſit pugna conſuetudinem vincere ex D. Aug in pſalm. 30. tamen ex eodem de verb. Apoſt. ſerm. 17. refrenanda eſt mala conſuetudo; refrenata enim reſtringitur, reſtricta languеſcit, langueſcens emoritur, & malæ conſuetudini bona ſuccedit. Paratus ad bellum deſcendis in arenam; ſequere; pugnare non deſiſtas contra lethalem noſtri temporis conſuetudinem, vt experientia optimè patet in ſumendo Tabaccho. Venenoſa planta aquis Acherontæis irrigata, per orbem ad necandos homines vagatur. Scripſiſti, vt quid ſentiam tibi pandam, ſed temporis breuitate adſtrictus (vrget enim tibi celeritas) breuiter quid de hac planta obſeruaui tibi ſcribo. Nicotiana, Petum, Tabaccho, Herba S. Crucis, Hyoſcyamus Peruuianus, diuerſa enim habet nomina, quamuis aliquas facultates Medicas habeat, tamen ſicuti hodie eſt in vſu, aut in puluere, aut in fumo, narcoticam, indeque venenatam poſſidet proprietatem, & quotidie uidemus Tabaccho vtentes cephalicis, & Epaticis morbis vexari, breuiterq; viuere. Videas, quid de hoc ſcripſi in Apolline Pythio; ſed caſum tibi narrabo pulcherrimum ad fugandum huius maledictę plantæ vſum, dum ſulphure ſuo arſenicali, quo maximè abundat cerebrum lædit, Au-

Digitized by Google

Audias igitur, & audiant Tabacchi patrocinatores, & Tabacchantes.

Philippus de Arantio Cuſentinus ſuſpenſus in Platea pōtis hic Romæ die 9. Februarij huius anni 1650., qui quotidie Tabaccho, tum in fumo, tum in puluere vtebatur, à me in Almæ Vrbis Gymnaſio publicè ſectus, ſpinam quamdam oſſeam, ſeu potius lapideam tricipitem, Neptuni Fuſcinam repræſentantem habebat, inter duram, & piam meningem, in parte ſiniſtra prope falcem, è directo interſectionis commiſſurarum coronalis, & ſagittalis; ſed piæ ita fortiter adhærebat, vt ſine laceratione ipſius auelli non poſſet; quin immo acuminibus in cerebri ſubſtantiam ingreſſa conſpiciebatur, vt publicè viderunt omnes, qui Anatomen inſpexerunt, quare, ſi ſuſpenſus non fuiſſet, certè breui temporis ſpátio moriebatur, apparebant enim circa ipſam ſpinam inflammationis rudimenta, quæ lapſu temporis hominem è medio ſuſtuliſſent. Plura dicerē, ſed quia te de hoc doctè differentem intelligo, finem impono, me tibi commendans, ſicuti etiam facit Magiſter noſter Petrus Caſtellus in critica doctrina ſuper Hippocratis aphoriſmos, qui labores tuos cupide expectat. Vale Romæ 23. Maij 1650.

Ver-

Vermes prægnante s per os, & ſeceſſum expulſi.

OBSERVATIO XV.

Lux lucem premit, obrepit Mors atra repente,
Et nos ſecuros abripit hora necis.
Conſumit, coquit, explet: Tabes, Febris, Hydropſque
Multos: aſt omnes Styx rapit vna viros.

Ex Græco Abbiani epigrammate Fati lethalis vis exageratur, ipſiuſque rabies, quæ multiplici morbo comitata, ſceptra toti Mundo communia tenet, quæ prodromos quandoque ipſa horribiliores pręcedere iubet. Inter quos vermes exiſtunt, qui non in viuentibus, ſed in mortuis reperiri deberent. Amplius, ò mirandum dictu,in humano corpore orti, prolifici redditi, creſcunt, & multiplicantur. Sed quid dico,ſtatim audire licebit reclamãtes Philoſophos aliquos, qui id impoſſibile tenent. Attamen dum ipſi philoſophantur,vermes prolificos, & viuiparos intueri licebit. Bis tantum obſeruaui. Primo in adoleſcente quodam hic Romæ prope D. Mariam ſupra Mineruam, gentis Molellæ annorum 16. Secundo in iuuene,fratre Vxoris Caroli Oſſatti Notarij Capitolini, Romano,annorum circiter triginta, qui infinitis adhibitis contra vermes, & putredinem præſidijs obiere. Primus tamen febre hectica correptus centeſimo, & vigeſimo ſecundo die deceſſit; hic vero tertiana duplici continua vexatus decima ſeptima die mortuus eſt.

Sed ad rem noſtram in vtroque expulſi fuerunt vermes colore carneo, longitudine circa ſexdecim digitos, qui prægnantes erant, & ligno colliſi cum fuiſſent, apparuerunt vermes parui, ſubtiles, albi longitudine ſex digitorum prope innumeri, qui tanquam ſerpentes parui mouebantur. Hoc idem obſeruauit Amatus Luſitanus Cent.5. curat.46. his verbis. Porro puella Scarintij cum vermibus quoque laboraret, & illi tarde medicamentum datum eſſet, vnum permagnum egeſſit vermem rotundũ, cuius cum Pater caput pede calcaſſet, ex eo alij prodiere vermes, puella breui tamen mortua eſt. Ex quo colligitur inſignem eſſe putredinem, quandoquidem, dum vermes iſti prolifici apparuerunt, vt ego obſeruaui, & dictus Amatus in dicta centuria teſtatur, ægrotantes mortui ſunt.

Tumor Veſicalis.

OBSERVATIO XVI.

MArſilius Ficinus in Plat. aſſeruit, oportere vnumquemque artem ſuam ſtatim à puero, & in omni vita aſſiduè exercere. Sic etenim diligens, exercitatus, & doctus euadit. Medicina hoc, plus quam aliud, requirit, quoniam quotidie noua, & miranda eueniunt; in quibus, qui maiores fecerit oberuationes is melior erit. Cum eſſem in Noſocomio S.S. ad Sancta Sanctorum medicinam exercens, quo tempore ibidem Chirurgus erat D. Nicolaus Larcheus celeberrimus vir, iuuenis quidam ægro-

ægrotans venit cum tumore è directo regionis hepatis, quę, cum ad ſuppurationem tenderet, ſcalpello aperuimus. Celebrata ſectione, mirandum dictu! multæ veſicæ gallinarum oua, ſeu, vt melius dicam internos piſcium globulos, repreſentantes apparuerunt, quæ aquoſo humore repletæ, & integrę, & fractæ quotidie cum pure modico egrediebantur; ita vt intra quindecim dies, & amplius ferè mille veſiculæ egreſſæ ſint. Sed cum æger in deterius laberetur mortuus eſt. Secto corpore hepar in conuexa parte totus veſiculis tam paruis quam magnis refertus erat: reliqua vero viſcera, vt in alijs, ſine labe, reperta fuere; ſimilem caſum, ſed cum aliqua differentia ponit Ioachimus Camerarius de obſeruat. propriis apud Schench. lib. 3. obſeruat. Medic. ſection. 2. obſeruat. 23.

Monſtroſa Vrinæ, & quandoque fæcum in mulieribus ſuppreſſio.

OBSERVATIO XVII.

Diuus Auguſtinus in quæſt. nou. & vet. teſtam. loquendo de homine hæc protulit. Hęc imago Dei eſt in homine, vt vnus factus ſit Dominus, ex quo cæteri oriantur, habens imperium Dei, quaſi Vicarius eius; quia vnius Dei habet vir imaginem. Ideoque mulier ad imaginem Dei non eſt facta, ſic etenim dicit; & fecit Deus Hominem, ad imaginem Dei fecit illum, hinc etiam Apoſtolus: Vir quidem, ait, non debet velare caput; quia ima-

imago, & gloria Dei. Mulier ideo velet, quia non eſt imago, aut gloria Dei. Qui crudelibus odijs cõtra mulieres inſurgunt, quique nouercali ardore ipſas perſequũtur, huic Auguſtinianę ſententię innixi largum ad inuectiuas conficiendas, campum haberent. Atque inter alia dicere poſſent mirum non eſſe, ſi tot defectus tum animi, tum corporis in illis reperiantur; quoniam ſi comparentur homini perfecto, hac de cauſa imperfecta ſunt animalia. Relictis hiſce ad rem medicam deueniamus.

Triplex mihi occurrit caſus, in vrinæ ſuppreſſione in mulieribus, proponendus, à doctiſſimis Vrbis Medicis propoſitus.

Primus eſt fœminæ cuiuſdam iuuenis, quæ vt narrauit mihi D. Marcellus Luccius, inſignis Medicus, cum in vrinæ, ſuppreſſionē incidiſſet, nec per octo integros dies aliquid vrinæ excerneret, tandē nona die reſerato ductu, & vrina immodicè fluxa conualuit.

Secundus accidit in Franciſca Timonella innupta prope domum D. Matthei Pariſij, Medici celebris, quę, vt ipſe mihi retulit, cum inſtantibus mēſtruis, lauacro aquæ frigidæ vteretur, vrinę ſuppreſſione vexata per dies decem, nihil omnino minxit. Tranſacta decima die minxit; ſed ſtatim noua ſuppreſſio ad dies alias decem propagata fuit. Quo tempore inter alia remedia ter cantharides aſſumpſit, nempe prima vice vnicam, ſecunda binam, tertia ternam, atque interim dum menſtrua inſtabant, hæc ſequentia miſerrima patiebatur; videlicet grauamen in pectine, inappetentiam, ſpirandi difficultatem, & Tibiarum, Abdominis, Gulæque tumorem. Tranſacta vigeſima die, patefacta via &

vrina copiosè fluxa integrę ſanitati reſtituta eſt.

Tertius Mulieri pulchræ accidit, vt infra videbimus, qui caſus, cum proprio deſcriptus calamo à D. Ioanne Preſſio doctiſſimo, mihi communicatus fuerit, hìc ponitur.

Illuſtris D. Angela *Salida* quadrati, ac carnoſi habitus, eußarcon Græci *vocant*, proceræ ſtaturæ, formoſa tamen facie prædita, ſympt. in genere excretorum, toto genere præter naturam retentorũ, lotij videlicet, ac fœcalium excretionum 14. dierũ ſpatio fuit diuexata; idque poſt ingentia animi pathemata tertia noctis hora illi contigit. Itaque Perilluſtris, & Excellentiſſimus primo loco accitus Medicus pro præfatis profligandis ſympt. præcepit fotus ex meliloto, parietaria, floribus chamæmeli, &c. nec non vnctiones ex oleo de ſcorpionibus, ac emolliens clyſma; quæ profuere nil. Alter aduocatus Medicus medelam præſcripſit ex melle roſac. ſolut ad vncias quatuor cum drachma dimidia diaphæn. ac vncijs tribus ol. recent. amigd. dulc. quæ nil molita eſt per vtramque ſemitam; altera die fuit ſecta vena dextri tali ad vncias 8. prius iniecto clyſt. ex mell. roſ. ſol. ſaccar. rubro, ol. rutac. & vncia 1. hieræ picræ, cum decocto communi. & carmin. Aluus depoſuit nihil. Cathetere pluries fruſtra vſurpato, deuentum ad Hydiæleum; accepit bolum ex Aloe ſuccotrin. troch. Alhand. & diachryd. a gran. octo cõcinnatũ, & immediatè ſuperbibit ole. amigd. dulc. recent libram dimidiam. Accepit ſcialappæ drachmam vnam, & ſemis. Nihil prorſus excretum, nec per aluum, nec per lotium. Octaua die accepit grana ſex ſtybij in vino albo, ſed in caſſum. Die decima ſumpſit aquam tectutianam de more,

ſed

ſed per horam ante. drachmam ſemis tartari præparati cum gran. 16. diachryd. abſque fructu fuere repetita plura enæmata ex oleo, & butyro recent. ex bened. laxat. ex ſimplici oleo dulci, ſed fruſtra omnia. Item propinatum ſerum caprillum ; ad veſperam, parum d. iecit. Die vndecima minxit ad vncias quinque. Immiſſa in anum candela palmaris longitudinis, facto linimento ſuper vniuerſũ abdomen de Arthanita maiori, & propinato oleo amigd. dulc. recent. ad libram vnam, & ſemis, receſſit aluus copioſè ſatis, & minxit copioſiſſimè ad libras quatuor, & illicò detumuit abdomen, remiſit dolor, euanuit durities, præcipuè circa hypochond. ſiniſtrum ; remanſit ſtupor ſiniſtri femoris.

Circa ſymptom. indagandas cauſas acriter digladiati sũt DD. Phyſici & Chirurgi. Alij enim ex craſſa, lentaque pituita, imò gypſea id mali contigiſſe cenſebant. Alij verò altiori callo inteſtina conſtricta, adeoque inde iter anguſtum, vt deiectiones tranſmitti non poſſent, vt accidit cuidam Moniali in Cœnobio D. Donati Auctore Beniuenio, indeque renum compreſſio, vrinæq. retentio, veſica malum non patiente. Alij inteſtinum Colon, qua parte vicinum eſt reni ſiniſtro, vbi dolor vehementius vrgebat, collecta veluti cartilagine dura in ſcyrrhum obdurnerat interiori cauitate ; vt nihil tranſcurreret, per vtrumque emiſſarium, vt etiam Hollerius de morbis internis ſe obſeruaſſe fatetur in D. Zolin. Medico, & Aduocato, & quoniam de rebus internis, ac difficillimis magis opinio, quàm ars iudicat, idcirco res præter omnium ſpem feliciter ſucceſſit.

Hæc eſt, vt docta, ita ſummopere erudita Ioannis Preſſij relatio. In qua, vt etiam in duobus ſupe-

rioribus caſibus duo difficillima ſeſe offerunt examinanda.

Primum à qua cauſa iſtæ vrinæ ſuppreſſiones veriſimiliter oriri poſſint.

Secundum, quomodo dicta vrinæ ſuppreſſione per longum tempus durante, poſtmodum iudicétur & integra fruantur valetudine; cum axioma Medicum etiam lippis, & tonſoribus vulgatum ſit, quod ſi ante ſeptimam non mingant omnes moriuntur.

Circa cauſas, omnes eas eſſe crederē, ex quibus vrinæ ſuppreſſio oriri poteſt, vt puta, calculus, arenulæ, materia viſcida obſtruens vaſa, compreſſio renum, & vreterum, aut ab vtero, vteriſque alis, Tubiſque Fallopianis, aut ab inteſtinis, & præcipuè Colon, renum magnitudo morboſa, & ipſorum debilis attractrix, expultrix venarum imbecilla, & ſimiles, quæ omnia à diligenti Medico licet difficulter tamen cognitu non ſunt impoſſibilia, ſi ea, quæ morbum aut præceſſerunt, aut concomitantur, examinentur; Nos in hoc tertio caſu Vterum cum inteſtino Colon vreteres, reneſque comprimentem, huius morbi auctorem facimus, per partium enumerationem; quoniam eſſe non poterat calculus, vel arenulæ, quæ poſtmodum apparuiſſent. Mucus, ſeu viſcida materia nullo modo inteſtina, & vreteres claudere fortiter valebat, nam in aliqua parte excrementa erupiſſent. Non à magnitudine morboſa, ipſorumque debili attractrice proueniebat, quoniam, dum renes tales ſunt redditi, mors in promptu eſt, nec redit ita facilè natura, ſed corruit. Non ab expultrice venarum imbecilla oriri id poterat; etenim ſi venæ lotium expellere non poſſunt, corrumpitur, & corrumpit maſſam ſanguineam, &

lethum

lethum in promptu eſt. Qua de cauſa per coniecturam aſſequi licet, vterum cum ſui alis, melancholico ſanguine turgentem propter animi pathemata compreſſionem renum, & vreterum, cum ſocietate tamen inteſtini Colon feciſſe, dum ipſum inteſtinum tam in dextera, quàm in ſiniſtra parte dura, ſeu gypſea materia refertum morbum augebat.

Secundum remanet enucleandum, videlicet, quomodo abſque vitæ periculo tam diuturna vrinæ, & fæcum ſuppreſſio permanſerit. In hoc ergo quid ſentiam breuiter indicabo. Ante alia ſuppreſſio fæcum poteſt dari per longum tempus abſque vitæ periculo; paſſim etenim videmus per decem, quindecim dies, & amplius aluum exſiccatam; quinimmò, vt in prima Obſeruatione Medicinali primę Pentecoſt. retuli, aluus aliquando per trimeſtre tempus ſuppreſſa fuit. Difficultas oritur tantummodo in vrina, quæ, ſi longiori tempore ſuppreſſa permaneat, ęgrum interficit, pro cuius dilucidatione obſeruandum eſt, mortem, quæ ex ſuppreſſione lotij oritur, non aliunde oriri, quam ex corruptione maſſæ ſanguineę, quæ à lotio in venis putreſcente inquinatur; quod lotium aliquando remeat ad thoracem, & partes vitales obruendo, occidit. Itaque ex corruptione maſſę ſanguineæ, & ex lotio partes in thorace contentas ſuffocante, lethum trahit originem. Sed, vt dixi, prima, & fortior cauſa eſt ſanguinis corruptio: quoniam, etiamſi poſtmodum mingant, tamen febre ſuperueniente ex dicta corruptione ægroti è vita diſcedere coguntur. Ad rem noſtram ergo; ſi poſſet dari, quod in hoc morbo ſerum retentum in venis non putreſceret, vtique etiam ſalutis ſpes elucеſceret. Videamus modo, quomodo

modo hoc poſſit fieri. Natura in indiuidui conſeruatione ſemper intenta, ſi ſerum extra venas in hoc morbo expellere nequit, per neceſſe corruit, ob ipſius cum ſanguine corruptionẽ, ex qua febris oritur, & Mors. Si autem valida, & victrix ſeroſam humiditatem extra venas protrudat, ſalutis ſpes conſurgit, quoniam putredo tunc non eſt intra, ſed extra vaſa; exemplum habemus in febribus continuis, & intermittentibus, quarum intermittentes tutę ſunt, quia putredo eſt extra vaſa, continuæ verò periculoſæ; quia putredo intra vaſa repit.

Hoc explicato cætera ſuperſunt, & primò difficultas erit de loco expellendi hanc materiam. Abdomen tutiſſimus locus eſt; ibi enim videmus aquas in Aſcite per menſes integros ſtagnantes, & ſic venæ exonerant putreſcentem ſerum in abdominis cauitatem, aut etiam in ſpatia carnium, vt fit in aqua intercus; donec leuata natura, & morbo ſuperato, eaſdem aquas ſtagnantes, reſerato aditu ad renes expellat, & inde per veſicam, per lotium eijciat. Vna tantum ſupereſt, ſed leuis dubitatio, nimirum, quomodo ſerum extra venas contentum, regrediatur per meatus vrinarios; & in hoc nulla adeſt difficultas, quandoquidem experientia rerum omnium magiſtra probamus, aquas in Hydropicis, qui ſiti, ſanandi cauſa, vexantur, copioſè ab alui cauitate per vrinam refluere. Dixi meam opinionem meliori ſemper me ſubſcribens.

Tabes

Tabes Erotica in Vrigine.

OBSERVATIO XVIII.

ALciatus celeberrimus Iuriſconſultus emblemate 154. hæc de Morte, & Amore eleganter cecinit.

Errabat ſocio mors iuncta Cupidine: ſecum
Mors pharetras, paruus tela gerebat Amor.
Diuertere ſimul, ſimul vna & nocte cubarunt:
Cæcus Amor, Mors hoc tempore cæca fuit.
Alter enim alterius male prouida ſpicula ſumpſit.
Mors aurata, tenet oſſea tela puer.
Debuit inde ſenex. qui nunc Acheronticus eſſe,
Ecce amat, & capiti ſlorea ſerta parat.
Aſt ego mutato quia Amor me perculit arcu
Deficio, iniiciunt, & mihi fata manum.
Parce puer, Mors ſigna tenens victricia parce:
Fac ego amem, ſubeat, fac Acheronta ſenex

Vt de ſe ipſo Alciatus conqueritur, ita, & cæteri amantes faciunt. Semper enim illis in ore eſt, dū Amaſiam alloquuntur. Heu morior. Vita mea parce. Heu deficio, iam Mors vnguibus atris mihi imminet; iam ante oculos, ipſius triſtiſſimam imaginem intueor, & cum Scaligero, qui epigramma à Græco Poſidippi latinum tranſtulit, vnuſquiſque illorum ſic loquitur.

Te per ego noſtra ſupplex rogo carmina Muſa,
He-

Heliodora, meo pectore cedat, Amor.
Perque tuos arcus, qui iam petiere nec vllum
Tantum in me dociles mittere tela ſua:
Si pereo, vocem teſtantia carmina linquam;
Aſpices, vt Morti me dedit, hoſpes, Amor.

Hæc tamen quamuis figmenta, & inania Amantium verba videantur, tamen,vbi radices altius flxit Amor,equidem vera ſunt. Qui aliquando Cupidinis ſpicula intra pectus admiſit, expertus loqui poteſt, quis ardor, quæ inſania, quæ peſtis Amoris ſit comes. Carnificinam appellat Plautus in Ciſtell. Amorem, Seneca in Hypollit.tacitum æſtum, & incluſum furorem, &alibi furtiuum ignem venas populantem, & medullas.

Alij alia dixere, & patet ex ſignis,etenim Amantium facies pallet, vrgent vigiliæ, corpus in tabem reſoluitur, oculique fiunt concaui. Talis, & tantus eſt, vt aliquando amantes, vt ait Marcell Donat.de hiſt.Medic lib. 3. cap.13. ſubito ob amicæ repulſam,vel diſceſſum, ſint mortui. Item maraſmo, & tabe conſumuntur, vel ſibi violentas manus inferunt, id teſtante Sennert. Medic.practic lib. 1. par.2. cap.10.in prognoſtico.

Sciendum tamen,eſt tabem, vt plurimum Amori ſuperuenire, ſed præcipuè in mulieribus,& præſertim virginibus,raro in viris. Nos inter plurimas hoc morbo correptas vnam Virginem puellam vidimus, quæ miſerè paulatim tabefacta fato conceſſit. Sed cum miſeratione maxima, quandoquidem pedetentim conſumpta, nec vllis proficientibus remedijs,tertio perijt anno. Hoc autem propter Amantis diſceſſum illi contigit.

Me-

Digitized by Google

Meſenterium lapidoſum.

OBSERVATIO XIX.

QVo concitato proruis impetu
Prapes viator? mortis imaginem
Rimare viuam, cerne buſtum! ad
Exuuias oculum reflecte!
En picta proſtat compar Aranea
Subucta letho vita, vel innocens,
Nec Mars, nec ars hunc liberauit,
Imperio Libitinæ ademptum.
Nil iura plebi profuerit vaga
Dixiſſe Regum? ſiccine gloria
Te vermis arrodet ſepultam?
Et putridum teget vrna honorem!
Quid ergo Princeps aula fauoribus
Suffulta ſpondes amplius? en ruis,
Et te caſæ inſtar ruſticanæ
Mors humili tumulabit antro.

Carmina hæc in obitu magni Politici, & ſimul Pij viri Didaci Saauedræ vitæ humanæ, cataſtrophem oſtendunt, quæ tandem in ſepulchrum deſinit, & quæ ſemper nouis inauditiſque morbis mortales rapit.

In quodam iuuene Atrophia conſumpto Meſenteriũ totũ lapidoſum inuentũ fuit. A qua vero cauſa oriri poſſit, nos exiſtimamus, calculos cuiuſcũq; generis dupliciter fieri, aut calore, aut frigore, ſi calculus oriatur à frigore tria requirũtur; frigus, non ta-

men in gradu intenſo actuali, ſed potius potentiali; materia, quæ debet coagulari; & virtus, ſiue vis lapidifica inſita membro. Si calculus poſtmodum oriatur à calore, vt pluries ſuccedit, requiritur primo calor immoderatus; ſecundo materia, quæ vritur & glutinum ad recipiendam, & vniendã materiam vſtam, & ſuper omnia virtus lapidifica. Quandoquidem poſſunt dari calor immoderatus, & materia prompta, & tamen, ſi non adſit virtus lapidifica, calculus non gignitur. A Calore Meſenterium fuiſſe redditum lapidoſum credimus. Lapides ſimiles obſeruati fuerunt à Thoma à Vega, à Scholiographo ad Holler. de morb. inten. cap. 1. à Gemma, & alijs.

Virgo per 22. dies abſque vllo cibo, & potu permanſit, & conualuit.

OBSERVATIO XX.

Qvi rapitur fatis, quid præter fata requirit?
Porrigit ad ſpinas, duraque ſaxa, manus.
Accipitrem metuens pennis trepidantibus ales,
Audet in humanos feſſa venire ſinus.
Nec ſe vicino dubitat committere tecto,
Quæ fugit infeſtos territa cerua canes.

Ouid. Secundo de Ponto fortiſſimam, hoc carmine, omnium rerum neceſſitatem pronunciauit. Deſperandum tamen non eſt; quoniam ſæpè in maximis aduerſitatibus fortuna eluceſcit. Audias Lector

Aga-

Agathiæ lepidum epigramma, à Paulo Stephano latinitate donatum.

Multa laborabat curuis piſcator in hamis,
Quem videt, & ſubito filia diues amat,
Conſortemque facit thalamis: vitamque moleſtam
Mutat in immenſas, nuper egenus, opes.
Ergò citò ridens fortuna ad Cyprida dixit,
Non tua, ſed noſtra eſt gloria, diua Venus.

Sic ſunt res humanæ. Viciſſitudinem habent; ideò, vt in proſperis timendum, ita in aduerſitatibus ſperandum eſt.

Virginem agnouimus annorum 25. non obſcuro loco natam, quæ propter fratres prodigos, ſibi parum affectos, d ſperatione coacta, viginti duos dies integros ſine cibo, & potu omnino permanſit. Dum interim omnia domeſtica munia celebrabat, & quotidie attenuabatur, ita vt cadauer æmularetur. Cibum porro, aut potum ita, & taliter reſpuebat, vt neque blanditijs, neque ſeueritatibus vllis, cogi potuerit. Miſeram hoc modo vitam agens, tranſacta vigeſima ſecunda die, cœpit comedere paulatim, & bibere, & conualuit. Multos audieram, & legeram ſimiles caſus: ſed hic me teſte contigit. Nutriuntur in hoc caſu ſine cibo, partim aere, partim pituita quadam dulci, quæ vertitur in ſanguinem, vt in Aerologia diximus.

Claudа Mulier ex Vteri ligamentis Rotundis.

OBSERVATIO XXI.

G*Ratia quæ tarda eſt, ingrata eſt: gratia namque*
Quum fieri properat, gratia grata magis.

Ex Græco Luciani epigrammate Auſonius in latinum tranſtulit; in quo tamquam in ſpeculo videmus res deſideratas eò gratiores eſſe, quò breuiori tempore apparent.

Mulier quædam hyſtericis affectibus ſæpè obnoxia, de repente clauda facta eſt, cui cũ nil proficeret (etenim ab vtero morbũ hũc originẽ duxiſſe nemo credebat) Medicus quidam vocatus phlebotomiam ex ſaphena pedis dextri celebrari iuſſit, & illico ſanata eſt, & ſuſtentacula lignea proiecit, miraculum vocans, cum res ſit omnino naturalis, quoniam ligamenta Vteri rotunda, humoribus fluentibus repletà, & propter hoc contracta, claudicationem fecerant. Exoneratis poſtmodum per ſanguinis miſſionem, à prædicta humorum illuuie citiſſimè conualuit.

Icteritia frequens à calculis in Fellea Cyſti contentis.

OBSERVATIO XXII.

CVm aliquando audiſſet Demetrius Phalereus, Athenienſes fuiſſe demolitos ſtatuas ſuas, quas illi poſuerant: At virtutem, inquit, non euerterunt. Sic dicendum eſt de Morte, quæ quamuis ineuitabili telo mortales confodiat, tamen circa corpus tantum ſæuit, relicta virtute, quæ animi eſt dos. Pater Sanctorius, inter Franciſcanæ familiæ proceres præclarus, & eruditione, ac pietate inſignis, cum ſæpius fortiter cum morte lucta ſeſe exerceret, tandem cecidit, ſed ipſius virtus cum fama ſuperſtes fuit.

Sæpius rebelli, immani, importuna, & frequenter renaſcente icteritia corripiebatur. Mortuo ſecto, lapides flaui magni in cyſti fellea reperti fuere.

Idioſyncraſia verſus Saſſafras.

OBSERVATIO XXIII.

GAllinaceus pullus (vt inquit Fracaſtorius de Sympathia, & Antipathia lib. 1. cap. 1.) vix natus Equum, Elephantemque nihil reformidat; Miluum, vel longe conſpectum adeo expaueſcit, vt ad Matrem ſtatim confugiat. Eadem Agno, & Lupo, & alijs multis inimicitia eſt. Marſi, Pſylli ſer-

pentes illæſi tractant. Theſſalos, & quaſdam familias in Creta legimus laudãdo afficere faſcino conſueuiſſe, intuendo vero infantes in tabem vertere. Fulmen aurum colliquat intacto loculo, tum vina abſumit, vaſe necquicquam læſo. Multa ſunt in Natura, quæ portentoſa apparent ex mirabili rerũ omnium conſenſu, aut diſſenſu; quamuis non negauerim plurima arte dæmonum patrata eſſe, quę nullo modo à Natura dependent; ſed infinita exiſtunt, quæ mirabiles effectus mediante ſympathia producunt.

Veſtalem obſeruauimus Idioſyncraſiæ obnoxiã verſus lignum Saſſafras. Cum enim Medicus quidam ipſi in iure alterato huiuſmodi lignum perſcripſiſſet, atque ipſa inſtantiſſimè renueret, quonia ipſius odore lędebatur, tamen imperante Medico, vt ius cum dicto Saſſafras ieiuno vẽtriculo caperet Veſtalis paruit. Sed quid inde: Frigido ſudore correpta, tota liuida repentè facta, fere morti proxima apparebat, cum frequenti animi deliquio.

Sed placente Deo debitis adhibitis remedijs, quæ in ſyncope celebrantur, conualuit. Caueant Medici ne remedia huiuſmodi proponant, vbi adeſt Idioſyncraſia, quoniam æger in maxima pericula ducitur.

Vena emulgens in principio vnica, deinde bifida, & denuo vnica in ſiniſtra parte.

OBSERVATIO XXIV.

Quæcumque Natura fabricata eſt intra certos terminos compeſcuit, vt inquit Pontanus in Char ſed in ijs, vt puta in rebus humanis Natura ludere conſueuit.

Qui Anatomicam ſectionem exercent, ij meliora, altiora, & mirabiliora Artis contemplantur: dum interim alij Medici, ſi quas res audierint, vel legerint, ſunt tantum teſtes de auditu, non autem de viſu, vt Anatomici, qui ſemper excellentiores exiſtimati tum ab antiquis, tum neotericis fuere. Sed audio quoſdam Medicos ab hac nobiliſſima facultate, tanquam à re ignominioſa ſeſe retrahentes, & Anatomicos tanquam Carnifices, aut viles vituperantur: Nos ideo quia hoc reſciuimus, eos caſtigauimus, & ipſos ignaros, adulatores, viliſſima mancipia appellauimus, etenim quæ ſpectant ad Artem Medicam neſciunt, ſed quoniam de hoc in præfatione ad liuidum lectorem copioſe egimus, ideo hic tacemus.

Emulgentem venam ſiniſtram in quodam ſtrangulato vidimus, quæ à Caua vnica oriebatur, ſed paulo poſt diuiſa in duos ramos iterum coaleſcebat, & in vnicum deſinebat ramum. Prope renem verò diuidebatur, vt aliæ emulgentes.

In

In contumaci, & rebelli capitis dolore terebratione in Sincipitis facta æger optimè conualuit.

OBSERVATIO XXV.

Non ego firmus in hoc; non hæc patientia noſtro
Ingenio. Frangit fortia corda dolor.

Vt de ſe Ouid.lib.5. de triſtibus loquitur, ſic dicere poterat quidam ſenex aulicus, qui cum per triennium immani,rebelli, & contumaci capitis dolore torqueretur, nec quidquam Medicamentorum proficeret,conſulente D.Laurentio de Rubeis ipſius inſigni Medico (cum quo ego iuuenis in Practica me exercebam) terebrationi capitis ſeſe ſubmiſit, quæ in ſincipite ſupra frontem in parte dextera,purgato prius corpore,celebrata fuit,& breui conualuit.Fortaſſe materia vaporoſa caput petens, quę,cum egreſſum non haberet,dolorem excitabat, patefacto aditu, quotidie egrediebatur, & ęger conualuit.

Au-

Digitized by Google

Auricula cordis ſiniſtra ex anatomia viuorum vltimum membrum eſt moriens.

OBSERVATIO XXVI.

Vita hominum rapidis, natat interiecta procellis,
Naufraga ventoſo ceu Ratis acta freto.
Nam cum cæca breuem vitam fortuna gubernet,
Hinc velut ambiguo ducimur in pelago.
Emergunt alij, pars infeliciter errat:
Quoſque tamen portus, qui manet, vnus erit.

Sic Thomas Venatorius, ex Græco Palladæ epigrāmate ſuum de vita humana conſtruxit, quæ tandem in ſepulchrum, tanquam in certiſſimum portũ ingreditur. Sed ea tam lubrica, tam fragilis, tam incoſtans eſt, vt nihil amplius. Vita noſtra ex nihilo pendet; ſi deficiat cordis motus, deficit, & vita, quod vltimus in morte mouetur. Nos autem oculari inſpectione in anatomia viuorum vitales partes conſpeximus; reſerato thorace in viuis animalibus, ſtatim pulmonum motus deficit: remanet tamen per ſeptem, aut octo minuta, ſyſtoles, & diaſtoles, quæ & viſu & tactu manus in ipſo corde percipitur; ſed proceſſu temporis fiunt rariores ſyſtoles, vt & diaſtoles. Poſtmodum rariſſimæ apparent. His tranſactis cor alium motum aggreditur, nempe palpitationem, in qua Euripi in morem, nunc huc, nunc illuc fluctuat circulariter. Deſinit poſtmodũ palpitatio, & aliquãtulũ auriculæ dextera, & ſiniſtra mouẽtur. Tandẽ motus in nulla cordis parte videtur, niſi in auricula ſiniſtra, in qua diu-

tius manet, cum cætera membra quieſcant. Hinc poſſumus tutò, & rectè aſſerere, ſiniſtrã auriculam, vt nobiliorem, ita magis neceſſariam in viuente partem habere.

Hemorrhagia timore cohibita cum frigidæ aſperſione.

OBSERVATIO XXVII.

E*Xtimui, ſenſique metu riguiſſe capillos,*
Et gelidum ſubito frigore pectus erat.

Iſti effectus timoris, quos connumerat Ouid. lib. 1. faſt. aliquando acciderunt cuidam presbytero prope D. Ioannem in Laterano. Is enim cum hemorrhagia ex naribus correptus eſſet, nec vllis vnquam remedijs ſanguis ſiſti poſſet, timore poſtmodum, magno ſuborto, ſanguis ſuppreſſus eſt. Huic etenim cum ob aliquas lienis obſtructiones ſanguis per ſuperiora redundans per nares excerneretur, adhibita fuerunt, ſequentia remedia, videlicet frictiones, & cucurbitulæ in partibus infernis, ligaturæ dolorificæ, petia linea poſca imbuta, & ceruici applicata; adſtringentia ſupra frontem, & in nares immiſſa, Phlebotomia per epicraſim, reuulſionis gratia, celebrata fuerunt; cucurbitula magna è directo ſupra hepar appoſita fuit; iuſſimus tandem, vt in frigidam totus immergeretur; dum interim exhibebamus ipſi per os conſeruam roſaceam antiquam cum pulueribus adſtringentibus, & præcipuè cum

cum lapide hematite. Quæ omnia nihil proficiebant, immo in deterius ſemper ruebat. Sic ſtantibus iuſſi, vt aliqui miniſtrorum ipſum conuicijs peterent, atque interim, dum indignatus æger reſpondebat, & furor arma miniſtrabat, alius miniſter meo iuſſu cum cratere magno, frigida aqua repleto, ipſum à tergo inuadens cum ingenti ſtrepitu, & clamore fere totum madefecit. Statim ingenti timore oborto, ac ſi à tormēto aliquo percuſſus fuiſſet bellico, ſanguis quieuit, & hemorrhagia mirifice ſuppreſſa eſt, ægerq; conualuit.

Vrina per perinæum monſtroſè reddita.

OBSERVATIO XVIII.

Optimum, ex Aug. lib. 1. ſolil. in animo eſt ſapientia, peſſimum in corpore eſt dolor. Summum igitur hominis bonum eſt ſapere, ſummum malū dolere. Sapientia etenim beatitudinem aliquo modo ſecum affert, dum quieſcit animus; dolor vero infelicitatem ſæpe parit, dum torquetur corpus. Hinc maximum eſſet gaudium, ſi & corporis, & animi felicitatem aſſequi liceret; verum aliquando ſi in vna parte felices, in altera infelices ſumus Prudentiſſimus ciuis inter nobiles Romanos inſignis, vt erat ingenio, dexteritate, & probitate excellens, ita è conuerſo miſerrimus erat propter morbum, qui pertinaciter ipſum torquebat. Cum calculos aliquot in iuuentute, in veſica

ortos, per vrethram eieciſſet, ſenio affectus, nouo, & immani morbo correptus fuit. Nam vrina non amplius per vrethram egrediebatur, ſed perforato Perinæo in vna parte, per aliquot tempus vrina fluxit, donec ab arenulis, & calculis ſimul conglobatis, ibi propter vrinæ tranſitum, via in totum clauſa eſt. Quo facto Natura, in parte Perinæi propinquiori, aliud ſibi parauit iter ad vrinæ egreſſum, & obturato denuo ſecundo aditu, vt in priori diximus, Natura ſemper nouum egreſſum quærebat ita & taliter, vt replicatis orificiis, quæ poſt modum in lapides deſinebant, totum perinæum cum ingenti ſtupore lapidoſum eſſet: quo facto, cum vrina, nec per mentulam, nec per perinæum egredi poſſet ipſius totali ſuppreſſione facta occubuit. Schenchius in lib. 3. obſeruat. medicin. obſ. 341. affert aliqua exempla de vrina, quæ per Perinæum reddebatur, ſed ſine hac lapidificatione.

Calculi in Vrethra abſque vlla noxa per tres & quatuor menſes retenti.

OBSERVATIO XXIX.

NAturæ, ex Ariſtotele lib. 2. de Cœlo, mirabilia multa ſunt, quandoquidem ipſa Dei miniſtra plurima rectè gubernat, & regit: quæ, inter alias dotes, quibus decorata incedit, hanc habet, quod blanda conciliatrix, & ſui fœtus ſollicita ſit, teſtante Cicerone lib. 1. de Natura Deorum. Hanc diligentiam, ſolertiam, induſtriam, & ſollicitudinem

nem maximè, ſuper alios, Medici intuentur, qui vt naturæ motus ſequuntur, ita naturæ portenta admirantur. In calculo tanquam in hoſte ſæuiſſimo, illa ſicut egregius miles claſſicum canit, nec ſiſtit, donec, aut triumphum concinat, aut victa ſuccumbat. Aliquando verò pedetentim, & prudenter, non aperto Marte, inimicum ſuperat. Sic prorſus patet; dum calculum à renibus deſcenſum in Vrethram protrudit, qui, cum non poſſit ſtatim expelli, paulatim à Natura poſtmodum eijcitur. Vidimus enim aliquando in medio Vrethræ per tres, & quatuor menſes retineri, donec reſerato aditu extra proſiliant: iſti calculi magnitudine Phaſeoli, etſi fixi in Vrethra apparerent, tamen vrinæ impedimentum nullo modo ſecum afferebant, quin immò neque dolorem, donec trãſacto debito tempore, non nobis, ſed Naturæ cognito, per vrinam excernebantur. Bauhinus apud Schenchium per annum vidiſſe teſtatur in Vrethra ſubſiſtentes lib. 3 ſect. 2 obſ. 287.

Saltatores in ſenectute Artetici fiunt.

OBSERVATIO XXX.

Habet hoc voluptas omnis,
Stimulis agit fruentes
Apumque par volantem
Vbi grata mella fudit.
Fugit, & minus tenaci
Ferit icta corda morſu.

Ex

Ex Boet metro 7. lib. 3. ideo aiebat Venuſinus lib. 1. epiſt. ad Lollium

Sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas.

Hoc facile audire poſſunt illi, qui in iuuentute lætantur, vt in ſenio plorent. Inter quos præcipuè admonendi ſunt, qui perpetuò inter ſaltus, & choreas ſeſe exercent, quoniam facillimè cum ad ſenilem peruenerint ætatem, arteticis cruciatibus, vt puta, chiragra, ſed facilius podagra, corripiuntur. Hos plures obſeruaui, qui cum iuuenes inter primos ſaltatores connumerarentur, ſenes poſtmodum baculo innitentes arteticis doloribus torquebantur, etenim ſaltatio frequens, hos procreat morbos.

Ad Tineam puerorum optimum remedium.

OBSERVATIO XXXI.

SIc amator ex veterũ Poetarum Catalectis apud Petronium Arbitrum Amaſiam ſuam alloquitur.

Lydia bella, puella, candida,
Quæ bene ſuperas lac, & lilium,
Albamque ſimul roſam rubidam
Aut expolitum ebur indicum.
Pande puella, pande Capillulos
Flauos lucentes, vt aurum nitidum.

At ſi inter illos Tinea, tanquam anguis in herba, reſi-

reſidet, Miſer amator, quid facies? Videbis theſaures tuos euaneſcere, diuitias tuas malè dilabi, merces tuas naufragio diſſipari. Aurum enim in crinibus contentum, examen non patiens, ſtatim quaſi fulmine percuſſum, & proſtratum, iacebit. Tunc enim, cum Cicerone 4. Reth. nouor. confiteri cogeris, formæ dignitatem, aut vetuſtate extingui, aut morbo deſloreſcere. Crines enim, ſi ut pulchritudinem augent, ita, quando deficiunt, aut morbo corripiuntur, vt in Tinea, faciem deturpant.

Nos huic morbo optimum obſeruauimus remedium plures etenim, qui eò vſi ſunt, præſertim pueri, priſtinæ fuerunt reſtituti ſanitati. Videlicet, fiat vnguentum, ex ſulphure, axungia, & ſucco limonum, & cum eo, abraſis, non euulſis prius capillis, fit inunctio, vbi tinea infeſtat, veſpere per tres vices, alternis diebus, dummodo prius corpus purgatum fuerit; facta inunctione per dies quinque ſequentes nihil agi debet, quibus tranſactis fiat ablutio capitis cum decoctione maluarum. Videbis lector mirandam rem, nempe breui tempore morbum ſuperari, nec amplius regredi, ſi cum diligentijs ſupra enarratis applicetur inunctio, & poſtmodum ablutio.

De

De Chalybe. & ipſius tuta præparatione.

OBSERVATIO XXXII.

IVlius Cæſar Benedictus in Romano Lycæo eruditiſsimus ſimul, & doctiſſimus Medicinæ Profeſſor hæc in Conſultatione 18. Medicin. de Chalybe pronunciauit Chalybis vſus, quem nonnulli melancholiæ Hypocondriacæ alexipharmacum vocitarunt, & Paulus Aegineta, Plinius, Aetius, Oribaſius lienoſis præſtantiſſimum eſſe remedium. nō ideo prodeſſe credendum, quod pondere obſtructos reſeret artus, vt perhibent nonnulli, ſed quia vt Mercatus inſinuat, abſtergendi, aperiendi, & purgandi vi polleat, ſulphuris, mercurij, aliorumque metallorum potentia.

Sed plurima in Chalybis vſu animaduerſione digna eluceſcunt. Primo. Chalybem in ſubſtantia, nempe ipſius limaturam, aut crocum Martis, non ſolum non auxiliari, quin immò ſummum afferre nocumentum, quandoquidem, vt in ſectione mortuorum apparet, in fundo ventriculi reperitur, & ibi validiſſimè adhæret. Itaque in ſubſtantia nequaquam adminiſtrandus, plures enim incommoditates ſecum affert.

Secundo notandum eſt chalybem in liquore, vel vt melius dicam, Chalybem potabilem, qui communiter adminiſtratur, non ſolum non iuuare, ſed etiam ſummopere lædere, quoniam præparatur cū rebus acidis, de quibus ſic loquitur Hippocrates de

victus

victus ration. in morb acutis textu 29. Cæterum vt in ſumma dicatur, acredines, ſiue aciditates ex aceto, amara bile abundantibus magis conferunt, quam atrabilarijs. Amara enim diſſoluuntur, & in pituitam tranſeunt, dum ab ipſo attolluntur. Nigra vero fermentantur, & attolluntur, ac multiplicantur. Acetum enim nígra ſurſum ducit. Mulieribus autem omnino magis aduerſatur acetum, quam viris. Dolores enim vteri inducit.

Et experientia probauimus multos melancholicos, & plurimas mulieres in menſtruis retentis, quibus frequenter chalybs iſte potabilis imperatur in deterius omnes lapſos.

Tertiò obſeruandum in chalybe adeſſe ſulphur arſenicale, ſiue volatile, & Mercurium crudum, quę duo imqediunt maximè virtutem ſuam. Idcirco prius limatura ipſius debet in igne excādeſcere, in quo partes ſulphureę arſenicales, & mercuriales non fixæ facillimè euaporant, dum interim remanent in ipſo Chalybe hoc modo præparato Sal cũ ſulphure, & Mercurio digeſto, quibus mediantibus inſignes virtutes poſſidet.

Ex his itaque duo proponi poſſunt modus in ſumendo tutiſſimè chalybe, vt ſine vlla noxa operationes perficiat ſuas. Non negauerim tamen ſumi poſſe in vino, in quo per tempus conueniens infuſus fuerit Chalybs integer, aut eius limatura; & magis nobis placet, quam ſumere in ſubſtantia, & in liquore cum rebus acidis præparato, ex rationibus ſupra dictis. Verum modus à nobis proponēdi fortaſſe meliores erunt. Reperiuntur aliqui, qui cum rebus acribus, ſalſis, venenoſis, aquis fortibus Chalybem corrodunt; ſed hic modus peſſimus

Tt eſt,

eſt, quanquam poſtea fiant dulcurationes, quæ qualitatem noxiam impreſſam nullo modo auferre poſſunt.

Primus ergo modus prouenit cum maxima diligentia. Primo recipe limaturæ Chalybis quantitatem ſufficientem; & pone in crucibulo, donec excanduerit, ſed citra fuſionem, auferas ex igne, & limaturam in vas, ſiue diſcum vino albo refertum, extingue, & ablue: abluta limatura ponatur in vmbra ſupra petiam lineam nouam ad exſiccandum; quo facto recipe iſtius limaturæ chalybis hoc modo præparati drachmam vnam, vini albi libras decem; videlicet ponatur limatura in paruo ſacculo ex petia linea noua conſtructo in vas vini, quod recipiat libras ipſius decem: ſed ſaccus debet pendere in medio vaſis, & filo vinctus ſupernè, vt in centro ſit. Vas porro diligentiſſimè obturari debet, nè exhalet aliquid, & relinque per 24. horas, quo tempore elapſo, vtere hoc vino Chalybeato in prandio, ante prandium, in cœna, vel quomodo libet, & excellentiſſimè paulatim operationes ſuas perficit, ſi ſaltem per menſem integrum ipſius vſus prorogetur. Et in hoc nulla conuenit regula in faciendo, vel non faciendo exercitio. Solum ægrotus eo tempore ab aceto, & acidis abſtinere debet, quoniam ſi acetum in cibis adminiſtrabit, facilè dolore ſtomachi vexabitur; & hic obſeruatio inſurgit pulcherrima, quantum errent illi, qui cum aceto Chalybem præparant; acetum enim, & Chalybs infenſiſſimi ſunt hoſtes, & ex iſtis duobus potius venenum, quam medicamentum præparatur. Remanet dicendum, vt vas, in quo ponitur limatura, & vinum, habeat per quatuor digitos ſupra fundum ori-

orificium in quod immittatur fiſtula aliqua lignea, vt vinum poſſit egredi, & nos poſſimus claudere quandolibet. Aliqua ſuperſunt dicenda; nempe vnum vas non ſupereſt, ſed duo debent eſſe eodem ordine præparata, & repleta. Neceſſe eſt inſuper animaduertere, quod quando vinum fuerit circa medietatem, debemus deſiſtere, & ipſum nouo vino replere, & alio vti, donec pari modo vini medietas in cibis conſumpta fuerit, & ſic alternatim duplici vaſe debemus vti. Nec prætermittendum eſt; quod aliquando limatura, temporis, mora nigredinem contrahit, & ſacculum inficit; ideo debemus omnibus octo, vel decem diebus limaturam extrahere, abluere cum vino albo, ſacculum nouum cõficere, & denuo, vt prius reaptare. Vltimo loco notandum eſt ægrotantẽ, eo tempore, quo vino vtitur Chalybeato, debere nullũ aliud, vel in prãdio, vel in cœna ſumere vinum, grauiter enim erraret; ſed eo ſolo debet vti; & vtatur feliciter, quandoquidẽ, vt ſæpius obſeruaui, nec colorem nec ſaporem variat, nec odorem. Hæc recepta, vt à fide dignis audiui, à Sereniſſimo Hetruriç Duce emanauit, quidquid ſit, optima eſt ratione, & experimento confirmata.

Secundus modus, vt primus incipit, ſed in proceſſu variat: debemus etenim, vt ſupra dictum fuit limaturam Chalybis in crucibulo ponere, abſtrahere, & abluere in vmbra; quo facto ad Solem feruentem æſtate media apponatur, irrorando ſæpius cum ſucco cichorij ſilueſtris, donec limatura totaliter in æruginem conuerſa fuerit, tunc cum ſpiritu vini ſecundum artem, cum igne primi gradus, aut in Sole feruenti, extrahes tincturam in vaſe her-

metico, videlicet in Gemellis, aut Pellicano; decanta poſtmodum, & vſui reſerua, de quo capiat mane ægrotus drachmam vnam cum vino, vel iure, & exercitium faciat. Propoſuimus hæc lector benigniſſimè, vt in tanto medicamento, quo frequenter Medici vtuntur, errata non committantur.

Vermis cineritio colore marinum repræſentans ſerpentem.

OBSERVATIO XXXIII.

SIc cum Scaligero, qui ex Agathia hoc tranſtulit epigramma, cum tua ſeneſcente amaſia loqui poteris derelictus amans.

Illa prius faſtu turgens, iactare capillos
Sueta prius, pexis illa ſuperba comis,
Sueta meis deſiderijs illudere; formam
Perdidit: huic digitos ruga ſenilis arat.
Vbera ſubſidunt; cecidit frons, lumina marcent,
Annoſo titubant balba labella ſono.
Canitiem vindex voco Numen Amoris, & æquum
Iudicat, & tumidis ſtrenua pœna venit.

Thais illa, infelix amans, cuius amore conſumptus inſanis, nil aliud eſt, quam putridum cadauer, quam corpus fœtens, quam oſſium, & vermium ſpurciſſimus faſciculus, I nunc & pulchritudinem ſtulte, inter tot fœdiſſimas ſordes, I nunc, & voluptates inter tot corruptiones require?

Cor-

Corrpus humanum, vt alias dixi, ſicut putredini obnoxium, ita aliquando intra ſe putredines inſignes retinet, ex quibus oriuntur, & venena, & vermes. Sed in vermibus varia portenta elucefcũt, de quibus aliqua in noſtris obſeruationibus retulimus. Vidimus tamen in puella virgine, quæ cum inter alias anxietates, etiam vteri duritie, & dolore torqueretur, ex abrupto vermem per os expulſit viuum, ſed dodrantali longitudine. Caput viperino erat ſimile, colorem habebat cineritium, ſed maculis aliquot ex cineritio nigrioribus reperſum. Totus primo intuitu ad vnguem ſerpentem marinum repręſentabat, excepto capite, & colore, in quibus vt diximus differentiam habebat; erat etiam vndique piloſus.

In infuſione roſarum, vt etiam in ſyrupo; & melle roſaceo, aliqua vtilia adnotantur.

OBSERVATIO XXXIV.

CVm Phœbi radijs graue
Cancri ſydus inæſtuat:
Tum qui larga negantibus
Sulcis ſemina credidit,
Eluſus Cereris fide
Quernas pergas ad arbores.
Nunquam purpureum nemus
Lecturus violas petas.

Cum

Digitized by Google

Cum lauis Aquilonibus
Stridens campus inhorruit,
Nec quæras auida manu
Vernos ſtringere palmites,
Vuis ſi libeat frui.
Autumnus potius ſua
Bacchus munera contulit.

Ex hiſce Boetij metro 6. lib. 1. carminibus luce meridiana clarius eluceſcit congruo tempora omnia facienda, quod ſi id non fiat mirari non debemus, ſi tot abuſus, tot errata aliquando contingant.

In infuſione roſarum perficienda id neceſſario animaduerti debet, quod nunquam Menſe Maij abſoluitur, & per conſequens ex noua infuſione nullo modo debent fieri, neque ſyrupus roſatus, neque mel roſatum ſolutiuum, quoniam prius ſubſiſtit aliquantiſper, & poſtea ebullit, tanquam muſtum, in quo obſeruandum eſt, nullo modo poſſe Medicos ipſa ad conficiendum, aut ſyrupum, aut mel vti; donec ebullitio totaliter deſierit, quæ Menſe Iunii, abſoluitur, nam tormina facillime excitabit, vel irritata Natura, copiſiſſimas aliquando, & periculoſiſſimas tentabit deiectiones; vnde Septalius in cautionibus Medicis animaduerſ. 49. lib. 3. ſyr. roſ. ſolut. inter purgantia connumerat, ex copioſa deiectione, quæ facilè ex huiuſmodi infuſione non perfecta prouenit; cum roſa non ſolum non connumeretur inter medicamenta purgantia, qnin immò viſcera confortat, & corroborat. Præcipuè cor ex Matthiol. in comm. Dioſcorid. Lib. 1. cap. 3. & 4. Dodonæo Pempt. 2. cap. 28. Auicen in libel de viribus cordis capite de Roſa, alijſque Auctoribus.

Qua-

Quare arguendi ſunt illi Pharmacopæi, qui Menſe Maij ex noua infuſione, aut ſyrupum, aut mel conficiunt, credentes maiorem habere virtutem, ſummopere etenim lædunt, & Naturam irritant, non iuuant, ſed expectare debent, donec infuſio ebullierit, & tunc ipſa vtantur, quod ſi Menſe Maij, vt mos eſt, ſyr. roſaceo ſolutiuo velint vti, debent fieri dicta medicamenta, ex infuſione anni tranſacti, & ſic tuta erit operatio; abſque eo quod irritent Naturam, aut tormina inducant; nec dubitare poſſunt infuſionem veterem inualidam eſſe, quoniam, vt expertus probaui, feliciter, & ſine læſione aluum lenit.

Ceratum capitale maximæ virtutis ad corroborandam comiſſuram coronalem in epilepſijs tum puerorum, tum aliorum, alijſq; capitis morbis.

OBSERVATIO XXXV.

CORpus, ex Hippocrate lib de glandulis textu quinto ſimul vapores omnis generis ſurſum in caput demittit, quos caput rurſus retro dimittit. Non enim immorari, ac manere poteſt, id quod influit, non habens, vbi ſedem firmet, niſi caput ægrotet; tunc enim non remittit, ſed iſthic retinet. Ad corroborandum vero caput, vel ante, vel poſt ægrotationem vltra alia præſidia, quæ doctè, & accu-

accuratè à Medicis adminiſtrantur habemus etiam ceratum mirabile,quo mediante Natura valida reddita expellit noxia, & ſic confert epilepticis, aliiſque morbis, in quibus capitis corroboratio neceſſaria eſt, ſed præcipuè in puerorum epilepſia, qui facile aliquando in hunc incidunt morbum, quoniã cõmiſſura coronalis,& ſagittalis in illis nõ ſunt vnitæ, atque inter ipſas cauitas cõſpicua apparet, vt in puerorum Anatome obſeruaui, per quam cauitatem facilè ingreditur frigus externum;ſed ſi hoc ceratum ibi applicetur frigoris ingreſſum prohibendo,cauitatem tuetur. Fit ſequenti modo.

Recipe roſarum rubrarum vnc.1.
Spicæ vnc. ſemis.
Semin. Peoniæ num.40.
Caryophyllorum num.30.
Cubebarum pulchriorum num.60.
Nuc. Myriſtic. n.2.

Pulueriza ſubtiliter maſticis vnciam vnam, & ſemis; tunde fortiter per horam vnam, aut duas, vel amplius, ſi opus fuerit, donec mortarium reiteratis, ictibus hoc modo abſque igne calefiat, vniantur materiæ,donec cerati formam acquirant, ſed ſinè igne, vt dictum eſt, quoniam ignis virtutem ipſius læderet. Miſce pulueres, & addas thuris maſculi vnciam vnam, & ſemis. Tunde poſtmodum fortiter, & fiet ſine igne ceratum. Addere potes ſi lubet Therebinth. Cyprij. abluti cum aqua communi vnciam ſemis. Sed aduerten-

tendum eſt, vt nuuquam igni approximetur. Mirabile eſt ad corroborandum caput, & fluxiones per inſenſibilem tranſpirationem euaporandas.

Quando eo volumus vti, manu calefacimus, & ſuper ſericum diſtendimus, & applicamus commiſſuræ coronali, abraſis capillis, dummodò prius locum madefeceris, aut vino potenti, aut ſucco limonum.

Setarum veluti capillamenta cum renum calculo eiecta.

OBSERVATIO XXXVI.

ALexander Benedictus lib. 2. cap. 22. Anatom. hæc poſteris reliquit. In veſica, præter calculos, ſetarum veluti capillamenta, non ſine diro cruciatu, innaſcuntur ex mucoſa quidem materia.

Nos vero in quadam Veſtali ſimilia ſetarum veluti capillamenta cum renum calculo excreta contemplauimus, colore nigra; Vnde primo intuitu, non cum vrina egreſſa, ſed aliunde fortuitò in matulam cecidiſſe ſuſpicabamur, quoniam vndique pilos, aut ſetas repræſentabant. Sed poſtea diligenter notauimus, nec ſetas, nec capillos eſſe, ſed capillamenta, quaſi ſetarum, cum tribus renum calculis per lotium expulſa.

Digitized by Google

Pectus piloſum in Meretrice formoſa virile mentiens.

OBSERVATIO XXXVII.

EGo mulieri hoc vnum credo,
Quod à morte non reuiuiſcat:
In cæteris vero omnibus diffido,
Donec mortua fuerit.

Sic Mulieres Antiphanes Græcus vituperio afficiebat. Etenim loquendo de improbis, vt aſſerit Menander.

Tempeſtas in domibus eſt hominibus mulier.

Vt ſunt meretrices, quæ in venereo quæſtu iuuenes incautos decipiunt, dum mollibus blanditijs incredulos amantes, libidine prurientes, peſſimè tractant.

Quid dicendum eſt de ipſarum Crudelitate, Gula, Inuidia, alijſque vitijs? quid dicendum de illarum luxuria? Melius eſt tacere, quam honeſtas aures lectorum offendere.

Vnam obſeruauimus, quæ in Venerem procliuis, ſupra omnium opinionem petulans, & luxurioſiſſima erat, quæ cum aliquando febricitaret (credo propter nimias illecebras in coitus frequentia) brachiumque rogata porrigeret, mirandum aſpectu! dum pulſum tango inter mammas maximam nigrorum pilorum quantitatem inſpexi, ita vt pectus ipſius ſummopere piloſum, virile repræſentaret, quo viſo, tantæ ipſius admirationem luxu-

riæ

riæ reliqui, quoniam mulieres barbatæ, adagio vulgari, omnium ſalaciſſimæ reputantur.

Funiculus in tertio cerebri Ventriculo repertus.

OBSERVATIO XXXVIII.

Omne hominum genus in terris
Simili ſurgit ab ortu,
Vnus enim rerum pater eſt,
Vnus, qui cuncta miniſtrat,
Ille dedit Phœbo radios,
Dedit, & cornua Lunæ,
Ille homines etiam in terris
Dedit, & ſydera Cœlo.

Ex Boetio metr. 6. lib. 3. ſummi opificis prouidentiam contemplamur, ſed præcipuè in hominis creatione, in cuius corpore, vt quotidie ſectio anatomica oſtendit, tot mirabilia eluceſcunt. In tertio cerebri ventriculo, prius quam appareat Conarium, ſiue glandula pinealis, cum partibus pudendis, ſi diligens fiat inſpectio, videtur funiculus quidam albus ex cerebri ſubſtantia in medio ipſius, ſed quando tertius dilatatur ventriculus, ad examinandum Conarium, Nates, Teſtes, Vuluam, & reliqua, laceratur funiculus dictus, factus, vt credimus à natura ad robur, & firmitatem dicti tertij ventriculi.

Digitized by Google

Ex Hydrargiri vnctione in axillis, & pectine, ad pediculos feros enecandos, febris periculoſiſſima oborta, cum dictarum partium inflammatione.

OBSERVATIO XXXIX.

Ex Ioanne Fungero ludicrum habemus epigramma.

Pulicinos morſus cum conquereretur edaces,
Morio forte artus dilaniare ſuos:
Extinguam, dixit, lumen, ſic amplius illa,
Non me conſpiciet, turba moleſta nimis.

Infinitus ſtultorum eſt numerus, inter quos referendus villicus quidam eſſet, qui cum à pediculis, quos feros vocant, pungeretur, ſumpta maxima Hydrargiri quantitate, cum ſaliua inunxit magnopere, reiteratis frictionibus, axillas, & pecten. Sed cum febris periculoſiſſima, vna cum pectinis, & axillarum inflammatione, orta eſſet, fato proximus extitit; ſed diligenti adhibita cura, & potentibus alexipharmacis, quæ cor tuerentur, adminiſtratis, nec non inflammatione, quæ in corruptionem partium tendebat, ſedata tandem conualuit.

Ver-

Vermium , fœniculi nocumentum examinatur.

OBSERVATIO XXXX.

IOannes Fungerus humanæ vitæ cataſtrophem ſic indicauit :

Qui laqueo collum voluit conſtringere pauper
Obrtzi hic auri fruſta repente videns ,
Muſſitat , exultat , ridet , lorumque reponit ,
Et ſqua tentarat triſtia fata fugit .
At qui perdiderat loro ſe ſtrangulat alter ,
Et recto ad ſtygias tramite tendit aquas .
Vt variat fortuna vices , ad limina mortis ,
Oſtendit patulam qualibet hora viam .

Oſtendit verè patentem quælibet hora, quodlibet momentum mortis ianuam,non ſolum in bello , & alibi , ſed etiam in ipſo conuiuio; in quo aliqui comedendo fœniculum tenellum periere,propter vermes , vt credunt multi in feniculo contentos .

Teſtatur hoc apud Schenchium lib.6.de Venenis ex plantis Obſeruat.150. Balthaſar Piſanellus, vbi ſic ait. Angues fœniculi eſu ſenectam exuunt , ac oculorum hebetationi medentur: vnde etiam ad homines in ſimilem vſum fœniculum promanauit; ex affricatione illa oculorum , quæ fit à ſerpentibus ſemini praua quædam imprimitur qualitas , quæ vermiculos quoſdam venenatos producit . Hæc ille , ſed pace tanti viri meam afferam opinionem ;

Ita-

Itaque aſſero venenum in fœniculo contentum nõ à vermibus prouenire, quin potius ab aliqua alia facultate deleteria; nam ſi ex affricatione ſerpentum id oriretur, periculoſius eſſet fœniculum ſylueſtre, quam ſatiuum, quoniam intra viridarij parietes ſerpentes non ingrediuntur, vbi ſylueſtres plantæ ſerpentum imperio ſunt ſubiectæ. At contrarium probamus, quod non ſolum fœniculum ſylueſtre periculoſius non ſit, quin immo nunquam, quod ſciam ex ipſius eſu aliquis nocumẽtum habuit, quomodo in fœniculo ſatiuo, & dulci habuere. Itaque aliam rationem inuenire licebit. Meam proferam opinionem dicendo, quod venenum in fœniculo dulci, & ſatiuo (quandoquidem ſylueſtre expers eſt veneni) aut prouenit ab aliquo Bufone mortuo, aut alia re venenata, vt ſuccedit in fungis, dum planta creſcit, & propinquum venenum attrahit; aut ab erucis, araneis, ſimilibuſque, ex quorum ſpuma qualitas deleteria oritur. Prima occaſio facilis eſt, quandoquidẽ villici repertis Bufonibus ipſos tranſuerberant, & Soli exponunt, ex cuius virulentia poteſt oriri in fœniculo venenum, vt etiam ex aliqua alia re venenata. Secunda occaſio, etiam probabilis apparet, quoniam dicta animalcula ſæpe ſupra fœniculum reperiuntur.

Vnum tantum dubium remanet enucleandum, videlicet, ſi hoc eſſet, quod à Bufone mortuo, ab araneis, & erucis ſimile poſſit oriri venenum, ratio eſt contra nos, quoniam maior copia rerum venenatarum, venenorum, & animalium ſimiliũm eſt in ſyluis, in agris, & alibi, quam in horto, & ſic venenatius deberet eſſe ſylueſtre fœniculum, quam ſatiuum, ſed contrarium probamus, igitur hæc ratio non congruit.

Ad

Ad hoc reſpondemus fœniculum ſylueſtre, vt odoratius, & potentius (vt indicant acuties odoris & ſaporis) reſiſtere fortiter qualitati deleteriæ; fœniculum vero ſatiuum, vt imbecillius in odore, & ſapore, ita veneno ſuccumbere, nec reſiſtere poſſe, quamuis à natura, vt ait Dioſcorides lib.3.cap.67. contra ſerpentum morſus ſit remedium, vt reſiſtit ſylueſtre, qui maiorem poſſidet facultatem, & experientia, vt dixi, comprobat.

Vermis Viginti circiter palmorum in puero viuus per ſedem expulſus.

OBSERVATIO XLI.

DE vermibus in noſtris obſeruationibus ſatis diximus, & ecce, dum iam ad finem peruenio, noua ſeſe offert obſeruatio, à diligentiſſimo, & doctiſſimo viro Mattheo Pariſio, qui, cum Medicinam in Noſocomio S.S. ad S.S. exercerem, mecum etiam obſeruauit Gallum ſine ano, & pene, de quo tractauimus Pentecoſte 2. obſer. 5. Retulit mihi menſe Maij præſentis anni 1652. puerum filium Cuſtodis bonorum Eminentiſſimi Cardinalis Columnæ vermem longitudine 20. palmorum viuum per ſedem expulſiſſe, ſed reciſum à Matre, ex quo clarè colligebatur partem ipſius in inteſtinis relictam fuiſſe. Puer hic biennis eſt. De longitud. vermium egregiè loquitur Spigell. tractando de vermibus, ſcilicet lato, & cucurbitino.

De

De Renum lithotomia.

OBSERVATIO XLII.

Lithotomia renum ab Hippocrate indicatur lib. de internis affectionibus textu 15. ſecundum Fœſij translationem his verbis. Vbi verò intumuerit, & extuberarit, ſub hoc tempus iuxta renem ſecato, & extracto pure, arenam medicamentis vrinam cientibus curato. Ex quo patet lithotomiam, antiquis renum cognitam fuiſſe. Auicenna etiam huius mentionem facit Canonum lib. 3. fen. 18. tract. 2. cap. 18. ſed hanc, cum Bacchanello, de conſ. Medic. in curand. morb. lib. 3. de renum, & veſicæ calculo, quoniam oportet penetrare per muſculos, per dorſum, per oſſa magna, per neruos, & arterias, & venas magnas, impoſſibilem puto. Idem ferè comprobat Serapio dicendo, quod ſit fere impoſſibilis Pract. tract. 4. cap. 22. quamuis aliter ſentiant Paræus lib. 24. cap. 19 & *Rouſſetus* de Partu Cæſar. ſect. 3. cap. 7.

Ea tantum ſectio, credimus, quod poſſit adminiſtrari, nempe cum ren ſecundum verba Hippocratica intumuerit, & eleuatus fuerit, vel vt paulo poſt ſubiungit, quando ren ſuppuratus fuerit. In hoc etenim caſu Natura ſibi parat iter, & hoc modo ſecti conualuere, vt referunt apud Schenchium Cœlius lib. 3. A. L. cap. 12. Cardanus de rerum varietate lib. 8. cap. 44. Fernelius Pathologiæ lib. 6. cap. 12. Ioachimus Camerarius, & Gaſpar Bauhinus in obſeruationibus proprijs; & ego quoque aliquando in quo-

quodam iuuene obſeruauimus,cui,per abſceſſum in lumbis ſpontè apertum,duo calculi cum pure egreſſi ſunt.

Sed in alio caſu impoſſibilem omnino credimus. Optima eſſet,ſi tutò poſſet fieri, ſed ad impoſſibilia nemo tenetur. Quod ſi aliquis diceret; ſi hoc fit à Natura, ergo poteſt tutò fieri ab arte; reſpondemus plurima rectè fieri à Natura, quæ ab arte nequeunt: exemplum habemus in Hydropicis in quibus, ſponte ortis in tibia vlceribus, ſanitas eluceſcit. Sed ſi vlcera arte parãtur,corrũpũtur,& mors ſuper uenit. Io.Benedictus Sinibaldus in ſua Antiphona quarta libri quinti inſignes Gallos, & excellentiores Romæ Chirurgos ad hoc opus his verbis hortatur. Vos itaque Galli eximij in arte viri,vos Larche, ac Trulle Vrbis Coryphæi contendite, brutorum periculo ſectionem experimini; tanto beneficio humanum genus ne defraudetis, Vtinam excellentiſſimi Vrbis Chirurgi Nicolaus Larche,& Ioannes Trullus hanc cum gloria attingerent metam; gauderemus nos,& multos ægros in Cymba Carontis aduectos non intueremur; ſed vt diximus, rem difficilem, & non ſolum difficilem, ſed impoſſibilem abſolutè credimus. Hinc oritur,quod multi,ex renum calculo moriantur.

Vulnus portentoſum inter Frontem, & Naſum.

OBSERVATIO XLIII.

QVi ſuaptè Natura procliuis ad bona fuerit,
Etiam ſi matre Aethiope genitus ſit, nobilis eſt.
Ex Scythia putas damnum fieri: Anacharſis nonne fuit Scytha?
Nullum generis noſtri diſcrimen eſſe puto;
Sed ſi rectè perpenderis, legitimus eſt,
Qui bonus eſt, qui malus ſpurius.

Ex hiſce Menandri carminibus bonitatis, & improbitatis potentia eluceſcit: Spurios Menander improbos reputat. Rectè quidem; nam non humanam habent Naturam, ſed ex humana beſtialem, ex qua tot iurgia, tot rixæ, tot bella oriuntur.

Vidimus religioſum ab altero vulneratum (qui exempla virtutum eſſe deberent) gladio inter frontem, & nares, gladiuſque in vulnere ruptus eſt, & tenaciſſimè adhęrebat, vt nulla arte extrahi poſſet, tamen paulatim auxiliante Natura à Chirurgo extractus eſt, quatuor digitorum longitudinem excedens, ex quo omnes mortem breui auſpicabantur, & tamen citra omnium opinionem conualuit.

Digitized by Google

Aranearum vulgo (Tarantolæ) dictarum.

OBSERVATIO XXXXIV.

Homo cum ſis lapſus es: In vita vero
Monſtrum eſt, ſi quis per totam vitam
Fortunatus fuerit.

Batho inter Græcos Poetas celebris de incoſtantia felicitatis humanæ hæc cecinit. Impoſſibile eſt enim aliquem ſemper, & omni ex parte beatum, aura frui vitali. Amor, odium, bellum, iurgia, caſus, humanæ vitæ conditionem reddunt deplorandam. Quid de venenis ſentiendum, quæ aut clam, aut apertè inſidiantur? confiteri cogimur monſtrum eſſe, vt ſupra dictum fuit, ſi quis per totam vitam fortunatus fuerit.

Habuimus à Guilelmo Riua Vrbis Chirurgo admirandam de veneno Aranearum, quas vuulgo (Tarantole di Puglia) appellant obſeruationem, cum etenim diuerſimodè, ex diuerſitate fortaſſe temperamenti, in ictis ab hoc animalculo varia obſeruentur, nempe cantus, riſus, ploratus, ſaltus, ſomnus, vigiliæ, ſudor, tremor, pauor, vomitus, & ſuper omnia Mania: tamen communiter, vt docet experientia, Muſicis inſtrumentis, videlicet cantu, & ſono ſanantur, fortaſſe quia per motum, ſudore prouocato, venenum ad circumferentiam corporis expellitur, vt docet Cardanus de ſubtilitate lib. 9. Itaque ad trahendum venenum ad partes externas, morſui cucurbitula affixa, & ſcarificata in quodã, fragor, ſeu tinnitus quidam auditus fuit. At quia

poterat id fortaſſe per accidens, aut ab aere, aut à cucurbitula prouenire,cucurbitula abſtracta fuit,& alia applicata, idemque ſonitus obſeruatus: atque hoc pluries facto,ſemper tum ab ipſo, tum ab adſtantibus ſimilis ſtridor perceptus fuit, ex quo luce meridiana clarius extitit, fragorem auditum, non ab aere, non à cucurbitula (ex quibus deceptio fortaſſe prouenire poterat) ſed abſolutè à qualitate veneni ortum habuiſſe.

Solutio continui in corde.

OBSERVATIO XXXXV.

QVanquam cor nobiliſſima ſit pars tamen nõ ex quauis læſione ſtatim animal moritur. Morbis etenim plurimis ſubiectus eſt, vt puta putredini, exſiccationi, tumoribus, vlceribus, ſic teſtantibus Galeno, Plinio, Fernelio, Columbo, Riuerio, Hollerio, & nos in obſeruat. 31. Pentecoſt. primæ tetigimus. Viſa etiam ſunt vulnera ad tempus, vt teſtantur Paræus, Iacotius, Sennertus, & alij. Comprobat hoc Guilelmi Riuę Romani Chirurgi obſeruatio, qui in Franciſca quadam à Tulpha,viginti circiter annorum,ſeptem vulneribus ſauciata, obſeruauit. In qua mors vſque ad adquartam diem protracta eſt; ſecto cadauere duo vulnera in dextrum vſque cordis ventriculum penetrantia viſa fuere.

Prægnantiæ ſignum infallibile in nobili quadam muliere.

OBSERVATIO XLVI.

VXorem ducere perinde eſt, atque tres ſeniones, aut tres talos.

Fortuito ieciſſe. Nam ſi nactus fueris compoſitam Moribus, & alias nullam moleſtiam exhibentem nuptijs beatus eris.

Sin & vagam, & loquacem, & ſumptuoſam.

Non vxorem habebis, ſed per totam vitam miſeriam exornatam.

Sic Epicharmus nuptiarum felicitatem, aut infelicitatem indicat. Magnates vero inter alia optant in mulieribus fecunditatem, atque ideo omnia ſigna explorant.

Nos vnum certiſſimum, & infallibile in nobili muliere obſeruauimus, in qua,quoties vtero gerebat, ſtatim primis menſibus,vena tumens in femoris interna parte,prope genu, apparebat, ex compreſſione forſitan venarum ab vtero facta, ex qua ſimilis vena in tumorem eleuabatur.

Duel-

Puella Hydrocephala, Aphona, ſeptimo periit anno.

OBSERVATIO XLVII.

MArcus Aurelius Seuerinus celeberrimus in Gymnaſio Neapolitano Anatomes, & Chirurgiæ Profeſſor de nouis obſeruatis abſceſſibus ca. 9. puerorum Hydrocephalon deſcribit, & præcipuè inſignem obſeruatum in filiolo D. Claricis Caraphæ, in quo in immenſum caput auctum, turcicum capitis ornamentum repræſentabat. Nos vero aliud, ſed differens vidimus in puella patritia Romana, cui ſuturæ, alicubi erant ſeiunctæ, alicubi verò vnitæ; ſed in ipſa cranium erat perforatum; etenim multis in locis aderant cauitates rotundæ, aliæ maiores, aliæ minores, per quas humor egreſſus diſtendens cutem magnitudinem capitis augebat. Vixit per ſeptem annos, ſed ſemper aphona, idest ſine voce; poſtmodum in Atrophiam tranſiens, capite iam in immenſam molem adaucto, fato conceſſit.

In febre maligna, quandoque integros artus corrumpi, in quo caſu ſectio pa. rum prodeſt.

OBSERVATIO XLVIII.

Non appellandus eſt felix; qui pecunias Habet plurimas, ſed qui non triſtatur.

Rectè dixit Apollodorus, nam ſi diuitiæ felicem facerent, vtique Galerius Imperator, & Adrianus felices fuiſſent; ſed infeliciſſimi in morte fuere, tędioque morbi cruciati ſibi mortem intulerunt. Vidimus nos aliquos, alioquin proſpera ornatos fortuna, in quibus, aduentante maligna febre, integri artus corrumpebantur. Tunc nos deplorandam humanæ conditionis calamitatem intuebamur, nam ſi ſectio non fiebat, corruptio breui tempore cæteras occupabat partes. ſi vero ferro, & igne pars corrupta ſecabatur, carnificina erat, & tamen poſtmodum moriebantur, etenim infecta maſſa ſanguinea mors ſubſequebatur. Vnde melius eſſe crediderim incuratos relinquere, quoniam nullo modo ſanantur, vt pluries obſeruauimus.

De Voluulo ex Enterocele.

OBSERVATIO XLIX.

N*Vnquam eſt ille miſer, cui facile eſt mori.*

Ex Seneca in Hercule Oeteo; igitur à pari miſerrimus eſt cui mors truculenta, difficilis, terrifica inſtat. Inter hos numerantur infelices illi, qui ſæuiente morbo fæces per os excernunt. Multoties in Enterocele hoc modo mortuos vidi. In quo morbo aliqua animaduertenda cenſeo, quæ mihi in curatione apparuerunt. Primo in Enterocele non debet Chirurgus ſæpius manum admouere, etenim creſcit dolor, & cum dolore attractio. Secundo abſtinendum eſt à rebus omnibus calidis tum intra, tum extra, quoniam inflammationem pariunt, ex qua corruptio, & mors. Tertio ita debemus ægrum collocare, vt pedes altiores ſint, quam caput. Quarto cibi omnes ſolidi fugiendi, & tantum rebus liquidis vtendum eſt. Quinto parti dolenti applicare poſſumus omentum caſtrati tepidum, & vngere cum oleo recenti amigdalarum dulcium ſine igne extracti, dummodo frigidè non calidè applicetur. Sexto aduertat chirurgus facilè ſpontè inteſtinum regredi hiſce remedijs, abſq; vlla manuum vi, nam, ſi manus admoueantur, irritatur Natura, & deſperata res eſt. Septimo tandem abſtineat ægrotans à vino, etiam ſi decrepitus: id tamen animaduertendum eſt, quod ſi in ſtomachi incidat dolorem, concedendum eſt, vt mane capiat vini potentis,

tis(quod nos, vulgo, Græco appellamus) vnciam vnam, & non amplius. Quibus pręſidijs fauente Deo ferè omnes ſanantur.

De Hymene.

OBSERVATIO I.

VT flos in ſeptis ſecretus naſcitur hortis
Ignotus pecori, nullo contuſus aratro.
Quem mulcent auræ, firmat Sol, educat imber,
Multi illum pueri, multæ optauere puellæ.
Idem cum tenui carptus defloruit vngui,
Nulli illum pueri, nullæ optauere puellæ.
Sic Virgo dum intacta manet, dum cara ſuis. Sed
Cum caſtum amiſit polluto corpore florem,
Nec pueris iucunda manet, nec cara puellis.

Catullus in Epithalamio ſic Virginitatẽ deſcripſit, de cuius notis, ac ſignis, cum multæ ſint difficultates, breuiter, quid obſeruaui explanabo. In hoc etenim fortaſſe relatio noſtra magni erit faciẽda, cum in Noſocomio S.S ad S.S. ex profeſſo, propter Virginum ægrotantium copiam, hanc rem tractauerimus.

De membrana illa loquimur, quæ diuerſimodè Hymen, Eugium, Flos Virginitatis, & Clauſtrum Virginale appellatur De qua extat controuerſia; videlicet primò, quid ſit, ſecundò an in omnibus reperiatur. Circa primum reijcitur Arabum opinio, qui ex venulis in colli medio hymen conſtruunt, falſum etenim eſt. Fernelius, & Vlmus audien-

diendi non ſunt, qui latera colli adhærere ſtatuūt. Illos verò audire debemus, qui aut membranam, aut carunculas, aut vtrumque ſimul ſtatuunt. Vt Seuerinus Pineus, Spigellius, Riolanus Veſallius, Fallopius, Aquapendens, Caſſerius, Veſlingius, & alij plurimi.

Ad Columbum vero, Paræum, & alios, qui negant hoc, reſpondet primo Spigellius his verbis, de humani corp. fabrica lib. 8. cap. 18. Hoc vnum monendum duximus in rebus anatomicis audiendos neutiquam eſſe, vtcumque in alijs Medicinæ partibus docti fuerint, qui experientia, & rationibus carent. Ridendi ergo in primis illi, qui nunquam, poſt hos, qui raro admodum inueniri, nec niſi præter Naturam exiſtimant. Hanc enim in omnibus, quas ſecui, Virginibus me deprehendiſſe in publico Theatro ſæpenumero demonſtraſſe textor, nec defuiſſe vnam notaui. Reſpondet ſecundo doctiſſimus Bartholinus in ſua Anatome reformata lib. 1. cap. 31, hoc modo. Quod vero in his Columbus, & Paræus negant ſemper inueniri, Laurentius verò nunquam ſe inueniſſe aſſerit, imputandum eſt inopiæ cadauerum, aut negligentiæ in diſſectionibus, aut, ſi putarunt ſe virgines ſecuiſſe, defloratæ forte fuere; aut ſi virgunculas, illæ quoque digitis nōnunquam, & petulantia eam rumpere poſſunt: At ſi dicent ſe ſecuiſſe abortus puellas bimas, trimas, &c. reſpondemus nō credi facile poſſe in illis deeſſe, cum authoritates, & experientiæ peritorum Anatomicorum citatorum aduerſentur. Deinde ſi in iſtiuſmodi aliquando deeſſe depræhenſum eſt, de quo dubitatur: eodem iure, quo illi dicunt præter Naturam adeſſe hanc membranam, nos dicemus

præter Naturam abeſſe. Raró enim deeſt, vt plurimum adeſt. Alij vero nobis contrarij & dictæ attentio conſentientes, vt Capiuaccius, & Augerius, tanquam parùm Anatomici reijciantur.

Videmus ergo dari Hymen in omnibus prout in omnib. virginibus lactãtibus, aut abortu expulſis, aut infantibus ſemper obſeruauimus, quin immodũ hęc ſcribũtur ſeſe offert caſus cuiuſdã puellæ nouẽ circiter annorũ, quæ, cũ à quodã iuuene ſtuprata crederetur, & nos cũ Ioanne Truſſo magnæ famæ Chirurgo vocati eſſemus, obſeruata fuit præſenti etiam Antonio Gallina diligenti carcerum Chirurgo, in qua Hymen lunaris figuræ integrum nullo modo fractum aſpeximus, & de peritia requiſiti, depoſuimus omnino virginem eſſe, quoniam cum Hymen adeſt, adeſt & certa virginitatis nota; & ſic iuuenis ille liber, Iudicis ſententia, euaſit.

Itaque apertè dicimus, & experientia teſtatur Hymen in omnibus reperiri.


Ad aliud vero quid ſit Hymen dicimus experientia ſemper innixi, nil aliud eſſe, quam membranam tranſuerſam aliquando tenuiorem, aliquando carnoſiorem prope collum veſicæ, in vaginæ pudendi principio, quæ ingreſſum prohibet; quæque ſi labia tantiſper diducantur, lunaris figuræ apparet, ſi verò labia concidant, & Hymen corrugetur, carũculas, quaſdam repræſentat. In ſequenti imagine ipſius figuram cum explicatione poſuimus.

Lector benigniſſime obſeruationes hæ ſi Palatui placent, ſi arrident, alias placente Deo in medium proferam. Interim valeas.

In tabula depicta eſt puella Virgo ad aſpiciendum Eugium.

A Vmbilicalis vena abſciſſa, & ſurſum reflexa.
B Arteriæ vmbilicales abſciſſæ.
C Peritonæum cum muſculis, adipe, & cute in crucem diſſectum.
D Hepar.
E Fiſſura Hepatis, in quam vena vmbilicalis ingreditur.
F Veſica.
G Vterus.
H Ceruix Vteri.
I Hymen euulſum creſcentem Lunam referens.
K Vrachus.
L Vmbilicus.
M Ligamenta Vteri rotunda.
N Inteſtina.
O Clitoris, tentigo, ſeu mentula muliebris.
P Labia pudendi.
Q Hymen.
R Podex.
S Nymphæ, ſeu Alæ.
T Hymen maior depictus.
V Nymphæ maiores depictæ.
X Clitoris pari modo maior.
Y Orificium Hymenis, per quod vrina, & menſes egrediuntur.
Z Vterus auulſus, abſque alis depictus, ideſt tubis Fallopianis, vt commodè vaſa ſpermatica, cum teſtibus appareant.

OPV-



BIBLIOTECA ... ROMA
VITTORIO EMANUELE
Google

OPVSCVLA
VARIA
NEMPE

De Neceſſitate Botanices.
Plantarum Amphitheatralium catalogus.
Chamæleo examinatus.
Arcanorum Faſciculus Primus.
Arcanorum Faſciculus Secundus.

DOMINICI
PANAROLI
ROMANI

Philoſophi, & Medici.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

PETRO CASTELLO
ROMANO
OLIM

In Patrio Archigymnaſio Medicinæ, & Simplicium Lectori

IN PRAESENTI

In Celebri Meſſanenſium Lycæo Medicinæ, Anatomes, Botanicæ, Chirurgię, Pharmaceuticę, & Chymicę Profeſſori Digniſſimo, & Scriptori Excellentiſſimo.

DOMINICVS PANAROLVS
Romanus, Salutem, Felicitatem, Immortalitatem.

LAVDET Antiquitas inter egregium Medicorum numerum Podalirium, Machaonem, Melampum, Chironem, Aeſculapium, atque alios, qui ob inſignem in medendo peritiam, indelebili pictura à maioribus noſtris, in libro immortalitatis (in quo illuſtres viri, quamuis mortui, per hora hominum viuunt) impreſſi fuerunt. Non tanta eſt ipſorum laus. Priſci etenim, & præſertim Græci, apud quos præci-

puè Medicina floruit, hyperbolicis vocibus factum aliquod illuſtre, aut inſigne, vſque ad aſtra decantarunt. Hinc Hercules Inferni victor; hinc Orphæus, mulcendo, Furiarum placator, hinc Chiro, Aeſculapius, & Apollo in Cœlum tranſlati, de quo ſic cecinit Ouidius, dum fugientem Daphnim. tentat ad amorem ſuum reuocare.

Inuentum Medicina meum, eſt opifexque per orbem
Dicor, & herbarum ſubiecta potentia nobis.

Antiquitas mendacia dicat, Poetæ falſa canant, non ſic laudes decantantur: iuſta debet eſſe laus, nam quæ excedit, cum ſit immodica, & factis nullo modo reſpondeat, pro vana, & fallace reputatur. Non ſic mi PETRE te laudo, ſed critica menſura Cinicus Cenſor, æqua lance, ſingula pondero. Singula dixi, quia ſingula examinata æternam tui nominis immortalitatem præparant.

Ad perfectum, & optimum Medicum non requiritur tantum, vt in faſtoſa, & verboſa oſtentatione ampulloſè loquatur, ſed rerum omnium Encyclopędia. Hanc habes inter Neotericos, quaſi Phœnix alter. Linguarum poſſeſſio, Philoſophia, Matheſis, Anatomes, Chirurgia, Theorica, Praxis, Botanica, Pharmacia, & Chymica, tanquam pennę ſunt, quibus eleuatus per immortalitatis Cœlum feliciter volas.

Dum te per Italicum Aether glorioſè volantem cerno, nil aliud poſſum agere, quam meis hiſce opuſculis inter applaudentium numerum, tibi Victorias, Trophæa, Immortalitatem auſpicari. Valeas.

DE

DE

NECESSITATE BOTANICES,

SEV

DE SIMPLICIVM COGNITIONE

Medico neceſſaria.

Proludium

In almę Vrbis Archigymnaſio habitum

A

DOMINICO PANAROLO ROMANO

Philoſopho, & Medico.

FORTIS, magnanimuſque Græcorum ille, primus nauita, fluctiuagus, æquoriſque triumphator, qui, vt cecinit Lyricus 1. car. ode tertia.

Fragilem truci
Commiſit pelago ratem.

Digitized by Google

Primus, nec timuit præcipitem Africum
Decertantem Aquilonibus.
Nec triſtes Hyadas, nec rabiem Noti.
Qui ſiccis oculis monſtra natantia.
Qui vidit mare turgidum, &
Infames ſcopulos Arcóceraunia.

Ille inquam, qui ſpretis terræ terminis, glorioſum putauit, ſi per vndas, & ventos viam inueniret; antequam auderet in medio mari ancipiti nauem vento committere, & in totum Pelago ſe credere, tellurem radendo, ſulcabat vno, eodemque tempore arenas, & aquas. Ex quo redditus audax, mortis contemptor, gloriæ cupidus, littore relicto carbaſa, plena præbuit ventis.

Quintus nunc agitur annus, quo ſimplicium medicamentorum hiſtoriam aggreſſus fui. Verum in ipſorum explicatione, vſque ad hoc tempus, in tam vaſto Oceano, velis iter tendere non audebam; ſed remigio tantũ freta ſecabam; modo vero tellure neglecta, audens factus, flante Zephyro benignitatis veſtræ ire per altum conabor. Per altum quidem; Dioſcoridis enim primum, & ſecundum librũ explicaturi cathedram aſcendimus.

Quamplurimi tum inter antiquos tum neotericos ſimplicium peritiſſimi extiterunt: ſed nè longus ſim ſingulos connumerando, ſolum hoc dico, quod ab omnibus viua voce Dioſcorides, & præſertim à Galeno, tanquam inſignior celebratur, qui longa experientia, acerrimo ingenio, ſtudio maximo, laboribus improbis, itineribus continuis, & longinquis, in hac Medicinæ parte rutilum iubar emicuit. Itaque merito Oceanum dixi, ab ipſo

enim

enim reliqui tanquam fontes oriuntur, & in ipſum reuertuntur. Faxit Deus, vt ſecundo vento poſſim ad littora proram vertere.

Memini me alias de Botanicæ Antiquitate, Nobilitate, & Iucunditate in Arte Medica aliqua tetigiſſe; dum apud ethnicos originem ab Apolline, Aeſculapio, Podalirio, Machaone, Chirone traxiſſe, apud hæbreos ab Adamo, & Salomone, apud Medicos à Theophraſto, ſed ſummopere à Dioſcoride, apud hiſtoricos, à quamplurimis Regibus, ortum habuiſſe inueni. Inter hos fuerunt præcipuè Alcibiades Atheniẽſiũ Imperator, Arthemiſia Mauſoli Regis vxor Cariæ Regina, Clymenus Minitarum Rex, & Gentius Illiriæ, Lyſimachus Macedoniæ, Telephus Miſiæ, Teucer tandem Troiæ Reges, qui omnes hac facultate præditi monumentũ poſteris reliquerunt, dum proprijs nominibus his, qui Medicinam colunt, inſignitas indicarunt plantas.

Memini inquam hoc pluries dixiſſe, & in hoc taceo, nè videar ſemper vſque ad Aſtra ſimplicium peritiam me velle exaltare; attamen illud huic noſtro negotio neceſſarium puto, antequam vlterius progrediar, ſi breuiter aliqua de ipſius neceſſitate in Medicina, tetigero. Id autem me, ſi non optimæ, ſaltem non peſſimè facturum credo, ſi ipſius neceſſitas ex triplici fonte, rationis nempe experientiæ, & auctoritatis cognoſci poterit.

Et primo quoad rationem, Medicina in ſe eſt aliquid in potentia, dum non reducitur ad actum; ægri enim, non in verbis Medicorum, ſed in remedijs ſpem habent. Parum intereſt, ſi Medicus optime loquatur, ſi poſtea dum ipſe loquitur, æger,

aut in deterius ruat, aut pereat; & ſic, vt iſta potētia reducatur ad actum, alioquin fruſtra daretur, tripliciter eluceſcit, per Diætam, Chirurgiam, & Pharmaceuticam. Diçta verſatur circa aerem, cibum, & potum, motum, & quietem, excreta, & retenta, ſomnum, & vigiliam, pathemata, & ſecundum aliquos circa Aphrodiſios amplexus Chirurgia, à manu ethymon ſumens, medicamenta nōnulla externa ferrū, & ignē tractat Pharmacia vero, tam interna, quam externa remedia, tam ſimplicia quam compoſita medicamenta contemplatur, & examinat. Hæc, quæ dixi, lippis, & tonſoribus nota ſunt, & luce Meridiana clariora Quis itaque Medicus erit ignorans in ſua facultate præſidiorū, quibus corpora, tum ſana conſeruantur, tum ægra ad ſanitatem perducuntur? ſed aliquem ſentio ſuſurrantem, atque in aures meas iuit neſcio quod reſponſum, videlicet in lectione librorum, ſimplicium naturam, vires, aliaque id genus optimè videri. Ad hoc tamen Galenus lib 6. de compoſ. medicament. ſecundum locos reſpondit. *Verus profectò ſermo eſt, quem plerique artifices in ore habent, quod non idem ſit, neque ſimile à viua voce diſcere, & ex libro legere*, cum prius lib. 6. de ſimplic. med. facult. dixiſſet. *Verum abſtinendum ab Andrea eſt, aliiſque ſimiliter mendacibus, multòque etiam magis fugiendus Pamphilus, qui nè per ſomnium quidem herbas vidit, quarum aggreditur figuras perſcribere. Nam id genus hominum (quomodo aſſimilauit eos Heraclides Tarentinus) ſimillimum eſt præconibus, qui formam, ac notas fugitiui mancipij, licet ipſi non viderint vnquam, præconio tamen publicant; notas enim ab aliis, qui norunt, accipiunt, & ceu cantilenam eas proferunt; vt ſi fortè*

is,

is, quem præconio indicant, prope adſiſteret, agnoſcere tamen non poſſent. Equidem non poſſum non accuſare, & illos quoque, qui primi herbarum formas ſcriptis docere conati ſunt, cum melius exiſtimem ab ipſo præceptore oculis diſcere. Hæc Galenus, qui ſupra eumdem Pamphilum caſtigauit his verbis. *At Pamphilus is ſcilicet,, qui libros de herbis compoſuit, plane ex ijs, quæ, vel ipſe ſcribit, præſefert grammaticum, indicatque ſe, nec conſpexiſſe herbas, de quibus conſcribit, nec vires earum expertum; ſed ijs, qui ante ipſum ſcripſere, fidem habuiſſe, citra vllam explorationem. Sic ſanè libros expleuit annexo, ad quamque herbam nominum aceruo, deinde exponens, ſi qua ex homine ferebatur tranſformatio, tum epodos, & libationes, & thymiamata, quæ in colligendis illis adhibebantur adſcribens, nec nec, & alias eiuſmodi præſtigiaturas nugaces.*

Monumenta hæc afferre ex Galeno licuit: atque vtinam vnus fuiſſet Pamphilus priſcis temporibus, non autem plures, qui dum libros magnos conficiant, neglectis rebus vtilibus, & neceſſarijs, in multiloquio verſantes, ingenti faſtu per vrbes ambulāt. Melius eſſet parum, dum bene, quam multum, dum male ſcribere: ſimiles eos reputo hortorum cuſtodibus, qui falce omnia reſecantes, inter herbas, ſtramenta, & virgulta, vix vnicum florem in faſce reperiunt; dum Viridarij Dominus magna ſolertia, & diligentia, Veris pompas carpens, paruā, attamen odoratiſſimam florum corollam capiti ſuò imponit. Adagium eſt vulgare. Multum loquentem raro vidi ſapientem. Hæc dicta ſint in gratiam eorum, qui, vos Auditores cariſſimi ab huiuſmodi peritia auertere conantes, vbique conclamant, ſimplicium Medicamentorum cognitionem Medicis

non

non eſſe neceſſariam. At ex Terentio in Adelphis.

Homine imperito nihil quicquam iniuſtius
Qui niſi quod ipſe facit nihil rectum putat.

Si ſimplicium cognitio Medicis non eſſet neceſſaria, fruſtra laborarent vniuerſitates Europeæ in Antidotarijs ordinandis, in Pharmacopœis viſitandis, ſed tantum ſub bona fide Pharmacopolarum viuerent, neque vllo modo componenda, abſque præſentia Phyſici, medicamenta verarent: at contrariũ videmus, nam quolibet anno hæc fiunt, & qualibet die. Quod ſi Medici, qui Pharmacopœos viſitant, & corrigunt, ſimplicium cognitionem non haberent, hoc eſſet vno tempore deceptio Reipublicæ, & Principis: Reipublicæ, quia ciues non acciperent Medicamenta à Medicis perſcripta, ſi ea à Medicis ignorata cenſerent, cœcus enim cum ſit in hoc caſu Medicus non iudicat de colore; Principis, quia adhoc ſuperiores Medicos imponit, vt ipſi omnem operam, omne tempus, ſtudiumque impendant, in medicamentis omnibus, tam internis, quam externis diligenter examinandis, & propter hoc facultates Archiatris tribuuntur, viſitandi Pharmacopolas, examinandi medicamenta, tam ſimplicia, quam compoſita, & ſi errata, aut fraudes inueniantur, ſeueriſſimè puniendi. Sed ſemimedicus, fortaſſe pſeudoMedicus nullius rei indiget niſi pecuniæ. Dummodo hæc adſit, cætera abſint, immemores hippocratici monumenti in epiſtola ad Demetrium dum inquit. Perſarum Rex non accerſiuit ignarus, quod apud me maior eſt ſapientiæ ratio, quam auri.

Quis nam doſim, ſubſtituta, antidotaria perſcribet, niſi Medicus; nonnè hippocrates huius rei

con-

conſcius Cratæuæ his verbis imperat. *Tu vero, quodquod fieri poteſt, nobis montanas maximè, & in altis collibus naſcentes herbas radicitus reſeca*, qui infra cum monuiſſet eum de floribus colligendis, ſuccisque, & liquoribus conſeruandis, hæc profert. *Cæterum ſtatim nobis hæc mittito*. Accedas huc ſimplicium ignarus, & dicas, quid facere debebat Hippocrates, ſi ſimplicia non cognoſcebat? certe nihil; non enim ibi Hippocrates Crateuæ ſcripſit nomina ſimplicium, quorum indigebat, ſed tantum indicat, quod indiſcriminatim afferret radices, flores ſuccus, & liquores. Nec ego velim Medicos radiciſecas, quamuis optimum foret exemplo Galeni, qui de antid. adm. lib. 1. de ſe ſic loquitur. *Ego verò, & chamæpytin, & Chamædrin, & Thlaſpim, & Centauream, & Hypericum, & Polium, & id genus herbas alias Romæ vidi, quas obſeruato tempore, quo vigent, neque æſtiuo Sole areſactas, neque citius, quam par fuit euulſas collegi, nondum concoctis ſeminibus, aut maturis. Compoſitarum namq; Medicinarum virtus ex ſimplicium vigore conſurgit*. Sed ſaltem, vt allatas herbas, quæ frequenti ſunt in vſu in Medicina, cognoſcant. Nam quomodo facient Medici ſimplicium ignari, dum apud Magnates, Pharmacum aliquod eligitur ipſis præſentibus, certè vnum ex his; aut ſe ignaros, aut mendaces declarabunt.

Hinc poſtea Pharmacopolarum inſurgit ſuperbia, dum audent vltra crepidam traſcendere, nam ſi corrigi debent à Medicis, Medici eorum errores debent cognoſcere; at ſi ſimplicium debent eſſe ignari Medici, non enim eſt neceſſarium, vt quidam aiunt, erroresipſorum dum non cognoſcunt

eos corrigere, viſitare, cenſurare, nec poſſunt, nec debent; iniuſta etenim eſt correctio, viſitatio, & cenſura. Itaque dicendum eſt reſolutè tam Medicis eſſe neceſſariam ſimplicium cognitionem, quantum homo indiget aere, & victu ad viuendū.

Allatis quibuſdam rationibus, quæ Botanicæ neceſſitatem indicant ad experientiam me confero. Quæ tanta eſt, vt ab ipſa ſolum incepiſſe Medicinam inueniam, ex Dodonæi præfatione in ſuas Pemptades, & fere ex omnibus, qui de hac ſcripſerunt, ſed prius ex Plinio, qui 24. lib. Medicinam, ex ſimplicibus ortam aſſerit dum inquit. *Hinc nata Medicina, hac ſola placuerat eſſe remedia*, cum his quæ ſequuntur. Id etiam annuiſſe videtur Ouidius lib. 1. Metamorph. dum Apollinem ſic loquentem inducit.

Inuentum Medicina meum eſt opifexque per orbem
Dicor, & herbarum ſubiecta potentia nobis.

Ab experientia neceſſitas illius conſurgit, quandoquidem omnes, qui fuerunt re uera Medici, non autem nomine, ſimplicium cognitionem habuerunt. De Hippocrate ſupra diximus. De Galeno plura dicenda eſſent, ni breuitas cogeret, attamen hoc ſentiant, qui hanc facultatem aſpernantur ex ipſo lib 6. de ſimplic medicam. facult. *Porro plerunque medicamentorum vſum veteres in curandi tractatibus prodiderunt, vt & iuniorum medicorum prope omnes. Nam & ab Hippocrate dicta ſunt multa, & ab Euriphonte, & Dieuche, & Diocle, & Pliſtonico, & Praxagora, & Herophilo: nec eſt veterum medicorum quiſquā, qui non aliquid, plus, minuſue arti contulerit ad Medicamentorum ſcientiam.*

Cum tres præcipui fuerint in Medicina Coryphæi

phæi, non neglectis interim alijs, videlicet Hippocrates, Galenus, & Auicenna, de Hippocr. & Galeno aliqua tetigiſſe placuit. Audiamus itaque Auicennam, qui cum non vulgariter hac peritia ornatus eſſet tamen lib.2.tract. 1. c. 4 inquit. *Iſti ergo ſunt canones vniuerſales, quos apud Medicum præparatos eſſe oportet in eſſe medicinarum ſingularium, nunc vero in ſecundo tractatu incipere volo. Loquamur ergo de naturis medicinarum ſingularium à nobis cognitatarum, & earum quarum cognitio à nobis poſſibilis erit, conſequemur earum impreſſiones, attendendo ſigna in eis vera. Et dimittemus narrare medicinas, de quibus nihil nouimus, niſi nomina tantum*. Ecce quod Auicenna non canit cantilenam, vt reprobauit Galenus, ſed ponit tantum ſimplicia, quæ ab ipſo cognoſcuntur, aut cognoſci poſſunt diligenti induſtria.

Memini aliquando me legiſſe in antiquorum monumentis præclarum illud reſponſum Annibalis in Aſia exulantis, qui cum Phormionem Peripateticum de bello, omnique re militari copioſiſſimè differentē intellexiſſet, quamuis nunquā Phalāges vidiſſet, interrogatus poſtea, quid de Phormione ſentiret, egregiè reſpondit, multos deliros vidiſſe, ſed Phormione maiorem neminem. Hoc reſponſum date auditores diligentiſſimi ijs, qui vos ab hoc Regali ſtudio auertere conantur.

Quoties Medicus Botanicæ neſcius in nominibus confunditur, & ſæpius eamdem rem dupliciter ſcribit. Memini me in eadem recepta legiſſe Verbaſcum, & Tapſum barbatum, Sonchum, & Cicerbitam, cum tamen ſint eedem plantæ, ſed hic error etiam Galeni temporibus aderat, qui ſic Me-

dicum quemdam irridet lib. 1. de antid. adminiſt. *Medicus quidam Romæ, qui theriacam conficere nunquam viderat, ipſamque ſe ex ſola librorum lectione compoſiturum fidebat, ab vnguentarijs bedicroum petijt, exiſtimans illum herbam eſſe quampiam, vel ſimplex aliquod aliud medicamentum*. Irriſiones ſunt pręmia ignorantium, & poſtea, ò noſtrorum temporum calamitas! de opobalſamo diſceptare auſi ſunt, qui Vrticam, aut Braſſicam non cognoſcebant.

Longiſſima experientia Medici herbariæ peritiæ ſtudioſi apud Reges, & magnates maximis honobus ornati fuerunt, Matthiolus, Dodonæus, Proſper Alpinus, Cortuſius, Cæſalpinus, & hic Romæ Caſtor Durãtes, & Michael Mercatus Clementis VIII. P.M. inſignis Medicus horti ſimplicium in Vaticano reſtaurator, & metallothecę exornator. Si reſponderent iſti, ſimplicium cognitionem difficillimam eſſe hic Romæ, quoniam non adeſt hortus, cum autem Academia Bononienſis, Monſpelienſis, Pariſina, Peruſina, Patauina, Piſana Hortum ſimplicium habeant, fortaſſe optimum darent reſponſum PETRVS enim CASTELLVS de opt. Medico ſect decima ſic ait. *Quare ſicut Medicus ſimplicium ignarus non eſt bonus Medicus, ita Academia, quæ horto ſimplicium publico caret, vbi Medici, & Pharmacopæi doceri debeant, non eſt perfecta Academia.* Itaque non debemus dicere botanicum ornamentum Phyſico non eſſe neceſſarium.

Accedo ad auctoritatem, ſed breuiter me expediã relictis omnibus, vno excepto Galeno; etenim ſi omnes afferrem nauſeabũde lectionis breuitatem præterirem. Interim ſufficiant mihi aliqui Galeni loci, in cuius verba ferè omnes Medici iurarunt.

Et

Et primo de ſimplic. med.fac.lib.1.cap.1. *Quantum conferat ſimplicium medicamentorum exactè facultates cognoſcere, quàmque neceſſarium ſit, tum ad variarum compoſitionem, tum ad inuentorum opportunum vſum*. Secundo de antid. admin.lib. 1 *Medicus autem omnium ſtirpium, ſi fieri poteſt, peritiam habeat cõſulo, ſin minus plurium ſaltem, quibus frequenter vtimur.* Notate auditores, ſi (ſaltem) indicat neceſſitatem ſciendi medicamenta quibus vtimur. Qui Galenus paulopoſt aït. *Hæc enim quiſquis toto ætatis illarum decurſu nouerit, multis in partibus orbis terrarum reperiet, vt & ego in Italia multis in locis inueni, quæ nec quando pullulant, nec quando creſcunt nouerunt iſti, qui ſiccas ſtirpes tantummodo cognoſcunt*. Bonum eſſet, ò Galene, ſi ij, qui hanc facultatem negligunt, ſiccas ſtirpes cognoſcerent, ſed quod maxime intereſt, neque virentes, neque ſiccas herbas cognoſcunt, ſed nomina tantũ. Tertio de comp med ſecund.locos lib.6. *Impoſſibile enim eſt Pharmaco ritè vti eum, qui vim ipſius non noſcit, iuxta cuius efficaciam auxiliatur*, & paulo poſt. *Manifeſtum enim, quod per huiuſmodi methodi vſum, nemo, qui ſimplicium pharmacorum facultatem nouit, vnquam auxiliorum inopia laborabit, ſiue per montes venetur, ſiue quid operetur in agro, ſiue in peregrinatione, quandoque præparatis careat medicamentis*. Attendite auditores benigniſſimi, audite Galenum, & videte, quid faciet Medicus ſimplicium ignarus in hoc caſu, qui infra hæc ſubdit. *Quibus omnibus* loquendo de cõpoſitis *ſolus is rectè vtetur, qui ſingulorum ſimplicium pharmacorum vires nouit, ipſe enim ſciet, & ordinem Pharmaci*. Quarto de comp.med.ſecund. loc.lib.8. *Verum ipſorum differentias cognoſces, ſe*

ſim-

ſimplicium Pharmacorum facultatem memoria tenueris, Dictum enim mihi iam ſæpe eſt neminem poſſe rationabiliter, & ſecundum methodum vti his, quæ in hoc opere ſcripta ſunt, ſi non memoria teneat, quæ in duobus operibus ante hoc opus editis prodita ſunt, de ſimplicium Pharmacorum facultate, & curandi Methodo dico. Quinto de comp med per genera lib.1.c.2. *Iam verò vt ſimplicium medicaminum vniuerſorum facultates adamuſſim vobis cognoſcendæ ſunt quo vbiuis, &c.* Sexto de comp.med.per gen.lib 2.c.1. *deinde per hãc viam in multis particularibus exerceamur oportet, ſciẽtes citra talis ſtudij exercitationem nullum rectè opus perfici.* Septimo, & vltimo de comp. medic. per gen.lib 3 c.1. *Hinc enim puto bonæ indolis iuuenis incitatum iri, vt medicamentorum materiam cognoſcant, ipſimet inſpicientes, non ſemel, aut bis, ſed frequenter quoniam ſenſibilium rerum cognitio ſedula inſpectione confirmatur*, & paulo poſt. *Quiſquis igitur auxiliorum vndique copiam habere volet, omnis ſtirpium materiæ, animalium, metallorum, & abſque metallica natura, terreſtrium corporum, quæ ad medicinæ vſum ducimus, expertus eſto, vt ex eis, & exacta, & notha cognoſcat*, qui poſtmodum celeberrimè concludit his verbis. *Niſi enim hoc modo inſtructus ad præſentis operis præſidia veniat, verbo tenus quidem medendi modum ſciet, opus vero nullum ipſa dignum perficiet.*

Nonne ex relatis auctoritatibus confunduntur, qui ſimplicium cognitionem Medicis non eſſe neceſſariam afferunt. Sed audio Plinium. Venias modo, & indica auditoribus benigniſſimis, qui ſunt iſti, qui hanc facultatem aſpernantur, aut quomodo ſimplicium cognitio deficere incepit. Tu ſic reſpondes lib.26.c.2.& 3. *Hippocratis certe, qui primus*

mur medendi præcepta clariſſimè condidit, referta herbarum mentione inuenimus volumina. Nec minus Dioclis Cariſtij, qui ſecundus ætate, famaque extitit, item Praxagoræ, & Chriſippi, ac deinde Eraſiſtrati Herophilo quidem, quamquam ſubtilioris ſectæ conditori, ante omnes celebratam rationem; ea paulatim vſu efficaciſſimo rerum omnium magiſtra, peculiariter vtique ad verba, garrulitatemque deſcendente; Sedere namque in ijs ſcholis auditioni occupatum gratius erat, quam ire per ſolitudines, & quærere herbas alias, alijs diebus anni.

Durabat tamen antiquitas firma, magnaſque confeſſæ rei vindicabat reliquias, donec Aſclepiades ætate magn. Pompeij Rethoricæ Magiſter, nec ſatis in ea arte quæſtuoſus, vt ad alia ſagacis ingenij, huc ſe repente cõuertit, atque, vt neceſſe erat homini, cum nec id egiſſet, nec remedia noſſet oculis, vſuque percipienda, torrenti, ac meditata quotidie oratione blandiens, omnia abdicauit, totamque medicinam ad caſum reuocando coniecturam fecit.

Satis audiuimus. Aſclepiades, ò Plini apud te poſtmodum irridetur, ſicut circulator, & magicæ vanitati intentus.

Itaque, qui hanc facultatem negligunt Plinij teſtimonio non ſunt virtutis amantis, laboris patientes, vt decet, ſed otioſi, & loquaces; ideo Dioſcorides, cuius primũ, & ſecundũ librũ hoc anno explanabimus in hoc Vrbis, & Orbis Archigymnaſio, ante omnia in ſuo prohemio iuuenes ad hanc facultatem acquirendam ſuadens, in primis ſtudium, peregrinationem, continuumque laborem ponit ſuo exemplo ante oculos; ſine hoc enim, vt pluries repetit, perfecti eſſe non poſſumus. Antequam vero vlterius

pro-

progrediamur in explicatione primi textus lib. 4. de Iride, audiamus ipſum Dioſcoridem in dicto loco concludentem lectionem meam. *Quod autem neceſſaria ſit medicamentorum doctrina, nemo eſt fermè, qui ignoret, quod ea, & toti Arti coniuncta ſit, vniuerſiſque eius partibus efficax adminiſtret auxilium.* Ecce quod Dioſcoridis teſtimonio, ablata ſimplicium cognitione, Medicina tota corruit, & funditus extirpatur; quare quiſquis optimus eſſe vult Medicus, is per neceſſe ſimplicium cognitionem habere debet.

PLAN-

Digitized by Google

PLANTARVM
AMPHITHEATRALIVM.
CATALOGVS.

DOMINICI
PANAROLI
ROMANI

Philoſophi, & Medici.

Digitized by Google

PLANTARVM AMPHITHEATRALIVM

CATALOGVS.

HORTVM Meſſanenſem Magiſter meus Petrus Caſtellus Romanus feliciter fabricauit, ſicut Catalogũ Plantarum Horti Patauini doctiſſimus Eques Io. Veſlingius mirè conſtruxit, in quibus herbæ, tum ſuburbanæ, tum exoticæ luxuriantes deſcriptæ mirantur. Nos Galeni præcepto moniti lib. 1. de antid. adminiſt. quod Medicus omnium ſtirpium ſi fieri poteſt peritiam habeat, ſin minus plurium ſaltem, quibus frequenter in Medicina vtimur (& quod multi, vt ipſe paulo poſt ſubdit, Creta allatas herbas, & ipſarum ſemina agnoſcunt, & in ſuburbanis, non paucas, ac ipſis naſcentes prorſus ignorant) plantas familiares, ac domeſticas, quas pedibus quotidie calcamus, enumerabimus, ait enim Plinius lib. 24 cap. 1. loquendo de his. Hinc nata Medicina; Hæc ſola Naturæ placuerat eſſe remedia, parata vulgo, inuentu facilia, ac ſine impendio, ex quibus viuimus. Poſtea fraudes hominum, & ingeniorum capturæ officinas inuenere iſtas, in quibus ſua cuique homini venalis promittitur vita. Statim compoſitiones, & mixturæ inexplicabiles decantantur: Arabia, atque India in medendo æſtimantur, vlcerique paruo medendo medicina à Rubro mari aſportatur, cum

remedia vera quotidie pauperrimus quiſque cænet Hæc Plinius.

Amphytheatrũ Veſpaſiani optimè ſimilibus plãtis medicinalibus abũdat: quapropter relictis alijs Romani ſoli herbis, quæ innumeræ ſunt, Amphitheatrales tantum deſcribo, eoque magis, nam tanquã in æterno, & nunquam deficiente, non vt in alijs, horto, naſcuntur, quas omnes Plantas in noſtra POMPA BOTANICA in Xenodochio S.S.ad S.S. erecta demonſtrauimus.

Digitized by Google

Plantarum Amphytheatralium

Catalogus.

A

ABſinthium Romanum.
Acanthium.
Acanthus.
Adiantum.
Adonis.
Aegilops.
Aegilops Altera.
Agrimonia.
Alaternus.
Alcea.
Alliaria.
Allium ſylueſtre.
Alopecuros.
Alſine maior.
Alſine minor.
Alſine baccifera.
Alſine hederacea.
Ammì Fuchſij.
Anagallis cerulea.
Anagallis purpurea.
Anchuſa aſpera.
Anchuſa flore albo,
Anchuſa Mollis,
Anemon bulbocaſt. radice.
Anemon geranij folio flore albo.
Anemon geranij folio flore purpureo.
Anemon flore violaceo.
Aparine.
Anthriſcum Plinii.
Aracus niger.
Aphaca.
Armerius ſylueſt.
Armerius ſylueſt. alter.
Aron.
Artemiſia.
Aſperula.
Aſter atticus.
Aſtragalus.
Atractylis.
Atriplex fætida, ſeu garoſmus
Arriplex ſylueſt. anguſti folia.
Atriplex garoſmi folio.
Atriplex ſylueſt. anguſtifolia altera.
Atriplex ſylueſt. latifolia.

B

BAccharis Monſpelienſiũ.
Barbarea.
Bardana, ſeu Lappa maior.
Bellis.
Bellis arboreſcens.
Blattaria.
Bugloſſum echioydes.
Buphtalmum.
Burſa paſtoris.

Cala-

C

CAlamenthum.
Campanula aruenſis.
Campanula flore albo.
Campanula flore carneo.
Campanula folio rapunculi.
Campanula folio pyriformi.
Campanula minor anguſti fol.
Capparis.
Caput vituli, ſiue Antirrhinum.
Cardamine maior.
Cardamine minor.
Carduus chryſanthemus.
Carduus lactarius.
Caryophyllata.
Carduus ſtellarius.
Caſia poetica.
Centaurea minor.
Centaurea min. flore luteo.
Cæpæa.
Cerinthe.
Chamædrios.
Chamæmelon.
Chamæmelon ſylueſtre.
Chamæpitis.
Chelidonia.
Chondrilla hircina.
Chondrilla maior.
Chondrilla minor.
Chondrilla tuberoſa.
Chondrilla viminalis.
Chondrilla viminalis altera.
Chryſanthemum maius.
Chryſanthemum minus.
Chryſocome.
Chryſtagalli.
Cicer ſylueſt.
Cicorium oedipnoides.
Cicorium conſtantinopolitanum.
Cicorium ſylueſtre.
Cicorium ſylueſtre anguſti folium flore luteo.
Cicorium ſylueſt. lati folium flore luteo.
Cicuta.
Cinogloſſum.
Clematis daphnoydes,
Climenos.
Clinopodium.
Colutea veſicaria.
Coniza maior.
Coniza media.
Coniza minor.
Conſolida minor.
Conſolida regalis ſegetum.
Conſolida tuberoſa
Conuoluulus.
Coronopus.
Corruda.
Cotula.
Cotula fætida.
Cruciata.
Cruciata minor.
Cucumer agreſt.
Cuſcuta.
Cyanus aculeatus.
Cymbalaria.

D

DAucus ſylueſtris.

Ebu-

E

EBulus.
Echyum.
Elatine folio rotundo.
Elatine ſagittæ folio.
Endiuia ſylueſtris.
Erigeron.
Eruca ſylueſtris.
Eruca ſylueſt. flore luteo.
Euonimus.
Eryſimum.
Eryſimum alterum.
Eupatorium Auicennæ.
Euphragia altera Dodonei.

F

FAba ſylueſtris.
Ferula.
Ficus ſylueſtris.
Filago.
Filix fœmina.
Flammula Iouis.
Fœniculum ſylueſt.
Fumaria alba.
Fumaria rubra.

G

GAlega.
Galion flore luteo.
Galiopſis.
Gattaria.
Geranium columbinum.
Geranium columbinum ſanguineum.
Geranium columbinum lac. foliis.
Geranium pheum.
Geranium muſcatum.
Geranium robertianum.
Gingidium.
Gnaphalion.
Gramiua pratenſia varia.
Gramen alopecuroydes.
Gramen cyperoydes.
Gramen falaroydes.
Gramen tremulum.

H

HEdera arborea.
Hederahelix.
Heliotropium ma.
Helxine.
Hemionites.
Hemorrhoydalis Aldobrandi.
Herniaria.
Herniaria altera.
Hieracium maius.
Hieracium minus.
Horminum ſylueſtre.
Hyacinthus ceruleus.
Hyacinthus botrioydes.
Hyacinthus ornitogaloydes.
Hydropiper.
Hyoſciamus niger.
Hypericon.

I

IAcea nigra.
Iaſminum ſylueſtre.
Iberis, ſeu Cardamantica.

Ka-

K

KAlendula.

L

LAbruſcia.
Lactuca ſylueſtris.
Lagopus
Lapathum.
Laurus tinusItalicus.
Lentiſcus.
Lens ſylueſtris.
Leucoion.
Lichen.ſeu Epatica.
Liguſtrum.
Linaria.
Linaria flore luteo.
Linum ſylueſtre
tenuifolium.
Lolium.
Lotus arbor.
Lotus odorara.
Lupulus.
Lychnis ſylueſtris.
Lychnis ſylueſtris altera
Lychnis viſcoſa.
Lygopſis Anglica.

M

MAlua.
Marrubium nigrum.
Melilotus.
Meliſſa
Menthaſtrum.
Mercurialis maſ.
Mercurialis fęmina
Milium Solis.
Mollugo,
Moly.
Muſcus coralloydes.
Muſcus terreſtris.
Myoſota.
Myrrhis.

N

NVmmularia.

O

OCymoides florealbo.
Ocymoides flore cano.
Olea ſylueſtris.
Oleoſa.
Oluſatrum.
Onopordon.
Onobrychis.
Orchis anguſtifolia.
Crchis
Orchis latifolia.
Origanum.
Ornithogalum.
Orobanche.
Orobus ſylueſtris.
Oxyacantha.
Oxis trifol.flore luteo.

P

PAliurus.
Papauer erraticum.
Papauer erraticum alterum.
Papauer ſpumoſum.
Peplium

pe-

Peplium alterum repens.
Periclymenum perfoliatum
periclymenum rectum.
Perpeſſa Plinij ſeu
reſeda minor.
Perſicaria.
Phenix, ſiue Hordeum murinum.
Philirea latifolia.
Philirea anguſtifolia.
Phyllitis.
Phu minimum pratenſe
Pimpinella maior.
Pimpinella minor.
Plantago maior.
Plantago media.
plantago min.
Plantago minor ſpinoſa.
Plantago minima piloſa.
Plantago laciniata.
Plumbago.
Poligonum.
Polipodium.
Politricum, ſeu Adiantum nigrum.
Porrum ſylueſtre.
Portulaca.
Prunus ſylueſtris.
Pſeudoſtruthium.
ſeu Reſeda maior.
Pſyllium Dodonæi.
Pulegium.
Pulmonaria.
Pecten Veneris.
Pyſum ſylueſtre.

Q

Quinquefolium.

R

Ranunculi varij
Raphanus ruſticanus.
Rapiſtrum.
Rapunculum.
Rhamnus primus.
Roſa canina.
Rubia tinctorum.
Rubus.
Ruſcus.
Ruta ſylueſtris.

S

Saxifragia prima Matthiol.
Sanguinaria.
Scabioſa.
Scabioſa cerulea.
Scolopendria.
Scorpioydes.
Securidaca maior.
Securidaca minor.
Sedum medium.
Sedum minus.
Sedum minimum.
Sinapi ſylueſtris.
Smilax leuis.
Smilax aſpera.
Solanum hortenſe.
Sonchus aſper.
Sonchus leuis.
Sonchus leuis anguſtifolia.

Digitized by Google

Sonchus leuis alter laciniatus.
Sorbus agreſtis.
Spina ſolſtitialis.

T

Taraxacon.
Therebinthus
Terhraith herbariorum.
Teucrium.
Thapſia.
Tithimalus amigdalifolio.
Tithimalus helyoſcop
Thilaſpi anguſtifolium.
Thlapi latifolium.
Tordilion.
Tribulus terreſtris.
Trichomanes.
Trifolium cochleatum aſperum.
Trifolium cochleatum leue.
Trifolium lactatum.
Trifolium lactatum minus.
Trifolium maculatũ nigrum
Trifolium maculatum rubrũ
Trifolium maculatum rubrũ minimum.
Trifolium Medicum Galeni.
Trifolium pratenſe maius.
Trifolium pratenſe minus.

V

Verbaſcum fœmina.
Verbaſcum maſc.
Verbaſcum nigrum.
Verbena.
Verbena altera.
Vicia.
Viola.
Virga ſanguinea.
Vmbilicus Veneris.
Vrtica fœtida.
Vrtica maior.
Vrtica minor.
Vrtica vrens.
Vrtica vrens altera ſpherocephaloydes.

X

Xanthium, ſeu Lappa min.

CHA-

Digitized by Google

CHAMAELEO EXAMINATVS

DOMINICI PANAROLI ROMANI

Philoſophi, & Medici.

Prius italicè ſcriptus, nunc verò ab ipſo Auctore latinitate donatus.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO DOMINO
D. EQVITI CASSIANO
A PVTEO
Ordinis S. Stephani Commendatori.

ILLVTRISSIME D. Dei magnitudinem quiſquis admirari vult, tanquam ex vngue Leonem, Naturæ opera contempletur, & in ea præcipuè parte, vbi in tanta animalium differentia ſeſe exercet: obſtupeſcet, ſentiet, ſe quadam admiratione ita & taliter eleuari, ex quo facile nobiliorum ſcientiarum cognitionem adipiſci poterit. Tanta varietas, tantus numerus! Facilior eſſet, ad modum loquendi, Aues prius numerare, Piſces diſtinguere, Terræ animãtia obſeruare, numero vndas in Oceano, arenas in littore, mariſq; ſinu, & ſydera in cœlo comprehendere. Tamen humana curioſitas admirabili diligentia, ſi non omnia, celebriora aliquando reſpicit, & examinat, vt poſſit ad illam felicitatis metam peruenire, quæ in cauſarum, atque omniũ rerum effectuum cognitione conſiſtit. Inter quæ tam à Priſcis, quam Neotericis celebratum eſt, Chamęleo, curioſiſſimum animalculum, cuius, quia, ſuo iuſſu, Illuſtriſſime Domine, anatomicam celebraui ſectionem, modo in examine conſiderabo figuram, oculum, linguam, internas partes, pedem colorem, & virtutes propter naturalium philoſophorum commodum, & vtilitatem eoque magis, quoniam quaſi ex fato ſucceſſit, D. Petrum Caſtellum

de odorifera Hyęna tractaſſe, in cuius ſectione ego etiam, & præſens fui, & manus admoui, & me, de Chamæleone, raro, celebrique animali ſcripſiſſe, breui tempore Mundus duplici, attamen nouo diſcurſu, potitur, vno à Magiſtro, altero autem à Diſcipulo proueniente.

Chamæleo, tanquam paruus Leo, ſic grææcè, vt opinor, appellatus, à longitudine caudæ, quæ in extremitate ad ſimilitudinẽ Leoninæ retorquetur, Figuram habet ſimilem (non conſiderantes magnitudinem) inter Lacertum, qui vulgari ſermone, Ragano, vel Ramarro appellatur, & Crocodilũ Niloticum animal, cum diuerſitate tamen tegumenti capitis, oculorum, linguæ, motus, cibi, &c. non ambulat ſuper ventrem, terram tangendo, ſed quatuor pedibus, vt infra dicendum, innixus regitur; ipſius caput quandam cum Sue ſimilitudinem habet, ſed, propter acutiem, Arietinum æmulatur, vndique, dura ſquama mediante, tanquam Crocodilus, fortiter armatum eſt; oculos abſq; palpebris coopertos habet, exiguo foramine in omnẽ partem verſatiles. Animal eſt ſtolidum, pigrum, fatuum, caputque, ac ſi inſenſatum foret, clauſo ſemper tenet ore: excepto fulminandi tempore, quo cibum trahit, tunc etenim dexterum velox, & vigilans in inſtanti vibrat, percutit, atque ad ſe trahit muſcam, aut quicquid aliud, celeritate, & admiratione magna. Dentes ſerram repręſentant, ſed illis non vtitur, quoniam non veſcitur per cibi triturationem, ſed per ipſius deglutitionem. Collum breue eſt, ita vt caput thoraci coniunctum appareat. Pectus cum toto ventre coſtas coniunctas ſubtus habet, ſicut ſunt Piſcium coſtæ, quibus

bus in ſpina aſſimilatur. Super dorſum dura, & forti ſquama præditum eſt, cum aliquibus paruis ſpinis, quibus pro tutela, & defenſa externarum rerum vtitur. Pedes Simiarum pedibus ſimiles ſunt, ſed cum aliqua differentia, vt ſuo loco dicendum. Crocodili caudam habet (data tamen circa magnitudinem paritate) in ſummitate aliquantum reflexa, qua tanquam Vnco vtitur, dum ambulat.

Sed artifex Natura manu prodiga in ipſius oculo mirabiliſſimo, quaſi portentum aliquod poſuit. Omnia, quæ longinqua ſunt à communi rerum ordine, admirationem, & ſtuporem ſecum afferunt, atque ideo Chamæleonis curioſus oculus, quia differens eſt ab alijs; differentia conſiſtit in tribus, in motu, in muſculis, & in neruis opticis.

Motus monſtroſus eſt, quoniam non eſt ſicut noſter, aut aliorum animalium, in quibus, ſi vnus oculos ad ſiniſtram voluitur, alter ſicut geminus ex neceſſitate ſecundum eundem motum mouetur, & ſic deinceps per omnes motus. At iſte non vniformis, ſed difformis eſt, nam aliquando vno firmato oculo, alterum voluit; aliquando vno oculo ſurſum videt, atque altero deorſum; ſæpè etiam in motu vniformitatē obſeruat, ſicut nos facimus: ſed ſuper omnem admirationem (pulcherrimum viſu) dum torquet oculum dorſum verſus, & ſic etiam poſteriora reſpicit, quo beneficio priuati nos fuimus homines, qui tantum in anteriorem reſpicere poſſumus partem, non autem in poſteriorem; ipſe tamen omnia videt, omnia obſeruat, nec poteſt in aliqua corporis parte offendi, ſi prius ipſe non intueatur, quod ſi hac prærogatiua ornati fuiſ-

fuiſſent homines, à proditionibus immunes eſſent. Non id circo quærelas in Diuinam prouidentiam iacio, *vt* antiquorum philoſophorum aliqui Naturæ calumniatores fecerunt; etenim maiori re locupletauit, & armis fortioribus nos ornauit, ratione ſcilicet, ſecundum Phocylidis ſententiam, dum dixit, Ratio propugnaculum hominibus ſed tantum huius Beſtiolæ curioſitatem deſcribo.

Quo ad muſculos magna inſurgit varietas: ſex muſculis homo oculi motum celebrat; ſuperbo etenim ipſum attollit, Humili deprimit, Bibitorio muſculo, verſus angulum maiorem, ſiue internum adducit, Indignatorio muſculo verſus angulum minorem, ſiue externum, oculum abducit, atque Amatorijs muſculis cum quadam ſuauitate circumuoluit, ſicut amantibus accidit, qui in extaſim, per quemdam loquendi modum, rapti, dum obiectum amatum contemplantur, obliquè intuentes motum illum cum gratia, & pietate peragunt. Quadrupedia alium muſculum carnoſum, & orbicularem habēt, qui totum oculum ambit, officiumque ipſius eſt oculum terram verſus pronandi, qui ideo fuit homini negatus, quoniam non tellurem intueri, ſed cœleſtia contemplari debebat.

Chameleo omnibus dictis muſculis orbatum eſt, motumque ſuum in omnem partem efficit, ideſt ſurſum, deorſum, ſiniſtrorſum, dextorſum, & retrorſum, dum pellis contrahitur, quæ quibuſdā fibris, & villis circularibus corrugata trahit, vbi vult, oculum ad ſimilitudinem frontis humanæ quando contrahitur, & corrugatur; ita & taliter, quod, dum contrahitur, & corrugatur pellis dextror-

trorſum, oculus in orbita, tanquam conuexum in concauo, dextrorſum mouetur, & ſic de ſingulis motibus. Quando fixum tenet oculum, è directo æqualiter circa oculum circulariter pellis ita remanet, vt pupilla pro centro inſeruiat. Sed ſi oculum ex vna magis, quam ex alia moueat parte, contrahuntur rugæ in vno loco, in altero vero dilatantur, ſicut in Chamæleonis figura optimè expreſſum conſpicitur.

De Neruis opticis aliquid dicendum remanet, quia à noſtris differentiſſimi ſunt, quoniam communiter à ſuo principio diſcedunt, vnus ad dexteram, alterque ad ſiniſtram diuiſi, atq; vbi ad Sellam equinam ſuper Os Sphęnoides properauerint, ibi ſimul confunduntur, ac poſtea iterum diuiſi, ſicut prius, vnus in dexterum, atque alter in ſiniſtrum oculum implantatur, & ex hoc forſan in noſtris oculis motus vniformes, vt in cæteris animãtibus, celebrantur. Nerui item optici aliquantum in nobis tenſi sũt, ſed eo modo, nè, aut lædãtur, aut rũpantur; atq; hoc, vt mox dicam, neceſſarium eſt ad deſcribendam differentiã, quæ oritur; vt ab vnius deſcriptione alterius varietas cognoſcatur.

Chamæleo, vt in figura quarta poſui, ſuos opticos habet neruos, qui ab vno principio originẽ ſumunt, & poſtea nunquam ſimul iunguntur; atque iſta forſan cauſa eſt, quod vnus oculus ex neceſſitate non mouetur ad motum alterius, quoniã viſiui ſpiritus amborum, canales ſeparatos, non cõfuſos inuicem habent: dum nerui optici à prima origine ſeiuncti exiſtunt. Inſuper laxi, & non tenſi, ſicut in nobis, apparent; quoniam, cum ocu-

lus moueri ad partem contrariam, ſiue poſteriorem debeat, neruus opticus, qui in oculi radicē ingreditur, ſi tenſus eſſet, aut ſimilem motum prohiberet, aut in motu lædi, & frangi poſſet, atq; ideo laxus, & facilis à natura fabricatus eſt, vt in motu, qui ab oculo verſus poſticam partem celebratur, neruus opticus, abſq; vlla læſione diſtentus, ad motum concurrat.

Nil aliud eſt vita, quam, propter indiuidui conſeruationem, humidi viuifici conſumatio, quod ſi quotidie nō reſarciretur (quamuis non totū, ſed in parte) vtiq; ex neceſſitate viuens extremum ſpiritum effunderet. Hinc fames, hinc ſitis, vt omnes ſciunt, oritur, quæ nil aliud ſunt, quam appetitus quidam, quotidie deperditum ad vitæ prolongationem, humorem, reſtaurandi. Omnia animalia cibo vtuntur, quia viuunt: Verum tamen eſt, quod ſecundum calorem, magis, & minus edacia ſunt. Limaces quandoq; vno, aut duobus annis ſine cibo aura fruuntur vitali. E contra vero Canis quolibet tempore, dum ſubminiſtretur cibus, promptus ad edendum eſt. Hoc in Senibus, & Pueris ſuccedit; illi raro propter caloris inopiam veſcuntur; hi vero, & præcipuè viuaciores ſecundum Hippocratis Oraculum, frequentius epulas parant, cum calor naturalis in ipſis fortior ſit, & per conſequens magis deſtruat. Vbi magnus eſt ignis, ibi per neceſſe magni debent eſſe fomites. Hoc pro Coronide ſufficiat; nempe quod omnia animantia eſcas capiunt ad viuendum, aut plures, aut pauciores; ſed quod vllum animal, abſq; alimento, longa vitæ tempora numerare poſſit,

hoc

hoc falſum eſt; & hæc Priſcorum fuit opinio ad noſtra, vſque tempora celebrata, qui aſſerebant Chamæleonem aere veſci; vnde adagium commune contra ambitioſos ſurrexit: cum tamen contrarium ſit; quoniam, vt videbimus, formicas, muſcas, aliaq; animalia comedit;

Sed dum veſcitur mirandum eſt viſu, etenim nõ paſcitur, vt aues; non ruminat, vt boues, & capræ; non ſugit, vt Lampetræ, & hyrudines; non comedit, vt reliqua animalia, quæ dentibus, eſcã triturando cibum capiunt, quandoquidem dentes habet, ſed illi, tanquam hominibus mammæ, inſeruiunt. Matthiolus figuram dentatam poſuit, ex quo per coniecturam aſſequor, quod ipſe aut ipſius imaginem ex ſimplici relatione fabricauit, aut quod hanc beſtiam mortuam in manibus, & perlongum tempus exſiccatam habuit, quod patet dum nodos aliquas, & ſpinas in dorſo eleuatas effinxit, quod in omni ſceletto ſuccedit, dum aphophyſes vertebrarum, ceruicis, dorſi, & lumborum ſuper apparẽt. Confirmatur hoc, dum dentes imagini poſuit, & veſcendi modum, quod principalius eſt, reliquit; quod ipſe duplici re celebrat, fulminando videlicet cibum, & deglutitione; quæ duo res tam citò ab ipſo perficiuntur, vt vix intueri, niſi à diligenti obſeruatore poſſint. Ea occaſione, qua Illuſtriſſime Domine imperaſti, vt hoc animalculum recenter mortuum, atq; à me viuum obſeruatum, ſecare deberem, mecum ipſe cogitabam, quomodo, aut quali artificio tam longè, velociterque linguam extendere, & retrahere poſſet; atque, ante quam manum anatomi-

cæ ſectioni admouerem, duo ſpeculatione meditabar, videlicet, quod, aut lingua attenuaretur in diſtenſione, vt lumbrici, qui elongati aliquando per vnius palmi ſpatium, aut amplius, retrahuntur poſtmodum ad duorum, vel triũ digitorũ menſuram; aut quod contracta lingua in ſerpentinos orbes, poſtmodum diſtenderetur, eo modo, quo Viperæ, atque alia reptilia mordendo ſolent; ſed deceptus fui, quandoquidem neutrum erat.

Ad hoc igitur vt rectè deſcribatur, ſciendum eſt, quod, quando Chamæleo cibum fulminare quærit, vbi ipſe aliquando mouet oculos vbique, videlicet vnum ſurſum, alterum deorſum, vnum antrorſum, alterum retrorſum &c. eo tempore ambos obiectum verſus mouet, firmoſq; tenet, & tunc os aperiendo, linguam per palmi dimidij longitudinem, & amplius expellit, ipſamque ſubito cum eſca appenſa retrahit, abſque eo quod decipiatur, aut incaſſum linguam eijciat.

Lingua ipſius nil aliud eſt, quam concauus canalis ab origine, & finem verſus carnoſus, ſpongioſus, & viſcoſus, ſicuti in figura ſecunda, tertia, & quarta videri poteſt: in medio iſtius canalis funiculus quidam tranſit, qui diſtenditur, & contrahitur melius, quam lyræ neruus, & in tranſitu etiam carnoſæ partis in linguæ ſummitatem inſeritur, dum prius originem ab oſſe hyodes, cui tenaciter adhæret, habuit. Os hoc hyodes, aut, vt melius dicam, hyoſtiloydes, vt in tertia figura patet, vt noſtrum formatum non eſt, ſed extendens ſeſe in longum extuberat taliter in linguæ cõca-

cauitate, vti, dum ipſa retrahitur, enſem, aut cultrum in vagina repræſentet, vt deſcripſi, & oſtendi in tertia figura, in cuius oſſis ſummitate, quæ admodum cartilaginoſa eſt, oritur; vt dixi, funiculus ille, qui linguam retrahit. Stante hac organizatione eo modo, quo deſcriptū eſt, cogitauimus vna ſimul D. Nicolaus Larcheus celeberrimus Chirurgus, atque ego; quod lingua diſtenderetur propter repletionem flatus impulſiui erigentis, vt in mentula virili apparet: in qua, dum flatus quidam violentus per neruos fiſtuloſos ingreditur, erectio ipſius celebratur; quando flatus, aut ad ſuum locum reuertitur, aut, vt melius dicam, diſſipatur, tunc mentula ſicut prius flaccida remanet; eodem modo, ſed velocius in Chamæleone ſuccedit, in quo credo, quod ſi lingua tota fuiſſet carnoſa, nullo modo ita celeriter ipſam diſtendere ob carnis impedimentum poſſet: qua propter, dum ſubito repletur ad ſimilitudinem veſicæ, aut caui inteſtini, quando inflatur, citius ſuo fungitur officio; & quoniam lingua ipſius, partim ab ambienti externo, partim quia excarnis ab origine eſt, nullo modo attrahi poſſet, natura, omnium etiam in paruis animalculis diſpenſatrix, funiculum fabricauit, quo mediante celeriter ipſam retrahit; & ſic à violento flatu fit eiaculatio, ſiue extenſio linguæ; à funiculo retrahitur; in cacumine linguæ viſcoſo adhæret muſca, aut quicquid aliud ſit, tanquam auis viſco: tali modo raro, & monſtroſo veſcitur Chamæleo.

Natura ſæpius in viuentibus ludit, dum rara, & mirabilia perficit, dum renem vnicum, aut quatuor, dum duplicem lienem, ſicut in meis medicinalibus

ob-

obſeruationibus ſcripſi, producit, ſed quando ſecundum regulam æternis ſeſe obligat legibus, admirationem etiam magnam parit, vt in Chamæleone; in quo ipſa Lienem negauit, dum interim reliquis membris, alijs animalibus communibus vtpotè corde, pulmone, hepate &c. locupletauit. Sed quoniam de Liene agimus, ipſius laudes celebrentur. Lien ad ſanguinis fęces recipiendas neceſſarius eſt; inſuper quoque eſt neceſſarius, vt ſtomachus corrugetur, ex quo appetitus oritur, dum prius ipſius humorem acidum per vas breue recepit. Ad potum immoderatum neceſſarius quoq; eſt, ne cibus à ſuperflua humiditate obruatur; ita etiam à natura factus eſt, vt citò aquæ thermales per vrinam expellantur, dum ipſa id per viam Iecoris, & emulgentium venarum nequit, ſed recipiendo ſuperfluam aquæ quantitatem ad Lienem per vas breue defert; à liene ad arterias celiacas, & emulgentes: ab arterijs emulgentibus ad renes. Confirmat hoc poſt aquarum thermalium potum, Borborigmus, ſiue rugitus quidam non in dextera, ſed in ſiniſtra parte. Tandē neceſſarius eſt pro cibi fermentatione, quoniam humore ſuo acido ad hoc proportionato tanquam fermento vtitur, quod, quia acetoſum eſt, etiam in pane fermentationem parit.

Chamæleoni nullo modo lien neceſſarius erat, quod ad vrinam ſuperfluam, quoniam hoc animal non bibit, nec veſicam habet, ſed paſcitur deglutitione, et excrementa ſolum per ſeceſſum, tanquā aues expellit. Lienis neceſſitatem non habebat Chamæleo ad recipienda hepatis excrementa, nam cum

id

id animal parũ habeat ſanguinis, parua in ipſo oritur excremẽtã, quæ in proxima inteſtina protrudit. Neq; ad ventriculi corrugationem, & fermentationem Lien neceſſarius erat, quandoquidem animal hoc exangue, cum calorem actiuum debilem habeat, potius in ipſo putrefactio, quam concoctio celebrata fuiſſet; quin imò, vt melius dicã, cõcoctio, quæ in ipſo fit, impropriè concoctio nominatur, cum lienteria non morboſa, ſed naturali continuò afficiatur, dum per ſeceſſum cibum parum, vel nihil alteratum expellit: & ratio eſt, nam vbi calor non eſt ſufficiens, nec cibus ſuperans, aut opprimens eſſe debet; atque ideo tali ipſum gratia natura muniuit, nempè, vt ex cibo, dum in ventre reſidet parum ſucci ad vitę conſeruationem exprimat: atq; hinc oritur, quod in terræ cauernis abſconditus multo tempore, abſque alimento, cõſeruetur, ex quo occaſionem ſumpſerunt, tum Priſci, tum etiam Neotericorum multi ad credendum, quod aere veſcatur: quoniam calori debili deſtruenti proportionato, dum à natura ſuccus proportionatus ſubminiſtratur, aura fruitur vitali, abſque eo, quod neceſſitatem habeat ſæpius eſcam quærendi: non ſic nos, qui calore deſtruenti magno, & forti præditi ſumus. Concludamus igitur Lienem in concoctione maximam habere partem: (dum mihi Chamæleo præſentis digreſſionis occaſionem præbet) celebrat enim non ſolum corrugationem, ſed etiam cibi fermentationem in animantibus omnibus, vbi reperitur; atque è contra cum in Chamæleone non adſit, non fit fermentatio, ſed perpetuo Lientericus non tamen morbo-

sè

ſè viuit. Hanc noſtram ſententiam approbauit Excellentiſſimus Dominus Thomas Bartholinus Medicinæ, & anatomiæ in Academia Hafnienſi profeſſor Regius in ſua anatomia reformata, lib. 1. c. 17. his verbis. *Dubium eſt cur Lien ſolis illis animalibus obtigerit, quibus renes, & veſica teſte Ariſtotile, quod in Chamaleonte verum inuenit PANAROLVS? an propter ſeroſi humoris tractionem? non crediderim, ſed Liene carent, quia parum ſanguinis elaborant, unde & ſeroſus humor non opus habebat peculiaribus receptaculis. Superfluum autem in ſanguine abſumitur in pennas, cuticulas, ſquamas &c. Liene igitur carent, quia fermentatio neceſſaria non erat in imperfecta coctione illorum, qui perpetuam, & naturalem lienteriam habent.*

Reliqua viſcera, vt dixi, noſtris viſceribus ſimilia ſunt, ſepto tranſuerſo excepto, quod non apparet. Amplius pulmones admodum ſpongioſi, rari, & parui formati ſunt. Viſcera poſtmodum, ſecundum proportionem cauitatis abdominis, exiguum occupant locum ita & taliter, quod ipſius capacitas potius aere, quam carne repleta ſit. Ad quid tanta aeris, quantitas in tam paruo corpore conſeruetur, crediderim nullam aliam ob cauſam factam fuiſſe, niſi quod, dum pulmones propter ſummam raritatem, & ſpongioſitatem perneceſsè linguæ violentum flatum ad ipſius extẽſionem ſubminiſtrare debent, vtuntur proximo aere; eòque magis, quoniam reſpiratio, & inſpiratio in hoc animalculo inſenſibilis eſt; ſemper enim clauſum non apertum tenet os, & in hoc plurimi decepti fuere dicentes Chamæleonem ſupinum ambulare ore hiante, quod falſum eſt, vt patet experientia. Cau-

ſam

ſam vero iſtius videlicet, quod non ægeat frequenti reſpiratione, hanc vnam eſſe crederem, ſcilicet; vbi magnus eſt ignis, magna oritur fuligo, vbi paruus, parua, atque hac ratione animalia, quæ calore admodum actiuo ſunt prædita, neceſſitatē crebræ reſpirationis, & inſpirationis ad nouum aerem captandum, fuligineſque expellendas habent: in animalibus verò illis, in quibus calor eſt debilis, rara inſpiratio, aut reſpiratio ſufficit, vt exemplo patet in Limacibus, quæ cum parum caloris habeant, multo tempore abſq; cibo, atq; abſq; aeris attractione viuunt, dum in ipſarum teſtæ orificio, pro rerū externarum tegumento, operculum quoddam durum, & quaſi oſſeum oritur, quod, dum vndiq; os ipſius claudit, ingreſſum, aut egreſſum aeris prohibet. Hoc dixi contra communem, ſed falſam opinionem videlicet, quod Chamæleo aere veſcatur, & hianti ore ambulet, nunquam enim ego hoc vidi, nec credo ipſum, niſi rarò, & inſenſibiliter reſpirare, cum hanc neceſſitatem non habeat, vt in Limacibus dixi, quæ integro anno, & amplius abſque cibo, & reſpiratione, vitam degunt.

Ridiculi, attamen mirabiles, ipſius ſunt greſſus; fatuus enim apparet, & circumſtantes ad riſum mirificè inuitat, quoniam in motu, non decorem quemdam obſeruat; ſed inconcinnè, dum pedes in parte ſiniſtra approximat, vt in ipſius imagine videtur, remouet maximè ex dextera parte alios, & è conuerſò, dum approximat pedes ex parte dextera, ex parte ſiniſtra pedes quam maximè retrahit: atque hunc motum, vt dixi, ita fatuè, & inconcinnè, cum aliqua corporis flexione perficit, vt ad-

ſtantes ad riſum promoueat, Sed ſi ſuper arbores ambulet, ita veloces ſunt greſſus ipſius, vt volatũ mirificè emuletur, dum ramis, & frondibus ſeſe adrepit beneficio etiam Caudæ, præſertim in deſcẽſu, qua tanquam vnco vtitur, vt corpus non corruat; & in hoc, coniectura aſſequi poſſumus hoc animal potius ſuper arbores, quam ſuper terram ambulare; ex aduerſo lacertorum, qui magis humi, quam ſuper arbores gradiuntur. Addamus inſuper, hoc animal, quod etiam ſi ſuper terram repat, ſemper tamen locum ſublimiorem quærit, & ſic melius, & cum maiori delectu ambulabit ſuper ligni alicuius cuſpidem, aut angulum, quam ſuper planam tellurem.


Pedum digiti eam inter ſe proportionem ſeruãt, quam pollex cum reliquis digitis habet, & in hoc optima antiquorum fuit deſcriptio, cum hac tamẽ differentia; quod pedes duas ab externa, tres autem aa interna parte habent digitos. E conuerſo poſteriores pedes, duas ab interna, tres verò ab externa parte digitos habent. Vngues recurui ſunt, quibus in appræhenſione, vt homines, & Simiæ, vtitur, ſed cum aliqua differentia; & ſic partim pedibus, partim cauda tutiſſimè ambulat hoc animal. Qui rectè res non obſeruant neceſſarias, aut relinquunt, aut negligenter obſeruant, occaſionem dedere plurimorum errorum, qui typis conſignati, quotidie leguntur. Hoc dixi, cum enim viderent Priſci in Chamæleone coloris varietatem, ſtatim tanquam axioma propoſuere ipſum iuxta obiectũ coloratum ita pariter colores variare, exceptis albo & rubro; huic opinioni tanquam ſolidiſſimo fun-

da-


damento innixi varij Scriptores, exempla, ſententias, & adagia vtilia quidem, ſed falſæ opinioni adhærentia, inuenere. Ideò neceſſarium eſt ſuſpendere calamum aliquando in aſpectu alicuius rei, dum interim rectè examinatur, & in hoc Plinius pluſquam alij, ambitione motus in ſcribendis naturæ portentis, cecidit Quinimmò credere poſſumus, ex relatione alicuius ignari, aut mulierculæ, ipſum abſque alia diligentia ſæpe ſcripſiſſe, quod & poſteris phyloſophis confuſionem peperit, cùm ipſi multa mendacia contemplantes, vera à falſis ſecernere non potuerint.

Propter hoc dicimus naturalem Chamæleònis colorem cineritium eſſe; ſed ſecundum animi paſſiones, calorem, vel frigus, ita calorem variat, videlicet, vel acquirit aliquid rubri, ita vt color cineritius rubeſcens appellari poſſit, vel aliquid viridis in ipſo intuemur; & tunc color cineritius vireſcens nuncupabitur; Sed proprius, & naturalis color cineritius eſt, qui etiam poſt mortem, ſed aliquantum dilutior, remanet. Atque ita opinio eorum corruit, qui aſſerunt Chamæleonem ab obiecto proximo colorem recipere, cum falſum ſit, etenim non ratione obiecti, ſed ratione animi alterationum, colorem variat, & præcipuè propter hanc cauſam, quãdoquidẽ cũ corpore ſit exanguis, & excarnis facilè calori, vel frigori ſubijcitur, & veriſſima eſt cauſa, vt ipſi diutius noſtris regionibus nõ viuant, nam reſpectu natiui ſoli ſunt frigidæ.

De huius animalis virrutibus nullam propemodum, ſcio poſſum tamen tranſcribere, quod ſcriptum reperio.



Digitized by Google



Google

Democritus inter monumenta reliquit; quod ſi lignis quernis Chamæleonis guttur,vel caput vratur, ſtatim nubes, pluuiam, & tonitrua pariunt; Idem etiam, vt ipſe aſſerit,efficitur, ſi ipſius hepar aſſum ſub tegula obruatur. Superſtitioſa quidem & fabuloſa, nec credenda, nec probanda. Aſſerunt inſuper linguam ex animante viuo extractā victorem in litibus ad Iudicis conſpectum, geſtantem reddere. Audite fatuitatem: Aſtreæ Lances corrumpi non poſſunt; ibi ſolum reclinant, vbi ratio pulcherrima apparet; alioquin Iuſtitia, ſi hoc daretur, Iniuſtitia eſſet. Scio hæc eſſe fantaſmata & vigilantium hominum ſomnia; ſed ea ſcribo,quia ea alij, vt & Marthiolus, ſcripſero;ſcribunt amplius linguam hora partus grauidas geſtantes à periculis tutiſſimas reddere, & in hoc dubium erit, ſi credi, vel non credi debeat, quoniam ſufficiet mihi tanquam Medico credere, quod oculus dexter, aut etiam ſiniſter (quod nihil intereſt) à viuo animante extractus (etenim efficacior eſt, quam in mortuo, vbi incipit putredini fieri obnoxius) cum caprino lacte mixtus, ac ſuper oculos poſitus auferat maculas, pterigia, pterigomata, vulgariter oculi vngulas appellatas, vt etiam glaucomata. Et quod ſi ex ipſius felle fiat ſuper oculos linimentum,ſuffuſionibus opituletur: poſſet inſuper dari, quod ſi ex ipſius corpore contuſo vngantur pili, ipſos auferat; ſed nos non probauimus hæc, & per conſequens neſcimus. Ad id poſtmodum, quod aſſerunt maxillam ipſius dexteram contra timores, & horrores remedium eſſe, quoniam nemo dat, quod non habet, idcirco cum Chamæleo ani-

mal

mal ſit timidum; vtique nunquam alicui audaciam communicare poterit, timorem fugando. Naſcitur Chamæleo in Africa, atq; India, parit oua, vocatur à Græcis XAMAIΛEΩ, à Latinis Chamæleo, ab Italis Chamaleone, à Neotericis ſcriptoribus Camaleonte..

Hoc in loco breui examine tetigi, ne videar me reliquiſſe, id quod alij tetigere, & præſertim Cardanus de rerum ſubtilitate, ſed finis meus nil aliud fuit, quam mandatis tuis, Illuſtriſſime Vir ſatisfacere; tuo enim iuſſu Chamæleonis anatomen celebraui, & præſertim oculorum, & linguæ, Excuſatus incedo, nam ſi aliquod neceſſarium reliqui, condonabitur mihi; non enim mea intentio vnquam fuit ipſius completam deſcriptionem perficiendi. Si mandatis tuis, Illuſtriſſime Vir, non ſatisfeci, parcas, & animum recipias, qui breuiter, quod potuit fecit: ſi prius non ſcripſi moram excuſes, tractatus enim de elementis eorumque mixtione retardauit me; propter quod manus in ſcribendo alicubi applicata non potuit tam citò Dominationi tuæ Illuſtriſſimæ ſoluere, quantum debebat, & officia tua rependere, cui à Cœlo gaudium, & felicitatem auſpicans manus cum reuerentia deoſculor. Romæ 25. Martij 1645.

Dominationis tuæ Illuſtriſſimæ

Addictiſſimus Seruus

Dominicus Panarolus.

Ex-

Explicatio Tabulæ, in qua ſunt quatuor figuræ ad Chamæleonem ſpectantes.

PRima figura ideſt A. oſtendit imaginem, & magnitudinem Chamæleonis.

M Pes anterior Chamæleonis in parte interna cum trino, in parte externa vero cum bino digito, & vngue.

N Pes poſterior è conuerſo anterioris, ideſt in parte interna cum bino, in parte vero externa cum trino vngue, & digito.

Secunda Figura ideſt B. oſtendit caput ore hiante in actu fulminationis.

D Pars concaua, & extenſa linguæ.

C Pars carnoſa, & viſcoſa.

L Muſca ab animante propter cibum fulminata, viſcoſitati linguæ adhærens.

P Funiculus ad linguam extenſam retrahendam; ſed notandum eſt hunc Funiculum non videri in animali, ſi lingua in medio non diuidatur, quoniam diaphana non eſt, ſed hic in ſuo ſitu poſuimus ad legentium commoditatem, vt etiam proceſſum ſtiloydem. Q. oſſis hyodis, & funiculum. O. in tertia figura, quæ nullo modo poſſent conſpici, ſed ad intelligentium commoditatem, linguam diaphanam poſuimus.

R Dentes ſerrati ad nullos vſus, vt credo, ſed tantum propter ornamentum, vt mammæ in hominibus, vel ſi liceret dicere propter extremam neceſſitatem fabrefactos eſſe, vt in defectu muſcarum, formicarum, herbis, aut ſimilibus rebus veſci poſſit, cum lingua non poſſet, ſed hoc, vt non vidi, ita ipſius nullam relationem habeo.

Tertia figura ideſt G indicat os hyodes.

Q Proc

Q Proceſſus ſtyloides oſſis hyodis ſitus, dum lingua eſt cõtracta, tanquam enſis in vagina.
O Funiculus.
E Pars carnoſa, & viſcoſa linguæ.
F Pars concaua,
Quarta figura, ideſt H. oſtendit oculos cum ſuis palpebris extra orbitam extractos.
I Nerui optici non tenſi, ſed laxi, vt oculus vndique abſque læſione moueri poſſit.
K Cerebrum, ex quo originem ducunt nerui optici, vnus ab alio diuiſi, non autem confuſi, vt in homine.

F I N I S.

Digitized by Google

ARCANORVM FASCICVLVS PRIMVS.

DOMINICI PANAROLI ROMANI Philoſophi, & Medici.

AD poſtremam tandem partem ſuſceptorum à nobis laborum deuenimus, nunc reliquum eſt, ſicuti polliciti ſumus, vt de arcanis aliquot verba faciamus. Arcana intelligo non ſolum ea, quæ occulta ſunt in Natura, ſed ea etiam, quæ hominibus parum nota eſſe videntur: horum enim faſciculum compoſui ſine ordine, faſciculus enim eſt, floreſque varios imitatur.

Domus ſi in decliuo montium, & non in planitie ædificentur, facile ruunt: nunquam longo temporis ſpatio conſiſtunt, niſi platea fundamentorum ſit admodum lata, & magna, vt Romanorũ quamplurima ædificia antiqua hoc modo conſtructa reperiuntur, cum enim aqua (ſicuti ſanguis intra corpus) per viſcera terræ excurrat, & fluat, vtiq; in montis cliuo deſcẽdendo, fundamenta erodit,

Digitized by Google

dit, vnde quotidie cæmentarij vocandi ſunt; ſemperq; domum fulcire oportet trabibus, & ſuſtentaculis. Fluit humor per terram; hinc credo (vt mihi retulit Illuſtriſſimus D. Gheſierus pro Chriſtianiſſimo Gallorum Rege hic Romæ Reſidentis officio fungens) oriri, quod ſepulcri cuiuſdam Pariſijs conſtructi terra nunquam creſcat, etiam ſi quoquo anno hominum millia ibi ſepelliantur, ac pro miraculo poſſit haberi, cum ſit res naturalis; nam humor per viſcera telluris fluens, terram erodit, & ſi creſcit per cadauera in puluerem redacta tellus, per eroſionem decreſcit, atque ita in eodem ſtatu, & menſura permanere videtur ſemper. Terra etiã dehiſcit, & mouetur in planitie; quid ſperandum in decliuitatibus, vbi facilior lapſus: quam in plano?

Quod terra moueatur in planitie exemplum habemus in Plinio de Horologio in Campo Martio ſito, vbi pro gnomone aderat obeliſcus ſpærocephalus, qui vt ipſe narrat lib.36, cap.10. ſuo tempore non congruebat, triginta enim elapſi erant anni in hoc errore; cuius rei Plinius inueſtigans cauſã inter plures, quas enumerat, hanc etiam recenſet, ſcilicet tellurem aliquid dimotam fuiſſe: ſed quoniam de terra agimus, ſi forſan me non rectè explicaui in Elementorum libris, quonam pacto terra ſuperemineat aquis, denuo regredior ad dilucidandã meam ſententiam. Dico itaque, quod terra diuinitus hoc modo conſiſtit contra ſuam Naturã à creatione Mundi eleuata ſuper aquas, per globos, & vincula quædam, poſtea vero pars aliqua terræ rarefit, pars aliqua conſtipatur, fitque omnium terræ partium ad centrum vſque generatio, & cor-

ruptio (nam ſi aliter eſſet, partes terræ aliquot eſſent immortales, quod eſt abſurdum, cum omnia ſublunaria viciſſim generentur, & corrumpantur, nihilque immortale reperiatur) citra diſruptionem tamen vinculorum terræ, quibus ipſa conſiſtit.

Si diceret verò aliquis, ergo noſtris temporibus etiam fit miraculum, quod fecit Deus in creatione Mundi, cũ vi ſyderum eleuetur terra, & aſcendat; reſponderi poteſt, quod non; nam in creatione Mundi auctoritate diuina vniuerſa terra, abſque aliqua ſyderum virtute eleuata fuit ſuper Aquas. Noſtris autem temporibus, ſi aliqua Terræ pars conſtipatur, alia rarefit, non inducit neceſſitatem dicendi, ergo hodie fit miraculum, ſicuti factum fuit in creatione, quia iſta rarefactio, & conſtipatio, generatio, & corruptio, fit pedetentim in terra ad Mundi conſeruationem diuerſimodè, & longa poſt ſæcula fere inſenſibiliter, ſicuti obſeruatum eſt in aliquibus montibus, vbi quantumcunque lapidum haurias, terra ſemper eamdem menſuram habere videtur: in metallicis etiam locis idem euenire obſeruatum fuit.

Igitur ſi aliqua pars Terræ rarefit, & eleuatur aliquo modo, alia conſtipatur, & deprimitur, hoc fit via naturali ad conſeruationem Mundi, nec eſt depreſſio, aut eleuatio maxima, ſicuti in creatione; quando Terra vndique in iſtanti miraculosè eleuata fuit per globos, & vincula quædam, quæ ſi (quod Deus auertat) diſrumperentur, vt dixi alias, vtique Terram obruerent aquæ.

Aer Romæ ſalubris qualis ſit modò oſtendemus. Multa in Aerologia noſtra ſcripſimus, videat, qui ſvelit; ſed præcipuè Lectorẽ admonitũ eſſe volumus, nem-

nempe, vt conſideret in Ciuitate, in qua degit, quales nam ſint Venti annui, qui vere, & Aeſtate flant, & non obſeruandum eſt ſolum, ſi domus conſtructa ſit ad Boream, ſicuti hic Romæ quamplurimi errant, atque ob hanc cauſam lites, & diſſenſiones fuerunt. Hyberno tempore ignis, Monſtri cuiuſuis domitor, facilè aeris inſalubritatem corrigit, ſed æſtate, hoc opus, hic labor eſt; æſtiuo enim tempore maximopere optimi aeris neceſſitatem habemus. Quis nam Romæ Boream æſtate flantem obſeruauit? Igitur, ſi non flat, quæri non debet: quapropter nos Romæ Zephyrum ventum meliorem eſſe obſeruamus. Sint igitur ædificia conſtructa aduerſus Zephyrum; qua de cauſa Exquilinus, & Quirinalis mons, cum Alta Semita, atque Collis Hortulorum ſalubriorem aerem habent: Aer Diui Ioannis in Laterano optimus eſt ſui natura, ſicuti in Cęlimontano Aere tractauimus, ſed aliquam per accidens iacturam facit; ruinæ enim, & ædificia antiqua vna cum Flauij Veſpaſiani Amphiteatro illi impedimento ſunt, nè Zephyrus excurrat, & fluat.

Domus iuxta Tyberim poſitę Aeſtate optimę ſunt, aqua enim fluendo ventos mouet, aeremque ſalubrem reddit; ſed aduertendum, vt per milliarium ſaltem ab Vrbe diſtet; Tyberis enim per ciuitatem fluens ſtercore, immundicie, putredineq; varia repletus, aerem noxium reddit. Recte igitur conſulit D. Paulus Zacchias doctiſſimus Medicus, quod, ſi quis pro balneo vti velit Tybridis vnda, verſus portam Flaminiam ſe abluat, vbi Flumen impollutum, immaculatumque exiſtit.

Si quis Arboretum hic Romæ plantare velit, re-

qui-

quirendus eſt locus ſaltem ſeptimo ab Vrbe lapide diſtans, quoniam terra eleuatur, Roma enim in fundo eſt, arboretaque excelſa loca petunt.

Dies noxias aliquot enumerabimus, quibus ſi Sol, vel leuiter per breue temporis ſpatium homines tetigerit, ſtatim nocet, hæque dies ſunt, ſicuti optimè obſeruatum eſt, dum Sol eſt in 27. & 28. grad. Cancri, in 27. & 28. grad. Leonis, in 27. & 28. grad. Scorpionis, in 25. & 26. grad. Sagittarij, & 27. & 28. grad. Arietis; ob hoc autem non dico, quod cæteræ dies ſalubres ſint, etiam ſi Sol radijs hominem tangat, ſed hæ, quas dixi, maximè omnium noxiæ, & inſalubres ſunt.

Tempus ad aſpicienda ſydera, Aſtrologis omnibus maximè conueniens, dummodo ſit ſereno Cœlo, à prima Septembris die, vſque ad decimam quintam Nouembris optimum eſt.

Quando Vere, aut Aeſtate nunquam, aut rarò pluit, Autumno tonitrua, ſagittas, & fulmina copioſa expecta:

Adamas in profundo Maris fit ex continua aquę congelatione; imò aliquando lapides, ligna, aliæque res in adamantem conuertuntur. Cranium humanum, panem, lignumque in mari repertum ſcio omnia in adamantem conuerſa; lignum autem, dum ſecaretur, obſeruatum fuit, vice meditullij, adamantem habere. Maxima vis eſt in congelatione continua; apud me os femoris Elephantis in lapidem conuerſum habeo.

Ob hoc igitur Orithem gemmam ex vrina poſſe fieri credimus, ſicuti Lyncis vrina in Lyncurium, vt aiunt, conuertitur lapidem, nos etiam videmus hominis vrinam calore deſtitutam circa ma

tulam lapideſccre.

Calculos in hominibus duplici cauſa generari poſſe exiſtimamus, nempe aut per modum aſſationis, aut per modum congelationis, ſed aliquando ex congelatione fieri lapidem credimus; ſicuti enim vrina, dum calida eſt ſubtilitatem habet, dum vero frigeſcit lapideſcit, ita in renibus à frigiditate lapides oriri poſſunt; præcipuè verò, ſi maximè pannis impoſitis, calefacti renes per calorem peruij reddātur ambienti extrinſeco, ſicque renes frigefacti per accidens, lapides procreant.

Oriuntur etiam lapides ex maximis animi affectibus, ſed præcipuè cholera, & melancholia. Nos pluries hoc experti ſumus, animi ſcilicet perturbationes huius morbi ſæpe radicem eſſe.

Spiritus triſtis exſiccat oſſa, exſiccat etiam lac in nutrice, vti pluries notauimus, ideo remotæ à quouis commercio, omnibuſque animi perturbationibus alendæ ſunt.

Thermales aquas aliquam in ſe ſuſpicionem habere dubitarem, cum ſint aquæ ſæpius tranſeuntes per terras metallicas impuræ, & indigeſtæ, ſicuti enim igne ſordibus metalla expurgamus, ita etiam Thermales aquæ aliquo modo purgandæ ſunt, cum noxam pariant, vt audiui de quibuſdā qui ex huiuſmodi aquarum hauſtu in deterius lapſi ſunt, & ſicuti in aqua Acetoſa Romana extra Hoſtienſem portam pro optima celebrata obſeruāur, quæ tranſeundo calculos gignit. Quid faciendum credimus noſtris in corporibus? Certe maximum detrimentum, cum aquæ Thermales quantitate potius, quam qualitate aluum ducant.

Si arctè Zona cinctus ambulet aliquis, à quampli-

plurimis morbis liberatur. Oportuit ſæpe nocte media quamplurimos homines ob aliquam neceſſitatem,propter celeritatem,nudis pedibus ambulare, aliaque incommoda pati; tamen ſi Zona aliqua circa ſtomachum cincti fuerunt,nihil mali habuerunt, cum alioquin facillimum ſit in graues morbos incidere.

Optimum erit etiam Manè, cum optimè induti fuerimus poſt aliquot tempus, per modicum temporis ſpatium caput extra feneſtram ponere, confert etenim mirificè ſaluti, ſicuti etiam frigida manus, vultumq; abluere: excitat enim,fugando torporem,mentis hilaritatem.

Vulneribus optimum eſt remedium,ſi roſarum pallidarum contritarum oleum adhibeatur, & quo magis antiquum fuerit eò melius eſt. Nos ſæpius hoc Balſamico oleo vſi ſumus.

Ebullire ſinas hyperici flores, & ſemina cum folijs plantaginis, inciſis omnibus & contuſis, in oleo recenti optimo, & aqua plantaginis lento igne vſque ad conſumptionem aquæ; tunc coletur per petiam,addaſque oleum abietinum, oleumque roſaceum vetus, vt ſupra dixi, ex roſis pallidis inciſis, tunc addas flores hyperici, & ſemina contuſa, exponanturque ad Solem per octo, dies,quo facto coletur per petiam, & exponatur Soli per dies ſexaginta. Mirabile balſamicum oleum eſt pro vulneribus.

Mira quotidie reperiuntur in Medicina. Ad cōfirmationem operis,quod doctiſſimus Phyſicus Petrus Seruius compleuit de vnguento armario ſciendum eſt, quod petia ſanguine imbuta ſub cineribus calidis poſita, menſes ſiſtit experimento pluries com-

Digitized by Google

comprobata; quin etiam Magiſter meus Petrus Caſtellus aiebat ſe expertum fuiſſe, hemorrhoydes, ſi tangantur tuberoſa radice Chondrillæ, ſiccari, ſi Chondrilla ſiccetur, corrumpi vero, ſi corrumpatur; quapropter ſub camino exſiccanda ponitur poſt huiuſmodi tactum Chondrilla tuberoſa.

Ad calculos, & Arenulas renum, & veſicæ comminuendas, & frangendas optima eſt Chondrilla noſtra hircina, quam Tragium antiquorum eſſe crediderim, ſic à nobis appellata propter hirci odorem, quem maximum refert ipſius radix Autumno; Chondrillæ minori ſimilis eſt, ſed aliquantulum maior, floreſque luteos habet, qui in pappos euolant. Naſcitur ſecus vias, ſed præſertim in terra ſterili, atque ſabuloſa. Radix hirci odorem æmulatur, attamen non iniucunda eſt.

Si in medicina aut interius, aut exterius opus habemus aquis refrigerantibus, optimum eſſe exiſtimarem, ſi tranſeant annum; per id tempus enim calidæ partes multæ vi ignis acquiſitæ euaporant, & euaneſcunt. In calidis vero quomodolibet vtendum eſt.

Niuis vſus perniciosiſſimus eſt, cum experientia probemus dentes nigros reddere, eoſque deciduos facere, graueolentiam oris gignere, ſtomachum labefactare, viſcerumque omnium vitale robur, natiuumque calorem hebetare. Melius, & tutius eſt naturali frigore alicuius cryptæ, aut fontium vti, ſine vlla noxa, quam indulgendi ſenſui gratia, in ſupradicta incommoda incidere.

Damnoſum etiam eſt in potu vti difficili aliquo cratere ad bibendum, cum multum venti, cum frigore hauriamus, qui proceſſu temporis conſtipa-

tus, lentorem acquirens, per corpus variè diſſeminatur, doloreſque arteticos, chiragram, & podagram procreat. Bibatur igitur parum, & ſæpè, vt potus cum cibo miſcelam, & fermentationem faciat in vaſe facili, quod calicis figuram habeat, neque aliquam in bibendo difficultatem pariat.

Coſmetica pellem rumpunt; melius eſt nihil adhibere. Coſmetica autem, quæ Sublimatum admittunt, peſtifera, & lethalia ſunt; gignunt enim grauеolentiam oris, dentium nigredinem, & diminutionem, ſurditatem, ſtoliditatem, fatuitatem, paralyſiam, epilepſiam, & apoplexiam. Inuentum eſt noſtris temporibus Balſamum faciei ex margaritis, alijſque rebus pretioſis paratum, quo ſemel in vita inuncta facies ad mortē vſq; vultū in eadē pulchritudine conſeruat; abſq; eo, quod damnum vllum pariat, imo è contra faciem fouet, & exhilarat.

Sectum fuit aliquando meretricis cadauer in qua ſectione tres argenti viui globuli inuenti fuerunt, primus in corpore cerebri calloſo, ſecundus vero, & tertius ſuper aures. Si ſcirent mulieres Sublimati damna potius ſtercore, quam faciem Sublimato tangerent. Stercus enim ob acrimoniam bilis, quam habet, faciem abſtergit. Margaritas inficit, & corrumpit Sublimatum, quid ſperandum eſt in carnibus? Certe peſſimum. Inuenta ſunt cadauera meretricum, quæ viuentes Sublimato vtebantur, in quibus faciei caro vermes arcebat (venenata erat enim) & ſic nigra ſine vermibus putredine maxima corrupta conſpiciebatur.

Multa patiuntur incommoda mulieres ad hoc, vt pulchræ videantur, quibus ego optimum coſmeticum communicare volo, nempe puritatem, &

ſim-

ſimplicitatem, qua viri amantes maximoperè gaudent. Stultiſſimæ ſunt, ſi laruatæ incedant, cum homines facillimè fucum cognoſcant, & contemptores ſint falſitatis, & mendacij.

Sed quoniam de mulieribus agimus aduertendum eſt; quod ſi fœminę vterus ex continuo coitu ſemine repletus ſit, non concipit, niſi vterus tanquam depoſita ſarcina ſemen eijciat, quod ſtagnans per longam, imò longiorem temporis vſuram ibi moratur. Hinc quandoque oriuntur molæ hydrops, ventoſitas vteri, & fluxus fluori muliebri ſimilis, cum tamen non ſit, neque etiam ſit gonorrhœa, quam ſi ſemel patiuntur mulieres in poſterū ſterileſcunt, fruſtra tentatis omnibus remedijs. Cognoſcitur hæc excretio frigiditate, frigida enim erit materia, & fit ſine dolore, & corporis emaciatione. Fluxus iſte porro ſupprimendus non eſt, imo ciendus.

Theriaca, ſi quotidie grani vnius pondere aſſumatur, corpus citra inflammationem alexiterium procreat, ſicuti Mithridato Regi accidiſſe refert Galenus, qui à Romanis victus ſumpto veneno mori non potuit, ob alexiteriā virtutem, contractam continua antidoti exhibitione Vidi ego plùrimos, qui ſæpe abſque cauſa manifeſta ſyncope corripiebantur, hoc modo ſanatos, optimumque remediū eſt, vbi ſuſpicionem habemus alicuius materiæ venenoſæ in corporibus noſtris latitantis.

Sed aduertendum eſt, theriacam optimè confectam debere eſſe, ſicuti noſtris temporibus confecit cum Opobalſamo verò D. Antonius Manfredus Theriacæ antiquorum, Antidoti Imperatorum diligentiſſimus reſtaurator, qui à Magiſtro meo Pe-

tro Caſtello, alijſque egregijs, doctiſſimiſque viris pro veritate adiutus, in arena dimicans glorioſè triumphauit.

Probaui, & expertus ſum cum dicto Manfredo theriacam (ante ſeptimum annum) vt Galenus indicat) venenis non reſiſtere, exemplo facto in quãplurimis animantibus; Ideo vbi ſuſpicionem veneni habemus fruſtra datur Theriaca ante annum ſeptimum.

Chymicorum ruina à continua vaporum exhalationum, & fuliginum copia, caput petentium oritur; carent enim medicamento aliquo præſeruatiuo, quod cerebrum confortet, & corroboret; quodque à ſupradictis incõmodis immune reddat.

Cardanus de rerum varietate hoc tetigit in capit. de diſtillatione, aſſignans aliqua remedia, ſed rem incompletam reliquit: nam ſi oleum chalcanthi, vt ipſe ait ex ſententia Geſneri diſtillatum in viridario arbores enecat, ideo inualidum eſt expectare antequam vas aperias, vt frigeſcant omnia, cum ſemper aliquid noxij tranſpiret, quod cerebrum offendit. Demus exemplum in aqua aliqua odorata, dum diſtillatur, nam etiam ſi optimo ſigillo diligentiſſimo omnia clauſeris, tamen ſemper odor aliquis euaporat.

Tutius exiſtimo preſeruatiuo aliquo ſe munire, quod cerebrum tueatur, & confortet, ſicuti ſunt aquæ aliquæ odoratæ ſuaues cum pane diſtillatę. Hoc feci, & in memetipſo expertus ſum optimo cum refrigerio, experientia edoctus in illis, qui edendo carnes cum ſinapi, vti mos eſt, & aceto, dum ardorem faſtidiumque perſentiunt in naſo, micam panis ingenti cum vtilitate odorant.

Me-

Melius eſt etiã in Chryſtallo diſtillare, Vitrũ enim reſpectu Cryſtalli poroſum eſt, parteſq; ſubtiliſſimæ, quæ comitem quintam eſſentiam habent, facillimè euaporant, ſed quoniam de Chymica verba facimus aliqua notanda erunt.

Chymici in qualibet re quintam eſſentiam, & vt ait Cardanus de rerum variet. cap. 50. quintum corpus elicere volunt. Quid eſt obſecro, inquam, iſta quinta eſſentia, eſt corpus nè, aut qualitas? ſi eſt qualitas debet eſſe commixta, aut vt melius dicam cum vno, aut pluribus elementis, nam qualitas ſola non datur; ſi eſt corpus hoc negamus, nã cum in compoſitione mixti concurrant quatuor elementa, quæ perfectionem, & virtutes tum manifeſtas, tum occultas recipiunt à qualitate cœleſti, ſcilicet à tepore æthereo, qui luminis comes eſt, vt alibi diximus, vtique in diſſolutione mixti ſupradicta quatuor elementa habebimus tantum; quæ quatuor ſunt corpora, cum qualitate ætherea, & non quintum corpus, quod nullo modo poterit dari, & dici, niſi velimus dicere corpora iſta eſſe mixta imperfecta, non corpora ſimplicia: & in hoc caſu poterit dari ſextum, ſeptimum, & octauum corpus; vt exponit Zephyriel Thomas Boulus in ſuo fulmine contra Medicos, qui, dum alijs fulmina parare conabatur, à propriæ ignauiæ pondere oppreſſus eſt. Hic miles glorioſus eò quia octo corpora diuerſa in aliqua diſtillatione reperijt, ideò aſſeruit nihili faciens priſcorum Philoſophorum dogmata, octo dari elementares ſeparationes. Neſciebat pauperimus ingenio non eſſe ſeparationes elementares, ſed ſeparationes mixtorum imperfe-

Digitized by Google

ctorum, ſicuti aqua fontium, pluuia, nix, pruina, ros, grando, inter ſe differunt, attamen elementa plura quam quatuor non probamus, cum non ſint plura elementa, ſed mixta imperfecta. Quintum itaque corpus non poterit dari, quod habeat ſimilitudinem cum lucido expanſo, ſcilicet corpore æthereo, & Cœleſti, per quod aſtra fluunt; corpus enim æthereum non concurrit in compoſitione mixti, vt concurrunt elementa, ſed qualitas tantum; ideò non poterit dari quinta eſſentia ſola, niſi ſit aſſociata alicui elementorum.

Dixi hoc, nam cum aliquando oſtenderem aquã quandam ſtillatitiam à me fabrefactam, quæ in pauca mole quintam eſſentiam ſpiritualem includebat, ipſamque communi Chymicorum more quintam eſſentiam appellarem, interrogauit, quidam, num arderet, minime reſpondi. At ipſe ſubito inquit, ergo quinta eſſentia non eſt. Non ardet, inquam, concedo, ergo quinta eſſentia non eſt, diſtinguo: Ergo quinta eſſentia non eſt pura, & ſimplex ſine mixtione vlla elemẽtorũ concedo, cum in rerum natura nulla detur quinta eſſentia, quæ non adhæreat alicui corpori, eſt etenim qualitas pura, & ſimplex: Ergo quinta eſſentia non eſt, ſcilicet, ergo in hac aqua nulla adeſt quinta eſſentia nego, cum hanc aquam optimè, vt oſtendam ad habendam quintam eſſentiam diſtillauerim. Debebat melius, & Philoſophicè loqui. Si non ardet ergo non eſt aereum, aut igneum corpus, quod facilè accenditur. Chymici enim plurimi elementũ ignis quintam eſſentiam vocare deberent hoc modo, cum non ſit.

Ad habẽdam igitur quintam eſſentiam duo ſunt neceſ-

neceſſaria potiſſimum, non neglectis interim alijs circumſtantijs. Primum vti debemus vaſe claro, & lucido ſicuti eſt Chryſtallum, quod lucidius eſt Vitro; ſecundo quod ſit imperuium, poroſumque non ſit, & hanc etiam dotem Chryſtallum poſſidet: quinta enim eſſentia, quæ eſt qualitas cœleſtis, luminis ætherei comes, lucida amat corpora, & quia quinta eſſentia facilius adhęret partibus purioribus, leuioribus, & ſubtilioribus, ideo ſi ipſæ partes euolent, vtique nullam quintam eſſentiam habebimus, ſed tantum ignem, aut aliquod aliud elementum, & vt rectius dicamus mixtum aliquod imperfectum; nullum enim elementum purum vidi in Chymicis operationibus; ſed tantum imperfecta mixta.

Caueant Chymici operando, nè viſus hebetetur; aſpectus enim ignis immoderatus aciem oculorum obtundit; nam oculo contraria ſunt præcipuè hæc tria, Ventus, Sol, & Ignis.

Muſculæ excepto Menſe Septembris copioſæ per aerem viſæ futuræ diei pluuiam indicant ſæpius.

Pueri neſcientes ſæpè temporum euentus, pacem & bellum prænunciant. Nos vidimus aliquando pueros in iocis, & ludis ſemper hilares, & pacem poſtea obſeruauimus; vidimusè contra belligerantes, acriterque in puerili pugna ſeſe exercentes, ſequuntumque paulo poſt eſt bellum; hocque naturale eſt, cum idem aſtrum, quod milites vrit in bello, pueros ad pugnam inuitet.

Pueri, nè ledantur ab igne, dum ſunt paruuli, neceſſe eſt, dum circa lumen aliquod exultant permittere; vt digito leuiter vrantur, nam in poſterum viſa flamma doloris memores amplius non vrun-

tur, imo ignem fugiunt.

Vt pueri optimi in moribus euadant enutriendi ſunt cum maxima Zelotypia. Reges dum paruuli ſunt in delitijs, ſed non immoderatis, educantur longe ab hominum conſortio; Magiſtros habent, qui in varijs diſciplinis eos exercent; etiam in pictura, pictores enim multi Phyſionomiam habent; in varijs etiam linguis exercentur ſcribendi, loquendique gratia & ſic virtutum amantes morigerati, abſque vitijs euadere poſſunt.

Si volumus, vt Pictores recte agant debemus eos ſtimulare, vt in ipſo pingendi actu, cibis cum pipere, ſaccaro, cinnamomo, aut ſimilibus vtantur, cum vino aliquo, generoſo, ſed ſobriè, citra prandium & cœnam non ad ſatietatem, excitantur enim mirificè ſpiritus, & exhilarantur, vnde egregiè opus perficiunt.

Corui calamus in ſcribendo melior longe eſt, quam anſerinus; diù enim reſiſtit, & durat, characteresque mirificè delineat.

Falſum eſt aliquando repertum fuiſſe vitri, aut Chryſtalli vas. quod in terram corruēs non frangeretur; qui cupit id habere, conficiat ex craſſo mōtium Chryſtallo, & ſic non frangitur.

Stellarum virtutes ex ipſarum colore, & fulgore cognoſci poſſunt; nam quomodo fuerint aut albæ, aut rubræ, aut pallentes, ita naturam ſuam oſtendent.

Virtutes occultæ, & Magneticæ oriuntur ex tepore æthereo, & non ex qualitatibus, ideo Philoſophi illi, qui omnia à primis qualitatibus pendere aſſerunt parum docti exiſtimandi ſunt: non negauerim tamen huiuſmodi arcana quamplurima no-

nobis incognita eſſe.

Confunduntur ſæpius virtutes occultæ, cum manifeſtis. Gummi illa Carabe dicta, vernaculo ſermone (Ambra gialla) appellata, nullam virtutem magneticam in attrahendis paleis habet, vt habet Magnes in ferro, attrahit enim viſcoſitate, cum glutinoſum corpus ſit, & facillimè ardeat. Glutinatoria eſt Carabe, vt ait Garzias ab Horta cap. 8. de Lacca; huic ſimilis eſt Gagates lapis, ex quo mulieres dextrocheria, aliaque ornamenta confecta geſtant, cuius lapidis duo reperiuntur ſpecies, altera nobilis, & lenis, quæ (Ambra negra) communiter vocatur, altera ignobilis, & ponderoſior, vocaturque à corrupto nomine Gagatis, Chiauazzo. Magnes ab vna parte trahit ferrum, ab altera fugit, porro ſi inter ferrum, & magnetem ſit aliquod intermedium corpus etiam craſſum, tamen magnes ſuo fungitur officio. Denique virtutem acceptam à magnete ferrum alteri ferro communicat. Nihil autem horum conſpicuum eſt in Carabe, quæ ob glutinum paleas trahit, imo indifferenter diuerſas res, cum magnes ferrum tantum ad ſe alliciat, & non aliud.

Quomodo accendantur montes flammiferi, aliiſque ſubterranei ignes, non centrales, nam in centro nullum eſſe ignem credimus elementarem, ſed ſupernaturalem ad cruciatum animarum, hac de cauſa potiſſimum oriri puto, non neglectis tamen alijs, nempe ex attritione lapidum terræ, dum terra ſecundum partes aliquas longa poſt ſæcula mouetur, vt alibi diximus, ex tali itaque actione, & materia rectè diſpoſita, ad ignem concipiendum, accenditur flamma, nam videmus duos ſilices, ſi ſimul terantur flammā euomere, completa poſtea

 ma-

materia, ſcilicet abſumpto pabulo ignis, ignis extinguitur; at ſi materia ſemper ſubminiſtretur de nouo, ignis ſemper perdurat: hinc montes æterni flammiferi; hinc aliæ voragines ignitæ, hinc aquæ Thermales ebullientes, & calidæ. Veſuuij montis abſumpto pabulo flamma perit, donec pabulum conueniens denuo generetur, & ex lapidum attritione accendatur.

Mare plus quam aliæ res conueniens pabulum igni procreat. Henricus de Locaringia Sereniſſimus Dux Guiſanus diligentiſſimus Phyſicorum arcanorum perſcrutator pulchram mihi communicauit opinionem, nempe Mare per viſcera terræ fluere, tractum etiam vſque ad altiſſima montis iuga vi ſyderum Lunę, & ſolis, & hac de cauſa oriri metalla, metallica, aliaque mirabilia, quæ opinio conuenire videtur cum Homero, qui, vt diximus in elementorum libris fluuium quemdam Oceanum terram vndique circumdantē deſcripſit.

Sed antequam concludatur opus aliqua de Luna dicenda ſunt; Luna enim nocte deſcendit, die aſcēdit, è contra Sol; qualitate videlicet ſua, qua cuncta refrigerat, & ſic ignis ſpæram afficit, & ſicuti ſtellæ influxu, & qualitate alterationem in regione ſublunari faciunt, ita etiam Luna qualitate ſua noctem alterat. Quapropter, niſi eſſet Sphæra ignis omnia frigeſcerent mediante Luna; ita etiam, niſi eſſet Luna omnia mediante Sphæra ignis comburerentur.

Quando dixit Deus fiant Luminaria magna, alterum quod præſit diei, alterum, quod præſit noctis, intelligendum non eſt tantum de lumine, ſed de qualitate; videmus enim Lunam antè, & poſt

coi-

coitum cum Sole lumen amittere, & niſi ſemel in Zodiaci peragratione noctem integram illuſtrare, nempe in plenilunio; intelligendum itaque eſt de qualitate etiam.

At ſi quis diceret, quomodo poſuit Deus maſſam illam frigoris productricem tam alte ſupra Sphæram ignis, conſiderare primum debet, quomodo Terra præter naturam ſuam ſupereminet aquis, à creatione Mundi miraculo Dei.

Non decet Philoſophum omnia intra Naturæ terminos diſcurrere; concedendum eſt aliquid omnipotentię Diuinæ, ad temeritatem noſtram confundendam, extra Naturæ limites.

Poſſumus dicere, Lunam maximè opacam eſſe ſicuti in defectu luminis probatur, ideò ſubſtantiam habere craſſam, & conſequenter denſiorem, & ponderoſiorem eſſe aere, & igne, attamen ſupra elementa collocata eſt, non tanquam clauus in tabula, ſed mouetur in lucido expanſo, ſicuti auis in aere, aut piſcis in aqua; nam ſi alicui circulo, vel Cœlo ſolido adhęreret, non moueretur, cum pondus non eſſet æquale, circulus enim non æqualiter motus motum ſiſtit.

Quod Luna ſit denſior aere, & igne, ex ipſius opacitate arguitur; opacitas enim denſitatem ſignificat: & ſi Luna dum Eclypſim patitur, & obſcurata eſt, aliquod imperfectum lumen habere videtur, id non habet à fulgore proprio, ſed ex repercuſſione radiorum aliarum ſtellarum id oritur.

De Sole, quid ſit, nihil dicimus; fortaſſe de ipſo aliquando altius diſſeremus: maculas vero noſtro ſæculo obſeruatas defectum eſſe in medio exiſtimo, ſcilicet in interpoſitione alicuius materiæ denſio-

ris inter nos, & Solem, Solis motum ſequentis.
Hæc dixiſſe ſint ſatis. Meũ inſtitutũ eſt publicæ vtilitati cõſulere; hic ſcopus: hic finis; propter hoc laboro; vbi potero me in hoc ſtudio extollere, ſi quis pro veritate me tanget, vtar calamo pro Medicamine; nemini parcã. Poſt tonitrua fulgurat Cęlũ. Pro defẽſione vtilitatis publicæ, & veritatis, calamus meus erit Nuntius famæ velox, Tuba vtilitatis canora, Scutica amara, & minax ad abuſus corrigendos, mendaciaque caſtiganda, Enſiſque triumphãs ad errores fulminandos; Immortalitatem enim ego amo, & non fabulas, opus complendo in nomine Indiuiduæ, & Sanctiſſimæ Trinitatis Patris, Filij, & Spiritus Sancti.

F I N I S.

AR-

ARCANORVM FASCICVLVS SECVNDVS, DOMINICI PANAROLI ROMANI

Philoſophi, & Medici.

IN hoc ſecundò faſciculo, vt fecimus in primo, miſcellanea aliqua, non omnibus nota, proponimus; quarum plurima Philoſophia duce aſſequi licet.

Differunt inter ſe ſemen, & ſperma in omnibus rebus, in hoc, quod, per ſimilitudinem loquendo, ſemen eſt anima ſpermatis, ſperma vero corpus, in quo reſidet ſemen, ſicut anima. Hinc oritur, quod aliquando poſſit eſſe ſperma ſine ſemine, quale effunditur in morboſis, ſenibus, & frequenter coeuntibus, & tunc ſperma non eſt animatum, eſt mortuum: quare Galenus libello de ſpermate proponit, non ſemper animatum ab homine venire in Matricem.

Poteſt etiam eſſe ſemen ſine ſpermate, ſed de his infra cum ſeminis Naturam explicauerimus.

Semen itaque mediante diuina benedictione

om-

omnia, propagat, quæ alioquin ad interitum tenderent. Hoc ſub Phœnicis fabula priſci intellexere; nam cum omnia ſublunaria oriantur, & intereant, ſi ſemen non adeſſet, corrueret Mundus. Quare Deus ſemen genuit, vt omnia oriantur creſcant, & multiplicentur. Sed quia ſemen,vt volatile, facillimè in auras exhalaret, aut corrumperetur, ideò Natura receptaculum poſuit pro cuſtodia, & tutela ipſius, & hoc eſt ſperma; quod ſemen fouet, & tuetur. At ſi corrumpitur ſperma ſemen euolat.

Oritur ſemen ſecundum Hyppocratem lib.1.de diæta num.1.ex duobus differentibus quidem facultate, concordibus vero, & commodis vſu,igne inquam, & aqua, & includitur, vt dixi, intra corpus ſpermatis aliquando, aliquando vero non. Quoniam multoties oriuntur res ex ſemine tantũ ſine ſpermate.

Exemplum habemus in Plantis, quæ oriuntur ex terra virgine, ſponte, abſque aliquo ſpermate: Nam ſi terram effodiamus in aliqua crypta antiqua, & aeri, Solique exponamus, herbas abſque vllo effuſo ſpermate naſci videbimus. quoniam in ipſa terra tanquam in ſpermate aliquo latet ſemen, quod Aeri, Solique expoſitum germinat.

Sperma vero poſtmodum retinet, & conſeruat ſemen ad maiorem facilitatem. Vnde quando dixit Deus germinet Terra herbam virentem &c. terra tunc ſemine, nempe igne, & aqua ſimul mixtis, non autem ſpermate, prægnans, tot mirabilia produxit. Poſtea vero orto ſpermate in quo reſidebat ſemen, propagatio facilior fuit. Sed ſi dato, & non conceſſo, quod Plantarum omnium

ſper-

ſpermata interirent, tunc Terra mediante prima Dei benedictione, ſponte omnes Plantas produceret.

Et ſic videmus falsò dici ſemina, illa, ex quibus oriuntur, exempli gratia Plantæ, & ſimilia, cum potius ſpermata debeant vocari; quare cum appellamus ſemina leguminum, herbarum &c. decipimur, nam accipimus ſperma pro ſemine, cum ſemen ſit tantum vis illa viuifica conflata ex igne, & aqua in ſpermate reſidens.

Cum verò tria ſint, quæ in hoc Mundo propagantur, nempe Mineralia, & lapides, Vegetantia, & Animantia, de ſingulis aliquid dicendum erit.

Mineralia, & lapides ex igne, & aqua oriuntur, Ignem Philoſophi Sulphur, & Aquam Mercurium dixere, ex quibus omnia. Tetigit hoc Ouidius 1. Metamorph.

Cum ſit Ignis Aquæ pugnax vapor humidus omnes
Res creat, & diſcors concordia fœtibus apta eſt.

Hoc autem ſequenti fit modo, videlicet ignis, ſeu ſulphur congelat Aquam, ſeu Mercurium, & ſic omnes res in hoc Mundo oriuntur, & creſcunt. Nec exiſtimandum eſt diuerſum eſſe in rebus ſublunaribus ortum, & augmentum, cum omnia ex iiſdem principijs conſtent, & eodem modo pullulent.

Exemplum habebis Lector in plurimis rebus. Primo obſerua Plantas; videbis eas ex ſpermate effuſo oriri. e. g. cicer, aut legumen aliquod terra cooperiatur, tunc videbis ex ipſo erumpere duos ramulos, quorum vnus infernè, alter vero ſupernè

nè diffunditur; cicer autem non in plantam conuertitur, ſed ſic manet, aut areſcit, aut putrefit; vis ignea, & ſeminalis in cicere abſcondita ſentiës propinquas duas res, nempe matricem debitam, videlicet terram, & calorem elementarem, ſtatim germinat.

Ad rem noſtram ergo, vis ignea ſeminalis in cauliculis contenta, qui è ſpermate erumpunt, aquam proximiorem congelat, & in ſe ipſam tranſmutat. Vnde ignis tanquam animal eſt, aqua tamquam nutrimentum, & ſic paulatim aquam in terra fluctem congelat, vt ligna, vt res oſſeæ ex aqua producantur.

O mirabilem ſupremi, Rectoris prouidentiam, qui iuſſit ignem in terra, ex aqua, tot mirabilia producere.

Hic eſt ò Alchymiſtæ verus Philoſophorum lapis, ignis, & aqua, quos maiores veſtri ſub nomine Sulphuris, & Mercurij occultos tradidere. Accipe hos, ſi, & quando potes, coque in vaſe naturali, igne conuenienti, & tunc Apollo ſuperabit Pythonem, Hercules Hydram, & in vinclis Proteum tuum habebis. At quis poterit hos hoſtes ſimul amicos reddere, ignem calidum, & ſiccum, & aquam frigidam, & humidam? Certe Natura, quæ mirabiliter hoc ſcit. Non enim poſſunt Philoſophi ſemen creare, quoniam id opus eſt Naturæ: tantum poſsunt ſperma inuenire, ipſumque in debitam matricem effundere, concomitante tempore, & calore conuenienti.

Aqua porro congelata, vt ſuperius diximus, conuertitur in mineralibus, plantis, & animantibus, in oſſa lapides, metalla, & alia duriſſima, quæ

nil

nil aliud ſunt, quam aqua igne inſpiſſata, congelata, & fixa. Atque hæc Mercurij vera eſt fixatio, quam priſci celebrauerunt Philoſophi. Et ſic ignis inventre terræ congelat aquam in lapides, gemmas mineralia, metalla &c. in Plantis tranſmutat aquã in caules, frondes, ſemina &c. in animantibus omnibus concoquit aquam conuertendo in ſanguinem, adipem, carnem, oſſa, dentes, &c.

De ortu vero harum rerum, quæ in triplici ſtatu oriuntur, videlicet mineralium, vegetantium, & animalium, ſcire debemus inter hæc, Animalia primum obtinere locum, ſecundum vegetantia, vltimum mineralia, metalla, & lapides; nobilior etenim eſt animal, planta, & metallo propter animam ſenſitiuam, quæ reliqua ſuperat.

Hoc audite auari, qui in terra lutea (aurum intelligo) felicitatem quæritis. Sed de horum ſemine & propagatione aliqua proponantur.

Itaque, incipiendo ab ignobiliori, metalla oriuntur in terræ viſceribus, ex mutua actione, & paſſione ignis, & aquæ (hæc etenim conſtituunt ipſorum ſemen) & ſecundum matrices diuerſas, diuerſas acquirunt formas: ſed hoc per accidens ſuccedit, nempe ob matricem puram, vel impurã, cum tamen eodem modo oriantur. Lapides etiam ex igne, & aqua naſcuntur, dum aqua ab igne coquitur, & in lapidem tranſmutatur. Sed in hoc nullam habeas lector admirationem, ſi modo in generatione rerum dicimus aquam congelari, modo aquam concoqui, quandoquidem idem eſt, & idem intelligimus, videlicet, quod aqua ab igne concoquatur, inſpiſſetur, & coaguletur. Non autẽ intelligimus de cõgelatione, quæ fit à frigido (quã-

uis lapides ipſa mediante in maris profundo, & alibi aliquando fiant) ſed de ea, quæ fit à calido.

Notandum tamen eſt, quod lapides, dum ex ſimili congelatione oriuntur, in hoc caſu poſſumus dicere non lapides eſſe, ſed materias lapidoſas; illi autem lapides, qui ex aquæ inſpiſſatione in terræ viſceribus, mediante igne fiunt, verè lapides ſunt. Nam exempli gratia, ſi fungus, panis, aut aliqua alia res cadens in mare, ob nimiam frigiditatem, in profūdo ipſius proceſſu temporis induratur, differt à lapide, qui igne mediante in viſceribus terræ oritur, quoniam lapis hoc modo creatus verè lapis eſt, materia verò indurata quamuis lapidem repræſentet, tamen lapidoſa, non lapis, debet appellari, & ſic oſſa ligna, aliæque res lapideſcunt ex nimio frigore; lapides verò, qui à Natura producuntur, ex aqua, mediante igne, fiunt, vt diximus ſuperius. Nec ſit mirum, quoniam dentes in homine, qui Microcoſmi lapides ſunt, & duriſſimi, oriuntur eodem modo, quo lapides, videlicet ab aqua inſpiſſata, & concocta ab igne.

Et ſic gemmæ dupliciter fieri poſſunt, aut priori modo, vt dens in homine, dum in viſceribus terræ oriuntur, & per longam annorum ſeriem perficiūtur; aut ſecundo modo, videlicet per congelationem, quomodo adamas, & aliæ gemmæ in profundo maris fiunt. Nec mirandum eſt, ſi lapides, & gemmæ dupliciter eluceſcunt; quoniam ignis nobis oritur diuerſimodè, vel ex attritu lapidis cum chalybe, vel radijs Solis in vnum coeuntibus, mediante perſpicillo, aut ſpeculo concauo, aut phiala aqua plena, vel ex cōmunicatione alterius ignis & tamen idē eſt ignis. Natura enim ludit in hoc.

Ita-

Itaque mineralia, vt diximus ſuperius, ex ſemine in terra oriuntur, conſtituto ex igne, & aqua, nempe Sulphure, & Mercurio Philoſophorum ſimul mixtis; ſed in hoc animaduertendum, quod ſemen illorum pari paſſu (vt fit etiam in alijs rebus, quæ in Mundo naſcuntur, & propagationem habent) ſpermati copulatur aliquando, aliquando vero non. Si non copuletur, ſemen illorum tunc eſt aqua quædã Regia Cœleſtis, tenuiſſima, incorruptibilis formoſiſſima pulcherrima, omnia penetras, ſeu, vt Poeticè loquar, Diana altera, quæ ſuum dilectum fratrem Apollinem vnicè diligit. Ex aqua hac omnia oriuntur metalla, quandoquidem in ipſa, non vt in ſpermate aliquo includitur, & concatenatur ſemen, ſed ipſa verè, & realiter eſt ſemen. Latet etiam aliquando ſemen in terra quadam ſulphurea nobiliſſima, puriſſima, abluta, & tunc copulatur ſpermati; quandoquidem terra illa pulcherrima, vel ſulphur illud optimũ, in ſe tanquam in vinculis concatenatũ habet ſemẽ. Hæc eſt generatio metallorum, nempe ex igne, & aqua in terra. Accipe igitur ignem puriſſimum, aquam limpidiſſimam, in terra omnium pulcherrima, & habebis generationem metallorum nobiliorum. Sed hoc Naturæ eſt opus, non ignorantis Alchymiſtæ, qui, dum neſcit rerum principia, oleum, & operam perdit.

Vt diximus de metallis, quæ habent ſemen, & habent ſperma, ita dicendum de vegetabilibus, quæ etiam habent ſemen incluſum in terra, quo mediante illa germinat, & ſperma excluſum ex terra, quo mediante vegetabilia propagantur: ſed ſemen ſemper in terra latitans reperitur, ita, & ta-

liter quod, ſi omnia ſpermata corrumperentur, vt probabile eſt fuiſſe tempore diluuij vniuerſalis, in quo omnia ex limo computruerant, tamen Terrã ex ſe ſola denuò germinaret, quia in ſe ſecundũ diuerſitatem aeris, aquarum, & regionum diuerſa complectitur ſemina, ex quibus varia oriuntur; & ſic temporibus elapſis illi, qui balſamum perijſſe affirmabant, parum Philoſophi erant, quoniam ſpecies Plantarum nunquam moriuntur, etiam ſi omnes Plantæ, & omnia ſpermata illarum interirent.

De ortu animalium difficilior eſt inueſtigatio, quandoquidem abſolutè animalia perfectiora (vt Homo, & deinde reliqua irrationalia, Leo, Vrſus Equus &c. quæ, ne interirent, in arca Noe ſalutem habuere) ſine ſpermate nullo modo oriuntur; quoniam ex ſemine ſolo, vt in Plantis, et mineralibus dictum fuit, non naſcuntur; quia hoc ſemen nullibi reperitur, niſi in proprio ſpermate, nec terra in ſe tale animalium perfectiorum ſemen retinet; quod ſi hæc ſpermata nullibi reperirentur, interiret etiam ſpecies illa animalium, quæ ſpermate careret. Ideo prudentiſſimus Naturæ Rector, & Dominus in diluuio vniuerſali ſaluas animaliũ, ſpecies eſſe voluit, quæ alioquin ad interitum tendebant.

Reliqua vero animalia imperfecta, vt puta muſcę, mures, vermes, & alia inſecta dupliciter oriuntur, ex ſpermate effuſo in coitu, & ex ſemine, qui latet in terra; & ſic videmus mures in Naui naſci, vbi nunquam mures fuerunt, qui poſtmodum per coitum effuſo ſpermate propagantur.

Hæc animalia, quoniam ex Terra oriri poterant,

Ideo

Digitized by Google

ideoconſeruationis beneficio non indigebant;nec in Arca Noe ſaluata, vt alia, fuere.

Loquamur modo de aqua, ex qua tot mirabilia in terra oriuntur,quam ſub nomine Protei priſci vates deſcripſere, quæ in Mundo nunquam firma, ſed ſemper lubrico lapſu circuit modo ad ſuperna, modo ad inferna, ex qua tot rerum varietatem cernimus.

Sed prius tractabimus de fontibus, qui in ſuperficie terræ, & aliquando in excelſioribus cacuminibus ipſorum oriuntur; quomodo autem id id fiat,non eſt facile, niſi Philoſophia duce id aſſequi liceat; quandoquidem aqua grauis eſt, & deſcendit;cum autem in vertice montium nō habeat vnde deſcendat, non enim adeſt excelſior locus, igitur videndo effectum,cauſa remanet portētoſa; & miranda. Sed vt dixi Philoſophia duce facillimè omnia explanantur.

Videamus ergo, quomodo aqua ſiue,vt melius dicam,quomodo fontes in altiſſimis montibus poſſint oriri: primo igitur ad hoc, vt aqua aſcendat, ex terræ viſceribus (nam aliunde non poteſt) neceſſe eſt, vt aſcendat vi aliqua, alioquin propria grauitate deſcenderet; ſed iſta vis non poteſt aſſignari, quare iſte prior modus non videtur probabilis Poſſent dicere aliqui, quod,cum mare turgeat,& creſcat,per ſubterraneas vias impellat aquā ad montium cacumina; ſed hoc eſt falſum,quoniā mare eſt in infimo loco poſitum; patet hoc experientia dum videmus aquas perpetuo deſcendere, donec quieſcant in mari. Igitur quoniam neceſſarium eſt ad hoc, vt fontes in montibus ſcateant, vt aqua aſcendat,alia via,alius modus cogitandus erit.

No-

Notandum itaque eſtTerram,vt etiam plurimas res, duplici gaudere calore, interno vno, altero externo, quos duos calores antiqui nomine gemellorum intellexere; dum ſcriptum reliquerunt, non operare cum fratricida; ideſt non apponas calorem externum validum corrumpentem, & necātem calorem internum. Proponamus exemplum. Ouum ponitur in Sole feruentiſſimo æſtate media, aut prope ignem, et ſic corrumpitur, & comburitur, quia calor externus, ſuperat internum calorem. Si verò ponatur ouum ſub gallina,tunc dum calor externus moderatus adiuuat internum, fit opus Naturæ amicum, nempe generatio pulli. Dabimus aliud exemplum. Homo dum ſanitate fruitur calorem in viſceribus moderatum habet, ſi vero ſub Sole feruenti ambulet, oriuntur febres, quia calor externus Solis excandeſcere facit internum calorem, qui ſi diutius perſeueret,deſtruit ſubiectum.

Itaque, vt dixi, dantur duo calores internus, & externus, quorum vnus adiuuatur ab altero: patet hoc in concoctione; quæ fit in ventriculo, & in fermentatione panis.

Sic pariter in terra calores reperiuntur duo, internus vnus, non centralis, ſed in terræ viſceribus, ſiue in excentro, & alius externus. Internus coquit digerit, perficit omnia, quæ in terra fiunt, & Archeum aliqui appellauere. Externus verò adiuuat internum, qui nil aliud eſt, quam calor proueniens, ex tepore æthereo, radijs ſolaribus,& ſphęra ignis. His duobus caloribus mediantibus aqua ſemper fluit, ſemper circuit, vnde neoterici aliqui ſuam de *Circulatione ſanguinis* opinionem ſta-

ſtatuerunt. Sed de hoc alias, quandoquidem hic opinionem noſtram ſine fundamentis proponere non libet.

Circuit aqua; & hoc cognouit Homerus, qui Oceanum quemdam terram circumdantem deſcribit: & iſta circulatio fit ſequenti modo. Terra bibit aquæ vndique quantum poteſt, ipſa etenim eſt ſpongioſa, & rara; in quo caſu, nè calor internus aquæ copia obruatur, aquam pellit ad ſuperficiẽ terræ, ipſam attenuando, ſubtiliando, & in vapores reſoluendo. At ſi vapores iſti vi ignis interni aſcendant ad montium cacumina, ibi paulatim parietibus adhærentes, in aquam conuertuntur, & diſtillant eo modo, quo videmus fieri in alembico; aqua diſtillata ex pluribus locis, paulatim colligitur, deſcenditque in locum vnum, & ſic fiunt fontes perennes, quia perpetuo aſcendit aqua igne mediante. Reliqua aqua in vapores conuerſa (non enim omnis intra cauernas includitur) aſcendit ſurſum, & ex ea oriunrur nubes, nebulæ, & ſimilia, aut in ros conuerſa cadit; reſoluitur etiam aqua maris in vapores, qui ſurſum eleuati in nubes condenſantur, donec aer iam repletus ſit: poſtmodum nubes in pluuiam conuertuntur.

Iſta eſt aquæ circulatio: à Montibus fluit ad Mare, à Mare ad viſcera terræ, à viſceribus terræ, mediante igne interno, reſoluitur, & aſcendit ad mõtes, fõtes procreãdo. Ita etiã vapores aſcẽdentes, aut à terra, aut à mari (qui nil aliud ſunt quam aqua ſubtiliata, aerea, & rarefacta) in nubes vertuntur, & in pluuiam redeunt.

Sed aliquis obijcere poſſet, quomodo Maris aqua per viſcera terræ permeans, ſalſedinem ſecum non

ferat

ferat;quoniam videmus aquam, quæ ex fontibus flui t,ſalſam non eſſe, reſpondemus hoc prouenire à Natura Salis, qui poteſt deſcendere, ſed non aſcendit. Exemplum habemus in aqua, in quam ſi ſalis quantitas immittatur, & poſtea diſtilletur, videbimus aquam aſcendere, & diſtillare, ſal vero in fundo remanere. Poſſet etiam dari aliud reſponſum, videlicet, quod dum aqua maris ſalſa fluit per viſcera terræ, ſal tanquam materia craſſa,adhæret vbique, & reſidet, dum ipſa aqua fluit.

Sed reuertamur ad nos. Calor internus accipit aquæ ſibi quantitatem conuenientem; ſuperfluũ verò expellit ad terræ ſuperficiem. Calor externus aquam pellit terram verſus, dum nubes conuertũtur in aquam, ipſamque intra viſcera pellit;quod autem expellere nequit,ſubtiliat, & reſoluit: vnde oritur, quod ſurſum denuo aſcendat quod reſolutum eſt ratione leuitatis; quod verò reſolutum non eſt intra Terram pellit.

Ex hac aquæ circulatione oriuntur omnia pulcherrima, quæ in Macrocoſmo celebrantur.

Quod autem aquæ aliæ ſint ſulphureæ, aliæ calcanthinæ, aliæ ſalſæ, aliæ aluminoſæ, id oritur,ex aqua, quæ deſcendendo per occultos canales recipit in ſeipſa mixtionem illam, cum tamen eadem ſit aqua. Diuerſitas itaque oritur ex varietate rerũ, per quas tranſit aqua, & ſic variat colorem, odorem, & ſaporem.

Balnea vero, ſiue thermæ ex aquis calidis &c. ex calore interno oriuntur, qui in diuerſis locis maior, & minor ita maiores, & minores perficit operationes.

Sed

Sed de ſemine, & aqua in preſenti dicta ſint ſatis, de alijs modo loquamur.

Obſtupeſcimus nos, dum videmus in Tyberim quotidie iactas immundicies omnes, & malum augemus, quoniam imminentibus inundationibus flumen facillimè creſcit, quia lectus repletus eſt.

In inueſtiganda Tyberinæ inundationis cauſa multi multa dicunt, quoniam plures poſſunt eſſe cauſæ, & concauſæ. Exempli gratia, primo arena cumulata in Tyberis alueo prope mare, aut à flumine, aut ab Aeſtu ibi aduecta, ſecundo aquarum copia ex diuerſis fluminibus in Tyberim influens. Tertio pluuiæ perennes. Quarto niuium liquefactio cum pluuijs. Quinto Venti auſtrales Tyberis curſum retinentes. Sexto, & vltimo repletio aluei. Hæc omnes cauſæ ſunt inundationis ſæpe copulatæ, & quo maior erit copulatio, eo maior inundatio: de cauſis vero illis loqui non licebit, quæ nullum auxilium habere poſſunt, vt puta cumulatio arenæ velox in ore Tyberis, pluuiæ perennes, niuium liquefactio, & Venti auſtrales. Hoc negotium Deo, & Naturæ committendum. Itaque de duobus loqui poſſumus, ſcilicet de aquarum copia ex diuerſis fluminibus in Tyberim redundãte, & de aluei repletione.

Clarum eſt, ſi aquæ aliunde fluant, & ſi flumina alio vertantur, vt fecere antiqui, & aliquando recentiores, nos huic rei auxilium aliquod inuenturos, & melius erit iacturam fecere paucorum terræ milliariorum, quam ſępè Vrbem Reginam inundationibus vexatam conſpicere.

De alueo repleto nil aliud dicere poſſumus, quã nos ex directo Antiquorum hanc omiſſionem per-

mittere, quandoquidem, ſi prius aderant Curatores aluei Tyberis, qui aluum à ſordibus expurgabant, modò habemus ſpurcatores, qui ſemper alueum ipſius terra, calce, cineribus, aliiſque ſordibus replent, ita & taliter, vt Tyberis præſentibus temporibus receptaculum ſordium appareat; ex quo aeris corruptio non pauca oritur, Zephyruſque æſtate ſuper Tyberim tranſiens pollutus fluit.

Non dicimus tamen omnino Tyberim, ſi hæ fiāt diligentiæ, ab inundationibus immunē fore, ſed affirmare poſſumus, rariores futuras, immo rariſſimas, ſi aluei antiqui lectus reperiatur, & expurgetur.

Sed quoſdam audio omnia hæc riſu excipientes, dum affirmant omnes diligentias inutiles eſſe quādoquidem, ſi alueus repletus concurreret ad inundationem, videremus ipſam circa Romam principium habere, ſed contrarium probatur, quoniā ſupra Romam abundātia aquarum conſpicitur, ergo, vt ipſi aiunt, nec ab alueo, nec à Ventis Auſtralibus inundatio prouenit.

Reſpondemus nos, vt plurimum non reperiri inundationes, vbi hæc abſint. Argumentum verò propoſitum nullius eſt roboris: etenim creſcit fluuius flante Vento Auſtrali vbique, vbique enim flat, & Tyberis curſum ſuum contra Auſtrum tendit; atque ita dum Ventus contra Tyberim flat ipſum totum, à pedibus ad caput retinet; & ſic paulatim creſcit, donec aduentantibus aquis ex montibus, inundatio ſupra Romam, non infra, prius apparet. Quod ventus poſſit aquam retinere, nulli dubium eſt, alioquin in Oceano nulla daretur fluctua-

ctuatio, ſi aqua à Vento moueri requiret. Patet hoc experientia, nam in augmento inundationis ſi deſiſtat Auſter, & flare Boreas incipiat, ſtatim cõſpicimus vndas præpete curſu mare petere, & inũdatio deficit; quare hoc? quia à Borea impulſa aqua facillimè deſcendit; ergo à pari, ſi à Borea decremẽtum experimur, ab Auſtro augmentum habere poſſumus. Poteſt etiam Auſter, vt calidus, & humidus aquam rarefacere, & maiorem occupabit locum, quæ à Borea frigido, & ſicco conſtipatur, & facillimè labitur.

Itaque, non neglectis alijs cauſis, ex his potiſſimũ oritur, ex aluei repletione, *Ventis Auſtralibus*, & aquarum copia, aut pluuia, aut niuibus liquefactis congregata.

Aer montium æſtiuo tempore aliquando damnoſus eſt ex Platone in Thymæo, nempè quando ſiccitates maximæ oriuntur, tunc etenim, vt ipſe aſſerit, tutius eſt circa fluuios degere, quam in locis editis, & aridis; quando vero inundationes vagantur, tunc, qui iuga montium habitant periculum illud euadunt, in quod incurrunt habitãtes circa fluuios.

Vt quis extra Romam tempore æſtiuo, aut alio tutus dormiat ignem accendat in quatuor domus angulis extra, non intra; tunc etenim noctu vapores, & fumi ab igne eleuati aerem à corruptione præſeruant.

Præſeruat etiam fumus hoc modo factus in pluribus vineæ locis ad hoc, vt nebulæ non noceant, quando Vitis floret.

Si quis diſtillet aquam cum ſale, alumine, vitriolo, & ſimilibus continuando ignem donec fue-

rit aqua in vaſe; aqua diſtillabit; ſed cum aqua euanuerit, ignisque perſeuerauerit, tunc videbimus in alembico eleuari nubem turbidam, quæ aliquando vas frangit. Pari modo fit in terra. Donec Sol, aut aquam pellit intra terram, aut in aerem conuertit, omnia bene ſe habent, ſed quando iam terra areſcit, atque humor nullus in ſuperficie terræ remanet, tunc continuato Solis calore aer fit turbidus, craſſus, vt apparet æſtate media, quoniam Sales vi caloris ſpiritus craſſos, & turbidos emittunt.

Vt aliqua de Anatome loquar, dicimus eodem modo moueri cor, & arterias, quomodo lumen emittit Lampyris; quoniam animal illud ſtatis temporibus modo lucet, modo non; ita etiam ſanguis arterioſus in corde in diaſtole, quaſi lucens, radios emittit, in ſyſtole vero concidit, & obtenebratur, vnde in diaſtole quam maxime ſanguis rarefit; in ſyſtole vero redit ad ſuam Naturam, nec vllo alio modo fieri credo. Interim intactam reliquo *Circulatorum* opinionem, qui Circulationem ſanguinis tueri conantur, ita eos appellat Thomas Bartholinus in ſua Anatome reformata in libello de Venis capite 3. ſed vt dixi; hic nudam ſententiam ſine probatione afferre non licet. Expecto ab Illuſtriſſimo Equiti Caſſiano Puteo aliqua mihi promiſſa opuſcula, quo facto meam fundabo ſententiam, ſed de his alias.

Niuem generari, ex pugna ventorum, aliquando obſeruauimus, nempe Auſtri, & Boreæ: ſitq; ſequenti modo; quando Auſter (ab hauriendis aquis dictus, & Notus, ab humiditate) fortis nubibus repletus, & pluuia, quaſi madidus, tranat

aerem,

aerem, tunc ſi in potentem incidat Boream pluuia imminens, mediante frigore Boreali, in niuem decidit, & ſic oriuntur niues, videlicet ex pluuia orta ab Auſtro, & coacta ab Aquiione.

Sed altiora intueri libet. Cometes fieri aliquando credimus ex aliqua materia opaca vi ſyderum eleuata, atque illuminata à ſole, quæ poſtmodum apparet, non quod ardeat, ſed quia ſolares radij ipſam illuminant, quæ tantum durat, donec materia denſa illorum rarefiat, diſſipetur, euaneſcat, aut regrediatur, vnde orta fuit, patet hoc, quia per plures dies durant cometæ aliquando, quod ſi inflammatæ eſſent tanto tempore non durarent. Patet etiam à ſimilitudine: nam videmus Venerē, & Lunam in tantum ſplendorem habere, in quantum illuminantur à Sole non quod habeant flammam vllam: quin immò Iouem etiam ac Saturnū eodem modo ſplendeſcere credimus, quoniam videmus Iouem habere partem lucidiorem eam, quæ reſpicitur à Sole; in quo etiam obſeruantur faſciæ duæ, ſecundum longitudinem Eclypticæ, altera ſuperior, altera inferior, vt vidimus in monte Quirinali anno elapſo 1651. coram EMINENTISS. CARD. CAMILLO PAMPHILIO cum Teleſcopio egregiè conſtructo à diligentiſſimo viro Euſtachio de Diuinis. Saturnus vero, qui altior eſt, non ſic rectè obſeruatur, attamen cum oualis, & potius obſcurus appareat, etiam cum alijs indicat dictos Planetas recipere lumen à Sole. Martem non obſeruauimus, nec de illo quidquam dicimus, vt etiam de Mercurio, qui cum ſemper propinquiſſimus ſit Soli obſeruari non poteſt: horum aliqua tetigit diligentiſſimus Opticus Franciſcus Fontana in ſuis

ob-

obſeruationibus, nos autem tantum ea tangimus, quæ proprijs oculis fideliter obſeruauimus.

Sed quoniam de Ioue diximus aliqua, ſciendum eſt quatuor illius comites circuere Iouem per longitudinem ipſius Eclypticæ, ſed veloci motu, quādoquidem vſque ad hoc tempus deprehendi non potuit illorum motus.

Luna vltimo loco examinatur, de quo pauca proponantur.

Primo non eſſe perfectè ſphericam, ſed terram repræſentare, quæ cum ſphærica ſit, tamen montes, & valles habet, & teleſcopio facillimè hoc obſeruatur. Non autem dicendum eſt, Lunam terram eſſe, vt fuit figmentum antiquorum, quandoquidem, ſi hoc eſſet obſeruarentur in ea aliquādo nubes, quæ per neceſſe videri deberent propter animantium vitam. Et ſic lucet Luna, non quod vndique ęqualem ſuperficiem habeat, vt credidere nonnulli, ſed quia, cum retineat aſperitates, apparet tanquam nubes illuminata à Sole.

Secundo Lumen illius ſecundarium, quod poſt nouilunium facillimè oculis obſeruatur, & minus quoad circunferentiam globi lunaris videtur, teleſcopio verò examinatū cōcurrit æqualiter cū parte Lunæ illuminata, ad formandam figuram ſphæricam; oculi verò noſtri falluntur, quoniam apparet maior ſphæra luminis primarij, quam ſecundarij.

Tertio, & vltimo Luna quando noctu Eclypſatnr, antequam incidat in Terræ vmbram aliquomodo ſplendorem perdit, & incipit in ea parte, in qua Eclypſis primo appari tura eſt, tenebreſcere. Nos credimus abſolutè hoc, oriri à vapori-

bus

bus, ſiue nubibus, quæ terram circundant, & ſic antequam Luna in defectum luminis incidat aliquo modo tenebreſcit. Non ſic fit in Solari Eclypſi, quoniam Luna circa ſe nil habet.

Hæc Lector candidiſſimè in ſecundo faſciculo arcanorum propoſui. Si tamen lautiſſima menſa animum reficere libeat, vota explebit eruditione admirabilis, doctrina celeberrimus, Claudius Berigardus in Lyceo Patauino maximus Philoſophię Præceptor: is enim in Circulo Piſano veteris, & Peripateticæ Philoſophiæ arcana, doctè pandit, & hoc coronidis loco poſuiſſe licebit.

FINIS.

IN-

Digitized by Google

INDEX.

A

Abuſus circa dierum criticorũ enumerationem. pag. 221.
Acetoſæ aquę incōmoda. 31
Acetoſæ aquæ iuxta fontem lapides reperti. 80
Acetum continens magnam copiam vermium. 263.
Adamas quomodo generetur. 412
Admonitio ad Medicos noſtri temporis. 164
Aer Romanus Pulmonibus obnoxius. 143
Aer qualis ſit ſalubris Romæ. 410
Aer montium quando damnoſus. 441
Aer vnde turbidus æſtate. pag. 442
Alcis Vngulę virtutes mirificę exantlantur. 176
Aluus exoneratur ſolo odore medicamentorum purgãtium. 253
Alui portentoſa exſiccatio. 71
Amphitheatralium Plantarum deſcriptio. 373
Angina Carbunculoſa. 292
Angina in Pueris contagioſa. pag. 121
Angina correptus, ex Phlebotomia venarum linguæ ſuffocatus. 55
Aneuriſma mirandum. 72
Anguriæ ſemen à puero deuoratum, per trimeſtre tempus citra corruptionē in larynge detentum, & reiectum. 68
Anguillæ iecur Nyctapoles ſanans. 202
Animi deliquio remedium vtiliſſimum. 190
Animalia abſq; nobiliora ſperma non naſcuntur. 434
Apoſtematis materia circa genu per ſeceſſum excreta. pag. 49
Aquæ frigidæ leuamen ſuper vultum aſperſe. 22
Aquę potus nimius ſuffuſionem parit. 67
Aquarum refrigerantium vſus quibus nam opitulatur. 108
Aquam acetoſam propinandi tution modus. 120
Aquarum thermalium abuſus. 208
Aquæ Thermales impuræ, & indigeſtæ. 413
Aranearum venenum. 347
Aranearũ morſus lethalis. 52
Arboreta Romę excelſa loca petunt. 421
Arenularum albarum, & ru-

 bra-

bratum durities. 250
Arenulæ Calculoſorum cum Microſcopio examinatæ pag. 262
Arthetici fiunt in ſenectute ſaltatores. 325
Arthetici dolores quomodo curantur. 157
Arteriæ cœliacę monſtroſa diaſtoles. 282
Artus integri corrupti in febre maligna. 351
Atrophia correptus citrio malo conualuit. 101
Aura venenata in corporibus noſtris genita vitam de medio tollens. 28
Autumnus quando tonitruis & ſagittis copioſior. 412
Auxiliū mirabile adfūgos. 199

B

Bibentis frigidam quotidie paulo anteprādium, nocumentum. 393

C

Calamus Corui in ſcribendo melior. 422
Calculus ſub oculo natus, per os eiectus. 45
Calculo remedium optimū. pag. 63
Calculorum monſtroſa eiectio. 100
Calculi in Vrethra retenti. pag. 324
Calculo renum ſeminę laborantes, ſi grauidæ reddantur, moriuntur. 121
Calculi inteſtinorum duriſſimi. 296
Calculi in hominibus per quas cauſas generantur. pag. 413
Calculos & arenulas frangēdi remedium. 415
Cancer horrendus formam habens verrucæ. 260
Capilli perforati cum Microſcopio obſeruati. 261
Capitis vulnera non contēnenda, etiam leuia. 163
Carbonum fumo ſuffocatus, vitę reſtitutus. 181
Carnoſitas in virili Mentula, ex quo oriatur. 197
Cauterij abuſus in nucha Epilepticorum. 265
Cephalici vulneris mirabilis ſanatio. 8
Ceratum capitale maximę virtutis. 335
Ceruicis vertebra ſecunda luxata pluribus diebus ęger vixit. 92
Chalybis tuta præparatio. pag. 328
Chamęleo examinatus. 387
Chamęleonis oculus differēs ab alijs. 391
Chamęleonis cum lacerto ſimilitudo. 390
Chamæleonis nerui optici. pag. 393
Chamęleonis comeſtio. 395

Cha-

Chamęleonis lingua. 396
Chamęleo ſine liene & veſica. 398
Chamęleonis virtutes. 404
Chondrilla pro hemorroydibus. 415
Chymicis pręſeruatiuū. 418
Chronicus morbus per vomitum ſanatus. 26
Cibus, & potus in principio acceſſionis aliquando ſumendus 43
Ciceris generatio 429
Circulatorum opinio ſuſpenditur 442
Citrio Malo conualuit atrophia correptus 101
Citrij Mali aqua contra vermes & putredinem. 384
Claudius Berigardus Maximus philoſophię precepror 444
Clitoridis mira productio. 220
Cœcus redditus ob potionē frigidam 175
Celiacę arterię monſtroſa diaſtoles. 282
Coitus immoderatus ſuffuſionem parit; 67
Coitus continuus quid parit in mulieribus. 417
Colicis doloribus a frigida cauſa, optima remedia. pag. 69
Colicis cruciatibus remediū optimum. 182
Colicus dolor decem horaīs ſpatio interficiens. 78
Colon monſtroſè a flatibus dilatatum. 251
Coma vigili enecato rum ſeſſio. 70
Combuſtis remedium optimum. 155
Cometę quomodo ſplendeāt pag. 448
Cor torrefactum in iuuene febre ardentiſſima mortuo, repertum. 36
Cor tormentoſum 34
Cordis ſiniſtra auricula, vltimū membrum moriens. pag. 321
Cor dilatatur & conſtringitur ęmulando Lampyrim. pag. 442
Corpus fœtidiſſimum in volnulo 140
Coſmetica nunquam adhibenda 416
Criſis optima ſexta & octaua die obſeruatā 187

D

Dens inciſor poſt vigeſimum annum regeneratus 244
Dētium doloribus Plumbigo aliquando confert. 230
Dies in quibus radij Solis maximè offendunt 412
Digiti ſexti obſeruatio. 206
Dolor capitis rebellis, propter terebrationem in ſincipite factam, expulſus.

Domus in decliuo Montiũ, & non in planitie ædificatæ facile ruunt. 408
Domus iuxta Tyberim poſitæ quales nam optimo, aut prauo aere fruuntur. pag. 411
Dyſentericorum ſectio. 9
Dyſentericis optimæ exiſtimantur aquæ thermales, & clyſteres abſtergentes. pag. 10
Dyſenteria in Xenodochijs contagioſa. 140

E

ENterocele omphalodis in Matris vtero orta. 61
Epilepticorum optimum remedium. 38
Epilepſia imprudenter igne ſanata. 104
Epilepticus, veſicatorio in ſutura coronali appoſito, perfectè ſanatus. 256
Epileptico magis ſetaceum quam cauterium in nucha laudatur. 266
Epilepſiæ Romanæ frequentia in Magnatibus. 271
Epilepſiæ curioſæ hiſtoria. pag. 275
Epilepticis ceratum capitale mirabile. 335
Exercitio pluſquam aliũ mulier cachectica ſanata. 35

F

FEbris alba in virginibus quomodo ſananda. 141
Febris periculoſiſſima oborta ex magna Hydrargiri vnctione. 340
Fiſtola thoracis periodica. pag. 76
Fœcum monſtroſa ſuppreſſio. 304
Fœminę calculo renum laborantes in prægnanti a moriuntur. 131
Fœtus ex veſica aquæ plena aſperæ arteriæ adhærente in vtero matris mortuus. pag. 5
Fœtus mortuus abortu expulſus cum infinitis paruis globulis, qui piſcium oua repræſentabant. 84
Fœtum deturpat nimia mulierum intẽperantia. 112
Fontes quomodo in montibus oriuntur. 435
Fontana diligentiſſimus Opticus. 443
Fonticulo in Tibia corrupto mors ſubſequitur. 246
Fragis auxilium mirabile. pag. 199
Furũculus hominem interficiens. 248
Funiculus in tertio ventriculo cerebri repertus. 339

G

Gagatis ſpecies. 423
Gallus ſineAno & Pene quotidie citra ſalutis noxam ſtercus euomens. 66
Gallicus morbus poſt ſex meſes difficulter curatur. pag. 171
Gallicus morbus fortuito nimio ſanguinis fluxu ſanatus. 273
Gemmę dupliciter fieri poſſunt. 432

H

HÆmatite lapide, iuuenis propter nimiam eiectionem ſanguinis deperditus, ſtatim ſanatur. pag. 120
Hemorrhoydalis ſanguinis monſtroſa eiectio. 109
Hemorrhoydalis ſanguinis eiectio voluntaria. 110
Hemorrhagia timore cohibita cum frigidæ aſperſione. 322
Herpes ventriculi vomitus quotidiani, & mortis cauſa. 51
Hepar in ſiniſtris. 288
Hepar monſtroſæ magnitudinis. 249
Hepar vt Lien in quibuſdam Hydropicis candidiſſimi. pag. 245
Hepati calido, ſtomachoque frigido remedium. 203
Hippocratis ſententię neque ſunt nimis pertimeſcendę neque temere ſumendæ, ſed cum ratione contemplandæ. 23
Horæ Romanis optimę ad egrediendum. 193
Hydrops, potus abſtinentia per ſex menſes, curatus. pag 266
Hymenis diſcuſſio. 353
Hydrops in puella nimio potu ſanatus. 90
Hydropicorum paracenteſis difficultas. 82
Hypochondrij eleuatio, & depreſſio in mortuo homine incautos fallens. 53
Hyſterica veſtalis ad mortē vſque redacta, phlebotomia in ipſa lipopſychia celebrata conualuit. 98

I

ICtericus natus. 273
Ictéritia frequens à calculis in felleaCyſti contentis. 317
Idioſyncraſia verſus Saſſafras pag. 317
Igne imprudenter ſanata Epilepſia. 104
Ignis ſubterranei materia. pag. 423
Ignis nebularum domitor. pag. 441
Inteſtinum duodenum ſtercore duriſſimo refertum

mor-

mortem inferens. 169

L

Lapides reperti iuxta fontem aquæ acetoſæ. 80
Lapis per excreatum expulſus. 88
Lapidis veſicæ ſectio mala, quando. 135
Lapides per lotium expulſi carbones repreſentantes. pag. 287
Lapides in hominibus ex quibus præcipuè cauſis oriuntur. 413
Leguminum generatio. 429
Lienes duo. 3
Lienis obſtructioni negatur ſitis. 80
Lienis obſtructioni quid nã ſummopere prodeſt. 87
Lien in medio tã arctè ſtrictus, vt intuenti duos lienes repræſentet. 232
Lien in ſuperficie candidiſſimus in hydropicis. 245
Lien in dextris. 288
Lienis officium. 398
Lumbrici roſtrati, & piloſi. pag. 297
Lunæ qualitates. 424
Lunæ obſeruationes. 444
Lunæ lumen ſecundarium Teleſcopio examinatum. pag. 444
Luna ante eclypſim eclypſatur ab vmbra vaporum aut nubium terræ. 444
Lyncis vrina conuertitur in lapidem. 431

M

Maculæ penetrantes nigræ per totã pulmonũ ſubſtantiam in leipyria febre inuentæ. 78
Mali Punici macula miranda ex matris malacia. 12
Maris aqua per viſcera terræ permeans cur ſalſedinem non ferat. 437
Mare igni pabulũ procreat. pag. 434
Materia purulenta apoſtematis circa genu regionẽ per ſeceſſum excreta. 49
Mediaſtini inflammatio lethalis. 71
Medici, qui adulantur in Pharmacis,ęgros occidũt. pag. 168
Melancholici quomodo tractandi. 102
Melonum pernicies. 46
Menſtrua in Virgine per vomitum expulſa. 26
Menſtrua copioſiſſimã in vetula. 121
Menſtrua in Virginibus prudenter, reuocanda. 178
Menſtruorum loco vermes. pag 233
Menſtruorum loco ſanguis per mammas. 234
Mẽſes quomodo ſiſtẽdi. 414

Me-

Meretricis pectus piloſ. 358
Meſenterium lapidoſū 313
Microſcopio vermes in ace-to obſeruati 263
Microſcopio capilli hominū obſeruati. 261
Microſcopio examinatę are-nulæ calculoſorum. 262
Mineralium, & lapidum or-tus. 429
Mola bulbiformis. 274
Mola carnea ſtomachi. 294
Morbus ſtrāgulatorius Pue-rorum. 292
Morbus gallicus ante ſex meſes facilis curatus 171
Mortes repentinæ aliquę e-xaminatę 128
Morbus cronicus vomitu ſanatus. 261
Morborum infortunia. 18
Mulier Phlebotomia pręſer-uata abortu. 10
Mulier ſæpius pręgnans nū-quam menſtruata. 171
Mulier peſſimę habitus exer-citatione ſanata. 351
Mulier quolibet menſe bis menſtruata. 105
Mulieris morſus venenatus pag. 105
Mulierum fluoris optimum remedium. 111
Mulierum intemperantia, non malacia fœtum de-turpat. 112
Mulier clauda ex ligamentis vteri rotundis. 316
Mulier lanuginoſa. 287
Mulier ſquamoſa. 291
Muſcę ſputo virulento phti-ſici mortuæ. 111
Muſcarum copioſarum pro-gnoſticum. 421
Muſculi Palmaris, Plantaris & Pyramidalium priuatio. pag. 139
Muſculus pectoralis duplex. pag. 268
Mutus, & ſurdus ex capitis vulnere ſanatus. 96
Mutus 12 annorum à nati-uitate non ſurdus. 241
Myrmecijs remedium opti-mum. 106

N

NAtus Ictericus 273
Nebularum domitor Ignis 441
Niuis vſus perniciofiſſimus pag. 415
Niuis ortus ex pugna ven-torum 442
Nympha monſtroſa Torpe-dinem repræſentans 218

O

OCulorum doloribus ar-teriotomia Temporum optima 35
Oculorum morbis Catapo-tia ex medicamentis acri-bus potius obſunt, quam proſunt 228

Ocu-

Oculus Chamæleonis differens ab aliis 391
Odor aquę florum aurantiorum mulieribus contrariũ pag. 103
Olei potu imprudenter Phreniticus ſanatus 48
Oleum dulce Vitrioli ipſiuſque virtutes 196
Omentum durum ſterilitatem inducens in muliere pag. 134
Opiſtotonus in pedum vulnere lethalis 79
Orithes gemma quomodo generatur 412

P

PAncreas lapidoſum 51
Papauer damnoſum in cibis Puerorum adminiſtratum 107
Paracenteſis difficultas Hydropicorum 82
Pectus piloſum in Meretrice 338
Pedum ſodores nunquam coercendi 146
Phreniticis optima Temporum arteriotomia. 34
Phreniticus imprudẽter olei potu ſanatus 48
Phrenitici cuiuſdam robur admirabile 277
Phtiſis deinde mors orta ex diſtillatione à capite ad pulmones inſipida 97
Phtiſici ſputum virulentum muſcas enecans 111
Pica curata in Virgine 185
Pila ſtercoracea diù manens in inteſtino recto, tandem expulſa 167
Pinguibus, & Obæſis remedium optimum 242
Pinguedo infra vmbelicum pendens ad genua vſque prolapſa 259
Plantarum amphitheatraliũ catalogus 373
Planetæ Plures non habeut lumen proprium, ſed recipiunt à Sole 443
Pleuritis per Diarrhæam ſanata in ſene ſeptuagenario 42
Pleuritidi remedium optimum 236
Pleuriticus iudicatus eſt, excretis per vrinam quadraginta Puris vnciis. 289
Plumbago dentium dolorib. aliquando confert 230
Podagræ generatio, & præſeruatio 123
Potus abſtinentia Hydrops curatus 266
Potus regula 415
Prægnantibus conſiłum optimum 250
Prægnantiæ ſignum infallibile. 349
Pſoas paruus, ſeu Pſoas alter in Anatome inuentus. 272
Puer ſtrumoſus 24

Pueris vini vſus pernicioſus. pag. 93
Puer per ſex menſes omnino remanſit inſomnis 286
Puerorum prænunciatio. pag. 421
Puerorum remedium ne lędantur ab igne 421
Puerorum educatio 422
Puella Hydrocephala, & Aphona 350
Pulmo in ſiniſtra parte thoracis totus conſumptus repertus 53
Pulmonibus aer Romanus valde obnoxius 143
Pulmo ſiniſter Diaphragmati adhærens 270
Pulſus diuerſiformes 37
Pulſus peſſimi Medicos quandoque fallunt 276

R

Remedium optimum Myrmeciis, vulgo Porri 106
Remedium optimum ad Partum 154
Remedium paratu facile, & optimum ad combuſtos pag. 155
Remedium optimũ in morbis ferè deſperatis, & inueteratis 160
Remedium optimum Colicis cruciatibus 182
Remedium vtiliſſimum animi deliquio in febribus malignis 190
Remedium tutiſſimum hepati calido, ſtomachoque frigido 203
Remedium optimum Pinguibus: & obæſis 242
Remedia adhibita ad ſiſtendam hemorrhagiam 322
Remedium optimum ad Tineam Puerorum 326
Renum Lithotomia 344
Renes admodum magni reperti in in vrinæ ſuppreſſione 104
Renum calculo optimum remedium 63
Ren vnicus 3
Romæ in agris, vt quis æſtate tutus dormiat 441

S

Saccari in febribus immodicè adhibiti nocumentum 75
Saltatores in ſenectute Arteticì fiunt 325
Sanguinis eruptio in Crure periodica 65
Sanguis grumoſus in Corde pag. 95
Sanguinis hemorrhoydalis eiectio monſtroſa 109
Sanguis fontis modo per mãmas ſcaturiens menſtruorum loco 234
Sanguinis nimio fluxu for-

euito Gallicus morbus ſanatus. 273
Scabie Capuccini nunquam laborantes 180
Scroti Sphacelati non ſine magno vitæ diſcrimine ſanatio 30
Senex ſeptuagenarius pleuriticus Diarrhœa ſanatus pag. 42
Senes febricitantes, vt plurimum ſine febre exiſtimantur 283
Semen ex quibus componitur 428
Seminis differentia cum ſpermate 427
Setarum veluti capillamenta cum Renum calculo eiecta. 237
Signum vnum certum Prægnantiæ 152
Signa lethalia ex ſanguine pag. 224
Simplicium cognitio Medico neceſſaria 363
Siti exuſti,& enecati ægroti, multa vero potione ſanati 226
Sitis fuga in obſtructione lienis. 85
Solis radii quibus diebus præcipuè ſint pernicioſi 412
Solutio continui in corde pag. 348
Sperma receptaculum ſeminis. 428
Spina triceps lapidea inter duram, & piam Meningem reperta. 299
Spiritus Vitrioli in Renum, & Veſicæ arenulis,& calculis quomodo exhibendus 192
Spiritus Vitrioli cum, lute propinatus ad extinguendam ſitim in obſtructionibus 87
Spongię vſus mirabilis ad arcendam luem veneream pag. 118
Sterilitatem inducens in muliere Omentum durum pag. 134
Stellarum natura quomodo cognoſcitur 422
Stomacho frigido, & hepate calido tutiſſimum remedium 203
Strumis remedium ratum, & facile. 247
Struma quadraginta librarum in Puero 24
Sublimati damna in mulieribus 416
Sudores pedum nunquam coercendi 146
Suffuſionem pariunt aquię potus nimius, & coitus immoderatus 67
Surdus, & Mutus propter vulnus capitis, poſt quindecim dies recuperata voce, & auditu conualuit pag. 96
Syringis intromiſſio per Métulam

tulam pluries tentata, lethalis. 86

T

Tabes Erotica in Virgine 311
Tendo inſignis quatuor muſculorum propter lapſum abrumpitur 173
Tempus ad aſpicienda ſydera maximè conueniens, pag. 412
Tertiana triplex 59
Tertianarius quidam 14. die optimè iudicatus; 15. die cholera ſuperueniente mortuus 33
Teſtes nudati ob corruptionem Scroti 30
Theriacæ Virtutes 417
Theriaca ante ſeptimum annum inutilis 418
Thoracis fiſtula periodica. pag. 76
Tineę Puerorum optimum remedium 326
Tumba deleteria 18
Tumor veſicalis 303
Tyberis vbi reddat aerem ſalubrem 411
Tyberinæ inundationis cauſa 440

V

Vaſa ſpermatica ex vtraque vena, & arteria emulgente in vtraque parte ortum ducentia. pag. 100
Vas Vitreum innocuè comedens 223
Venæ turgidæ ſuffocantes. 14
Vegetabilia quomodo oriuntur 435
Vena Azygos ab vtraque parte reperta 151
Vena tumens in fronte nuntia imminentis morbi 159
Vena emulgens in principio vnica, deinde bifida, & denuo vnica in ſiniſtra parte 319
Venenatus morſus mulieris. pag. 105
Venenum triplex in corpore humano 164
Venenum Aranearum, vulgo Tarantole. 347
Venter varicoſus 7
Ventriculus corroſus ſicuti ab igne 23
Vermium copia mirabilis. pag. 49
Vermes loco menſtruorum apparentes 133
Vermes per aures egreſſi. pag. 252
Vermis niger per excreatum expulſus, quomodo inter fectus 254
Vermium in Aceto copia mirabilis 263
Vermes Prægnantes per os, & ſeceſſum expulſi 302
Vermis per os expulſus marinum repræſentans ſer-

penetem 332
Vermium fœniculi nocumẽtum examinatum 341
Vermis 20. circiter palmorũ per ſedem expulſus 343
Vertebra ſecunda Ceruicis luxata, pluribus diebus æger vixit 92
Veſicæ rotundæ aquoſæ ſupra corpus calloſum 19
Veſicę dilatatio ter obſeruata, ſemper in mortem deſinens 32
Veſicatorio perperam appoſito æger mortuus pagina 216
Vetula ſeptuagenaria ab adoleſcentia eijciens menſes per os 6
Vetula conualuit hyſtericis cruciatibus correpta 214
Vini vſus Pueris pernicioſus pag. 93
Virgo materiam in vomitu eijciens, quæ in menſtrua debuerat conuerti 26
Virgines, febre alba correptæ, quomodo ſanandæ 141
Virgo abſque vllo cibo, & potu per 22. dies permanſit, & conualuit 314
Virtutes occultæ vnde oriũtur 428
Viſus diminutio à Venere quomodo curanda 201
Vitrioli oleum dulce, ipſiuſq; virtutes 196
Viſus immunitio nimio coitu orta, quomodo reſtituta. 94
Voluntaria eiectio ſanguinis Hæmorrhoydalis. 110
Voluulus ex Enterocele. 351
Voluulorum ſpecies diuerſę. pag. 56
Vomica in hepate. 41
Vomica in teſtibus mulieris ex antiqua gonorrhœa. 16
Vomitus ſubitaneus criticus ſegregatiuus. 64
Vomitus mirandus. 25
Vreteres quatuor. 4
Vreterum portentoſa dilatatio. 257
Vrina concocta ab hepate, cruda à liene proficiſcitur. pag. 162
Vrinę aliquando decipiunt Medicos. 237
Vrinæ monſtroſa ſuppreſſio. pag. 304
Vrina per Perinæum mõſtroſè reddita. 325
Vteri procidentia cum ſterilitate ob imperitiam obſtetricis. 27
Vtero gerentes phlebotomia ab abortu præſeruantur. pag. 89
Vterinus furor pluries curatus prægnantia. 133
Vtilia adnotanda in infuſione roſarum & in ſyruppo, & melle roſaceo. 333
Vulneratus lapide in pectore per triduum aphonus redditus

dictus Phlebotomia ſanatus. 41
Vulnera capitis, etiam leuia, non contemnenda. 183
Vulnus portentoſum inter frontem & Naſum. 346
Vulneribus optimum remedium. 414

Z

Zephirus Ventus inter cęteros Romę propitior. 411
Zona circa ſtomachum cinctus à plurimis morbis liberatus. 414

FINIS.

Digitized by Google

ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

REGESTVM.

§ §§ §§§ §§§§ §§§§§ §§§§§§

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii KK Ll Mm Nn Oo
Pp Qq Rr Sſ Tt Vv Xx Yy Zz

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii KKK Lll
Mmm.

Omnes ſunt Duerniones.

ROMAE, Apud Franciſcum Monetam. 1652.

Superiorum Permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google